NAZIONALE
13
13 1
3
~~L. V. 22 ¶ N. 96~~
~~P. D. Bernardo Aquarini~~
C.C. V
13-22-E-8.
Digitized by Google

IMPENETRABILIS PONTIFICIÆ DIGNITATIS CLYPEUS.

IN QUO

Vera Doctrina de Poteſtate Summi Pontificis Romani indubitati ſupra omnia Concilia etiam generalia, & legitimè congregata; & de ejuſdem infallibilitate in rebus ad fidem, moreſque ſpectantibus tam intra, quàm extra Concilium definiendis demonſtratur per argumenta deſumpta ex Sacra Scriptura, ex Conciliis univerſalibus, & particularibus; ex Sacris Canonibus; ex Sanctis Patribus tam Græcis, quàm Latinis; & ex rationibus Theologicis;

ITEM

De Poteſtate Concilii Univerſalis legitimi ſupra Papam dubium, ſeu Antipapam, & in caſu Schiſmatis juxta veram Concilii Conſtantienſis explicationem.

AUTHORE

P. FRANCISCO LEYTAM SOCIETATIS JESU LUSITANO Caſtelvidenſi Sac. Theologiæ Doctore, & in Eborenſi Academia primario ejuſdem Sacræ Theologiæ Magiſtro.

Bibliotheca Coll.

Catinanos.

ROMÆ, Sumptibus Joannis Jacobi Komarek Bohemi propè SS. Vincentium & Anaſtaſium in Trivio. MDCXCV.

SUPERIORUM PERMISSU.

CUM PRIVILEGIO SUMMI PONTIFICIS.

Digitized by Google

DEIPARÆ VIRGINIS IMPLORATIO.

FORTISSIMUM *Pontificiæ Dignitatis Clypeum, Eccleſiæque Univerſalis in Romano Pontifice Chriſti Servatoris Optimi Vicario, Petrique Succeſſore ſtabilitæ munimen viribus licèt imparibus aſſumens, iniquus eſſem, imo imprudens, niſi illum Tibi, ô Deipara Sanctiſſima, Reginaque potentiſſima, merito tuo jure deberi, palam, ingenuèque faterer. Nonnè Majeſtas Tua munitiſſimum illud Progenitoris tui Regis David propugnaculum, excelſaque Turris, è qua mille clypei pendent, arcano cæleſtis Numinis Oraculo, priſcis antè temporibus adjudicata fuit? Sic Oraculum prodiit: ſic adhuc cæleſtis tuba proclamat:* Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. *Qui fortes, niſi Chriſtiani Doctores? Qui verò Chriſtiani Doctores, niſi qui à te, aurea cæleſtis, Increatæque Sapientiæ ſede, quidquid calamo ſcribunt; quidquid voce prædicant, quidquid efficacibus rationum momentis, præſidiiſque ſuadent, velut à diffluenti ſcientiarum fonte deſumunt? En clypeum non aliter meum, niſi quia tuum, ex hac tua cæleſti, nitidiſſimaque arce acceptum tibi refero libens, & ſacrum velut munuſculum grato animo libans. Tua, ſi qua huic clypeo ineſt, ſapientia fulget: Si quis in hoc ſapientiæ ſplendor elucet, ex hoc fulgentiſſimo Sole diffunditur: ſiquid roboris, ſi quid fortitudinis, ac vigoris obtinuit; ex hac arce, ex hoc armamentario depromptum eſt. Quinam nomine omnis armaturæ Fortium cenſeri debeant, niſi primo Sacri illi anteſignani Antiſtites, qui à Chriſto Deo Optimo, Maximoque vero Filio tuo, tanquàm à Sole aſtra lucem, qua mundum in tenebris poſitum colluſtrarunt, ebibère, videlicèt, Apoſtoli, ſacrique Euangelii Scriptores? Quinam, niſi præclari illi, glorioſique mili-*

tes, qui profuſo ſanguine, Chriſtianam Religionem longè, latèque propagarunt, præſidioque obſirmarunt? Quinam, niſi Sacrati illi Orthodoxæ Eccleſiæ Doctores, graviſſimi, ſanctiſſimique Patres, qui ſuæ ſplendore doctrinæ perduellium hæreticorum caliginem, nubeſque diſſiparunt? Quinam, niſi Sanctiſſimorum hominum cœtus, ac Seniorum conventus, aſſiſtentis Numinis fulgoribus irradiantes, in quibus quot decreta, tot jacula, telaque contra Eccleſiæ perduelles acriter intorquentur? quot Canones, tot de cœlo fulmina jaciuntur?

Cæterùm quis Apoſtolis, quis Euangelici Oraculi narratoribus poſt ſolem Chriſtum, niſi tu, ò præclara Luna, lucem diſpertiit? Quiſnam Conſtantiſſimis ſanguinis oſtro purpuratis Martyribus, hæroica virtute præſtantibus alas, vigorem, ſtrenuas vires, ac robur addidit, niſi, tu, ò magnarum alarum Aquila, terræ præſidium, cælique clariſſimum ornamentum? Quiſnam pereximiis Eccleſiæ Sanctæ Doctoribus fulgentiſſimum Sapientiæ lumen eſt elargitus, illorumque Sanctiſſimorum Præſulum cœtui veritatis viam, divinum poſt Numen, aperuit, niſi tu, ò ſempiternæ Veritatis Mater? niſi tu, ò divinum, grandeque totius Eccleſiæ Magiſterium?

Dum igitur his præſidiis, hoc eſt, Sacræ Scripturæ, Conciliorum, Canonum, Sanctorumque Patrum teſtimoniis clypeus noſter præmunitur, roboraturque (quæ omnia à te, tanquam à ſuo fonte manarunt) meritò tibi jure debetur; & tuas ante aras religioſè ſiſtitur; cæloque cæleſtis de Pontificiæ dignitatis propugnatione doctrina ſolemniter conſecratur. Accipe ergo, Deipara Sanctiſſima, hoc quantulumcumque obſequium meum, addictæque ſeruitutis officium, ſeù potiùs ſtrictæ juſtitiæ debitum, juſtumque Vaſſalli Reginæ ſuæ tributum ritè perſolutum: & in hoc potiùs tuum à te in me liberalitèr collatum beneficium, quàm à me tibi obſequium religioſè oblatum meritò judicandum eſt. Quod enim à ſubditis Regi munus offertur; non tam ab offerente officium; quàm ab accipiente beneficium præſtari cenſendum eſt.

Sacræ Majeſtati Tuæ addictiſſimus

F. S.

SERENISSIMO
COSMO III.
MAGNO ETRURIÆ
DUCI, &c.

Franciſcus Leytam Societatis JESU Luſitanus Caſtelvidenſis ſummam fælicitatem.

CUM ex Luſitania, Sereniſſime Princeps, ter, & amplius Magne Etruriæ Dux, Romam iter facerem (quonam meo fato, fælicivè augurio me latebat) auſpicatiſſima mihi ſors à Cœlo data cœleſtem Principem inviſere, in quo non ſolùm ea, quæ de Sereniſſima Celſitudine tuâ toto Orbe fama vulgaverat; vera eſſe comperi; ſed à vero, quòd minora factis encomia ſparſerit, deflexiſſe: & certè nunquam famam ſic mendacem eſſe deprehendi, quàm dum Celſitudinem tuam animo contemplabar meo; nam multis plus, quàm in ipſis fuerit; tam longè minus, quàm in te ſit, magnitudinis diuulgaverat: in alium quibuſdam ignominioſum, in te glorioſum quidem famæ mendacium reputandum eſſe; dum enim in aliquibus, quæ decora non habent, palam prædicat; ignominiam promit, dum in Te Magnitudinem tuam æquare nequit, gloriam auget.

Sed quid vidi? quid exploravi? Quid contemplatus ſum? in qua re Celſitudinem tuam ſum admiratus, & de tuarum rerum præſtantia, magnitudineque vehementi quaſi ſtupore correptus? Te Principem verè Maximum vidi, & in ſolo tuo conceptu, ſive

exi-

exiſtimatione minimum, ut quanto multis excelleres, pateret omnibus: nam dum ea, quæ aliis maxima, tibi minima comparerent; aliorum conceptu omnium, tuum ampliorem eſſe ſatis indicaveras. Vidi unum excelſæ magnitudinis Principem, quaſi privatus eſſet Civis; ſed in ea ipſa moderatione majeſtatem, in majeſtate modeſtiam ſpirabas. Rara Principis magnitudo, qui dum ad perfectionis culmen aſcenderit; quaſi, ut ſic dicam, jam ultra creſcere nequeat, ut poſſit ulteriùs excreſcere, propria voluntate decreſcit; ac ſi neminem te, ſed te ſolum te majorem eſſe monſtrares. Te Principem habitu Sæcularem, virtutibus Religioſum veneratus ſum; ut ſi virtutem, religionemque tuam ſpectaret aliquis, in Religione Principem, in Principe Religionem ipſam videret: ut, ſi alios reddit ſplendidos Virtus, tu ſplendidam virtutem reddas: & cùm alios Religio decoros efficit; tu Religioni afferas decorem.

O quàm meritò nobiliſſima tua Civitas, Florentia, dicta eſt; quia Principum flos, ornamentumque nuncupari jure optimo potes. Subditos tuos non tàm ſceptro, quàm exemplo; non tam tuis legibus, quàm tuis virtutibus moderaris. At quis non miretur? Veriùs dixerim, quis ardenri rerum cœleſtium amore non incendatur, dum te Aulici, cæterique quotidie rebus Divinis in æde ſacra intereſſe conſpiciunt, ea animi pietate, reverentia, ſupplici, religioſoque cultu, non in throno, aut ſublimi ſede locatum, ſed in genua provolutum, nec ætatis, ampliſſimiq; ſtatus, quo emines, privilegio gaudere velle; ut ſi quis illuc accederet, ex nulla re magis, quàm ex virtute, Religioneque te præeſſe Principem judicaret: maximum ſupremi Principis encomium, non tam auri, Regiæque pompæ, quàm virtutum ſplendore dignoſci; nec tam laudandus, commendanduſque Princeps, quem Regius ſanguis; ſed quem ſplendida virtus Principem fecit; illud fortunæ planè ingloriæ; hoc glorioſis meritis tribuendum: ſi hoc ſecundum in te non eluceret; commune quiddam cum aliis Principibus obtineres; dum in utroque tamen effulges, tibi ſpecialiſſimum inſigne eſt, præ multis glorioſiùs emicare. Verùm enim verò comparata meritis gloria, eam, quæ ab hæreditate accipitur, adeò antecellit, ut hæc alienæ gloriæ, illa propriæ poſſeſſorem faciat. Certè acceptam jure hæreditario gloriam, quaſi purpuram alienam, ignominiam; meritis verò acquiſitam, gloriam ſolam eſſe putandam quis ignoret? Sanguinis fulgore præcellere

ma-

magnum ; virtutum radiis eminere majus ; in utroque fulgere maximum eſt. In te, Sereniſſime Princeps, Imperatorum Aquilæ, Galliæ lilia, Hiſpaniæ Leones, Luſitaniæ Quinæ, aliorumque totius Europæ Regum, Principumque Potentum ſtemmata fulgent ; ſed hæc omnia florentiſſimo tuarum virtutum diademate redimire videris ; ut & Regum nitidiſſimus flos, & Coronarum ſublimior corona dici meritò poſſis : tantum nobilitati decorem clarior virtutum nobilitas addere ſolet.

Cœterùm quid de propria illa Regum, Principumque virtute, liberalitate, videlicèt, tua dicam ? in qua licèt commune quiddam, cum cœteris Principibus habeas ; ſpeciale tamen, quo magnopere eluces, inſigne tibi arrogari, quis dubitare poſſit ? Nam complures aliis liberales, non ſibi parci ; tu tibi maximè parcus ; aliis verò ſummè liberalis es. Aliqui Principes, ut ſic dicam, plus ſibi, quàm aliis liberales conſpiciuntur ; tu verò, ut erga alios multò liberalior ſis, tibi parciſſimus es. Hoc peregrini, & hoſpites, quos non ut hoſpites, verùm ut domeſticos, familiareſque frequenter, magnificentiſſimèque excipere ſoles, ſæpiùs experti ſunt. At quid peregrinos teſtes appello ad comprobandum id, quod ego ipſis met oculis vidi, quando me profeſſione pauperem, tua liberalitate ut Principem habuiſti ; adeo, ut tantæ liberalitatis, munificentiæque tuæ mole obrutus oportere judicaverim ; à tua Sereniſſima Celſitudine, ut modum poneret, iterum, atque iterum precari ; nam cùm ex tuis ipſe Luſitanis ſubditis minimus eſſem, æſtimari, ut maximus verebar, erubeſcebamque. Verùm hæc tua etiam eximia Magnitudinis prærogativa ; ut quando multi Principes ex parvis faciunt magnos, tu ex minimis maximos efficias.

Infinitus forem, immò audax, ſi tuæ liberalitatis exempla lcomplecti dicendo ; aut recenſeri narrando poſſe putarem, ipſa enim iberalitas tua, quaſi Sol undequaque radios diffundens, abſque ulla rhetorices ope ſuo ſe lumine prodit, expanditque. Verùm quid de illa tam tibi propria humanitate, ſuavitateque, & benignitate, pariterque majeſtate, quibus cum vulgaribus quaſi non Princeps ; cum Regibus, potentiſſimiſque Principibus quaſi non Princeps vulgaris, dilucidè ſpectaris. Ad Celſum tuum palatium tam faciles quibuſcumque aditus patent ; ut quaſi communis omnium domus, communeque hoſpitium, ad quod omnes divertant, non ſuperbum

perbum Principis palatium, poſſit jure optimo nuncupari. Multi certè Principes à ſubditis ſuis æſtimabiles, ac ſuſpiciendos ſe faciunt timore, tu amore: fœlix imperium tuum, quod non timore, ſed amore ſervatur: fæliciores ſubditi (filios potiùs dixerim) qui ut ad rectam ſanctioris vitæ normam dirigantur; non tam leges tuas, quàm tuos mores intuentur: ſuſpiciendus, colenduſque ſemper eſt ille Princeps, cujus præclari mores ſubditis ſuis pro lege, firmaque conſtitutione ſumuntur.

Hæc ſatis erant, Sereniſſime Princeps, ut has meas lucubrationes, tuæ Sereniſſimæ Celſitudini voverem; conſecraremque, ut à tanta luce decorem, à tanto Patrono patrocinium nanciſcerentur. Cæterùm alia nòn minùs fortia, vividaque animum meum incitamenta permoverunt, videlicèt, quòd non tam te Magnum Etruriæ Ducem, quàm Luſitaniæ patriæ meæ Regnatorem conſiderem. Erraſſe ne dicar, dum te Luſitaniæ Regnatorem dixi? Immo plus, quam reliquos Regnorum ſuorum Reges, te Regni noſtri regnatorem aſſerere non dubito: nam illi ſuorum Civium corporibus, tu Luſitanorum cordibus dominaris: quis verò ibit inficias, præſtabilius eſſe cordibus, quam corporibus imperare? Nonne, quando noſtris temporibus Luſitanos amabili tua præſentia nobilitaſti, decoraſtique, omnium animos ita prædari viſus es, ut te non ut alienum, ſed ut indigenam Principem, non locis, ſed animis natum ſpectarent? & ita nos tua Celſitudine extuliſti; ut hujus tanti in nos collati beneficii memoriam nulla unquam ſæculorum ſeries valeat abolere. Illic te vidimus novum exorientem Solem, è cujus luce clariſſima, non jam à Lyſania, Luſove, Luſitania dici meritò poſſit. Te noſtra ſuſpexit, reveritaque eſt Ulyſippo; quæ non tam ab eo, qui illam poſuit, Ulyſſe; ſed à te deinceps nomenclaturam fæliciori auſpicio ſortietur? Ille rudia, inconcinnaque fundamenta jecit; tu illuſtriorem magnifica tua præſentia ornatum contuliſti.

Sed licèt univerſum Regnum tuis ampliſſimis beneficiis, opibus, ac ſtrictiſſimis tui amoris erga nos vinculis devinctum teneas; multo plura Societati noſtræ, imo tuæ, clariſſimæ tuæ munificentiæ, benevolentiæque ſigna præbuiſti, Tibi ſuperba Regum, Principumque Potentum jure tibi debita palatia offerebantur; tu noſtrorum Religioſorum paupere domo, humilique hoſpitio contentus, oſtendiſti non te ornari palatiis, ſed pauperes Domos præſentia

tua

tua Regum palatia reddi, & quaſi caulam in aulam ſublimiùs commutari. Incredibilis certè, dum nobis aderas, noſque lucis tuæ radiis colluſtrabas, in omnium noſtrum cordibus lætitia, exultatioque fuit, & ſolùm una noſtros occupaverat animos mæſtitia, quòd apud nos demorareris abſque mora: ubi ſi per plura annorum ſpatia te fæliciter frueremur, adhuc præ vehementi, gratoque amoris affectu dies pauciſſimi viderentur. Idcircò in publicis, feſtiviſque gratulationibus, quas tibi gratulabunda noſtra Eborenſis Academia publicè præſtare voluit, & tu nonniſi privatim pro tua ſingulari modeſtia ſuſcepiſti; unus ex oratoribus pro roſtris dicere incæpit: *Flores apparuerunt in terra noſtra*. Quaſi diceret: Sicut Flores ſuo nos ridenti, lætoque decore alliciunt; ſic nos hic ſplendidiſſimus Principum Flos ex nobili, pulcherrimaque Florentia ortus, præjucundo, roſeoque ſui vultus aſpectu exhilaravit: ſed quia ſimul ac apparuerit, diſparuit, maximum nobis mærorem attulit: quamvis hoc nobis ſolatium, videlicèt, ſi receſſiſti corpore, animo non receſſiſti. Noſtrorum ardentia corda tantùm acceptaſti; oblationes amoris tibi debita tributa minimè acceptare voluiſti; ut oſtenderes te cordium, non vectigalium Principem, Soli aſtrorum principi æmulum, qui univerſæ telluri, imò univerſis Aſtris beneficia, nihil accipiens, impertitur: quamvis mirari non deſinam te, cujus verba quaſi veritatis oracula veneror, fateri à noſtris, hoc eſt, tuis, Societatis Jesu Religioſis beneficia, honoreſque ſuſcepiſſe; ſi ipſa tua Societas honores, ſi effuſa, pertuſaque manu, ac Regia munificentia tua largiſſimas à te datas opes accepit; quî fieri poteſt, ut qui accepit, conferre; & qui contulit, accepiſſe dicatur? Rara Principis virtus, prodigioſa munificentia, quòd quando ſuis prodigè elargitur; à ſuis ſe accipere fateatur: ut perſpicuum ſit Magnos Principes nihil niſi donando poſſe accipere; & eos, quibus benefaciunt, benefactores ſuos commendare; quaſi reperire, quibus benefaciunt, ſibi beneficium ſit: hoc enim inter Magnos, & Maximos Principes diſcrimen, intercedit; quòd illi, dum donant, beneficium faciunt; hi beneficium ſe accipere putant, dum donant.

Verùm ultra hæc omnia, quæ certè maxima, æternæque memoriæ perquam digniſſima ſunt, unum prætermittendum non duxi, videlicèt tuum erga Sedem Apoſtolicam ardentiſſimum amorem, quo non ſolùm majores tuos Magnos Etruriæ Duces, Princi-

peſque Sereniſſimos, perfectè, adamuſſimque adæquaſti, ſed longiſſimis rerum intervallis exuperas. Illi te tempore; Tu eos meritis anteceſſiſti. Nihil illi, quod in te non effulgeat, habuere; plura in te, quæ ipſi non habuere, effulgent. Illi Magnorum Ducum titulo, nomenclaturamque meruere, tu Maximi Ducis nomenclaturam promeruiſti; ad eumque Magnitudinis cumulum; apicemque evectus es; ut ea encomia, laudeſque, ac longa panegyris; quæ quibuſdam adulatio dici poſſet; tuis ſemper minora meritis laudum præconia, ſemota omni adulatione, vera jure optimo reputentur. Quidquid poſſit fabulari; quidquid adulando humana facundia fingere poteſt, ſemper minus eſt, quàm, quod in te veræ virtutis fulgor expandit; hac virtute, hoc ſplendore, potentiaque tua Maurorum, Infideliumque ſuperbis conatibus formidabili Romanam Eccleſiam protegis, tueriſque. Quid mirum, ſi Clypeus noſter, ut Romanam tegat Eccleſiam, ad te confugiat, tuumque nobile patrocinium quaſi ſuo jure depoſcat. Quo pacto Clypeus Eccleſiam ſine Protectore defendet? Quid vigoris, quid roboris, muniminiſve abſque tuo potenti, fortique brachio poſſit habere? Accipe igitur, glorioſiſſime Princeps, qui Celſius Eccleſiæ ornamentum, decuſque effulges tot tibi titulis debitum Clypeum; ex parte tui; quia omnibus virtutum meritis longè, latèque promicas; ex parte mei; quia Luſitanus, ideoque iure tuus; ex parte Chriſtianæ Eccleſiæ, Apoſtolicæque Sedis; quia te validiſſimum Protectorem, Defenſoremque fortiſſimum ſibi arrogare geſtit, gaudetque. Hoc tot erecta trophæa, quot Maurorum mancipia tua formidabili potentiâ, manuque forti debellata, tuoſque viſa pedes adorare, ſatis oſtendunt; ut & te Chriſtiani nominis gloriam, & Barbarorum, Infideliumque terrorem glorioſa fama proclamet.

Sereniſſimæ Tuæ Celſitudini

Addictiſſimus Franciſcus Leytam.

PRÆFATIO

AD

BENEVOLUM LECTOREM.

INANIS tibi fortè, benevole Lector, meus labor iſte videbitur, quod quamplurimi jam, iique præſtanti literatura ſatis conſpicui Theologi, atque utriuſque juris periti Doctores inſignes hanc Supremam Romanæ Cathedræ Majeſtatem, infallibileque Veritatis Oraculum propugnandi Provinciam ſuſceperint, ita ut nullus jam, qui ſanæ mentis compos ſit, hanc indubitatam Eccleſiæ doctrinam indubium revocare audeat: quia tamen, ſicuti fieri aſſolet, ex malignis aſtrorum in terras impreſſionibus, incipiunt nubes adglomerari, Solemque ipſum toto orbe micantem obnubilare, ac radios, aliàs fulgentiſſimos, adeò obtegere, obſcurareque, ut eis præſertim, qui non tanta oculorum acie pollent, Sol minus compareat; iidemque diem cum nocte confundant; ſic etiam ex malignis eorum, qui ſe tanquam aſtra eſſe inaniter, ac vanè jactant, influxibus in terrena corda depreſſis, errorum nubes elevantur, Solem veritatis obnubilant, dilucidumque veritatis diem cum erroris nocte convolvunt, neceſſe mihi viſum fuit has conglomeratas nubes diſcutere; ut iterum læta, ridenſque Solis facies illis depulſis nubibus compareret: ne qui Lyncea viſûs acie deſtituuntur, cæca preſſi caligine in miſerabile, atque infœlix æternæ mortis barathrum prolabantur, de iis verò hæc dico, qui per ſummam audaciam dicunt Romanum Pontificem ſolùm prærogativam antiquioris in Eccleſia Præſulis ſibi arrogare: de quibus infra. His verò dumtaxat ſum fultus præſidiis, quibus majores noſtri præclara Sapientiæ luce præfulgidi pro ſublimi regnantis Petri Solio tuenda fœliciter utebantur, videlicèt ūberrimis Sacræ Scripturæ Theſauris; Oecumenicis divino illuſtratis Numine Conciliis, intaminatis Sacrorum Canonum ſanctionibus, clariſſimis antiquorum Patrum, Præſulumque teſtimoniis, ineluctabilibus Sacræ Theologiæ principiis; rationibus naturalibus efficaciſſimis, & tandem ex ipſa Adverſariorum Pharetra iaculis in eoſdem retortis: ex quibus omnibus firmiſſimis præſidiis Clypeum noſtrum conſtruxi, munivique, quo non ſolùm perduellium hæreticorum impetus retardari; ſed aliquorum etiam Orthodoxorum parùm rectè ſentientium Authorum ſententiis obluctari quilibet poſſit.

Cæterùm ex compoſito à gravioribus in Catholicos Authores cenſuris abſtineo; ſeveræque judicii ferulæ parco; id Catholicæ, Apoſtolicæque, hoc eſt, Romanæ Sedi remitto; ad quam de imponendis in opiniones cenſuris, pœniſque infligendis curam, plenamque judicii facultatem ſpectare cenſemus, credimuſque. Unde ad ſummum eas cenſuras, quas cordatiſſimi, præſtantiſſimique Doctores Adverſariis infligunt, non tam fero, quàm refero; & malim aliorum judicium premere, quam meum promere: aliorum definitioni fidere, propriæ verò diffidere prudentis eſſe judicii non ignoro. Te etiam, atque etiam oro, benevolentiſſime Lector, ut tuo alto inſideat animo, me quamvis Apoſtolicæ Sedis amore allectum, & Romano Pontifici; cui ex ſolemni Profeſſione, voti reus maximè aſtringor, addictiſſimum, non ullo duci, moverique palpo, non ullius lucri ſpe (quod omnem ſapientem dedecet) illiniri; ſed pura veritatis explicandæ pulchritudine allectum, & veræ Religionis zelo compulſum eſſe.

Totum autem Opus in Octo Diſceptationes duxi diſſecandum. In prima, loquendo de Papa indubitato, demonſtrationes variæ de majori Papæ ſupra Concilium poteſtate per quinque Sectiones, ponuntur, & in ſexta quorundam argumentorum ſolutiones

adhi-

adhibentur. In ſecunda Diſceptatione obiectionibus à Concilio Baſileenſi factis ſatisfit per tres Sectiones, in quibus Baſileenſium Patrum Sophiſmata diluuntur. In tertia Diſceptatione Lutheri, Calvini, aliorumque Hæreticorum per octo Sectiones argumenta, ſeu potiùs deridenda diliramenta, diſſolvo. In quarta Diſceptatione Recentium Gallorum contra Papæ poteſtatem ſuprà Concilium argumenta per quinque Sectiones diſſolvuntur. In quinta Diſceptatione verus Concilii Conſtantienſis ſenſus per ſex integras Sectiones dilucidè explicatur. In ſexta Diſceptatione infallibilis Summorum Pontificum in rebus fidei definiendis authoritas per tredecim Sectiones comprobatur, ſtabiliturque. In ſeptima Diſceptatione aliquorum Pariſienſium Doctorum circa Pontificis Romani definiendi poteſtatem doctrina per undecim Sectiones examinatur, & improbatur. In octava Diſceptatione loquendo de Papa dubio, Schiſmatico, & hæretico, quid poſſit Eccleſia, Conciliumque eandem repræſentans ſupradictos ſic acceptos Pontifices per undecim Sectiones deciditur. Scias tandem has meas elucubrationes accuratè, ſeduloque me peregiſſe; quas, enixè rogo, attenta mentis acie perlegas, evolvaſque; & animo præſumo meo, fore ut vana proſcriptorum hominum deliramenta, aliorumque Adverſariorum futilia, inania jacula, næniaſque abhorreas, & à recto veritatis tramite, ut ſpero, minimè deflectas. Vale.

INNOCENTIUS
PAPA XII.
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

CUM ſicut Dilectus filius Joannes Jacobus Komarek Bohemus Impreſſor in Alma Urbe noſtra commorans Nobis nuper exponi fecit ipſe duos Libros, unum videlicet Sacrarum Concionum à Dilecto filio Paulo Segneri Presbytero Regulari Societatis JESU vulgari Italico Idiomate compoſitarum, & in Palatio noſtro Apoſtolico habitarum, alterum verò, cui Titulus: Impenetrabilis Pontificiæ Dignitatis Clypeus: Auctore Franciſco Leytam ex eadem Societate JESU Typis in eadem Urbe ad publicam utilitatem imprimi fecerit, ſeu imprimi facere, & in lucem edere intendat; vereatur autem ne poſtquam in lucem prodierint, alii, qui ex alieno labore lucrum quærunt, Libros præfatos iterum imprimant, ſeu imprimi faciant in ipſius Exponentis præjudicium, ac detrimentum: Nos ejuſdem Joannis Jacobi indemnitati, ne ex impreſſione hujuſmodi aliquod diſpendium patiatur, quantum cum Domino poſſumus, providere, eumque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel causâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Joanni Jacobo, ut durante decennio à primævâ dictorum Librorum impreſſione reſpectivè computando, dummodò tamen anteà à Dilecto filio Magiſtro Sacri Palatii ſupradicti approbati fuerint, nemo tam in Urbe prædicti, quàm in Univerſo Statu Eccleſiaſtico mediatè, vel immediatè Nobis ſubjecto Libros hujuſmodi ſine ſpeciali dicti Joannis Jacobi, aut ab eo cauſam habentium licentiâ imprimere, vel ab alio, aut aliis impreſſos vendere, ſeu venales habere, aut proponere poſſit, & valeat, Apoſtolica authoritate, tenore præſentium, concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, præſertim Librorum Impreſſoribus, & Bibliopolis ſub quingentorum ducatorum auri de Camera, & amiſſionis Librorum, & Typorum omnium pro una Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, & pro altera eidem Joanni Jacobo, ac pro reliqua tertiis partibus Accuſatori, & Judici exequenti irremiſſibiliter applicandorum eo ipſo abſque ulla declaratione incurrendis pœnis, ne dicto decennio durante Libros prædictos, aut aliquam illorum

par-

partem ſub quovis prætextu tam in Urbe, quàm in reliquo Statu Eccleſiaſtico præfatis ſine hujuſmodi licentià imprimere, aut ab aliis impreſſos vendere, ſeu venales habere, vel proponere quoquomodo audeant, ſeù præſumant. Mandantes propterea Dilectis filiis noſtris, & Apoſtolicæ Sedis de Latere Legatis, ſeu eorum Vicelegatis, aut Præſidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, & aliis Juſtitiæ Miniſtris Provinciarum, Civitatum, Terrarum, & Locorum Status Noſtri Eccleſiaſtici præfati, quatenus eidem Joanni Jacobo, ſeù ab eo cauſam habentibus prædictis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, quandocumque ab eodem Joanne Jacobo, ſeu aliis præfatis fuerint requiſiti pœnas prædictas contra quoſcumque inobedientes irremiſſibiliter exequantur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentium litterarum Tranſumptis, ſeu exemplis, etiam in Libris hujuſmodi impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorsùs fides tàm in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die vigeſima Martii MDCXCIV. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

I.F. Card. Albanus.

THYRSUS GONZALEZ
Præpoſitus Generalis Societatis Jesu.

CUM *Librum, cui titulus,* Impenetrabilis Pontificiæ Dignitatis Clypeus, à P. FRANCISCO LEYTAM noſtræ Societatis Sacerdote conſcriptum, *aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet ità videbitur. Cujus rei gratia has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ* 7. *Junii* 1690.

Thyrſus Gonzalez.

Imprimatur.
Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Sperellus Epiſc. Interamnen. Viceſg.

Imprimatur,
Fr. Thomas Maria Ferrari Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

Appro-

Approbatio.

O*PUS Polemicum inſcriptum* Impenetrabilis Pontificiæ Dignitatis Clypeus, Auctore Adm. Rev. P. FRANCISCO LEYTAM Societatis JESU in Sacra Theologia Doctore &c. *De Commiſſione Reverendiſs. P. Franciſci Mariæ Ferrari Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri legi, & examinavi: & cum nihil in eo repererim quod aut fidei, aut bonis moribus adverſetur, quinimmò eruditionis Eccleſiaſticæ ſtudioſis, non parum utilitatis allaturum exiſtimem, Typis mandari poterit. Romæ ex Conventu Sanctæ Mariæ de Aracœli die* 12. *Novembris* 1694.

Ego Fr. Thomas Granellus de Genua Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ S. Franciſci Lector Jubilatus Sacrarum Congregationum Indicis, & Rituum Conſultor, ac Supremæ Inquiſitionis Qualificator.

Approbatio.

C*UM ex mandato Reverendiſſimi Patris Fr. Thomæ Mariæ Ferrari Sacri Palatii Librum perlegerim, cui titulus* (Clypeus Pontificiæ Dignitatis à P. FRANCISCO LEYTAM Societatis JESU compoſitus) *non ſimplicem clypeum detexi, ſed turrim, ex qua mille clypei pendent, armaturam fortium demiratus ſum: tanta enim argumentorum copia ex Conciliorum Decretis, Canonum ſanctionibus, Patrum auctoritate, rationum pondere, fidei veritatem Catholicæ Religionis fundamenta, Apoſtolicæ Sedis Privilegia tuetur; ut nulli vulneri, nulli telo pateat locus; quinimmò mira ſubtilitate, clara ſoliditate ictus ita repellit in Hoſtes, ut quibus ejaculant, cadant ſagittis: ita elidit impetum, ut aggreſſores impetat. Lucem videat: eo utatur publica utilitas: inoffenſo eum decurrant pede eruditi; nihil enim ſapit contra fidem, nihil contra bonos mores. Sic judico. Datum in Seminario Sancti Pauli Carmelitarum Diſcalceatorum, apud Sanctum Pancratium de Urbe, die* 24. *Maii* 1694.

P. Fr. Liberius à JESU Sacrarum Controverſiarum in eodem Seminario Prælector.

INDEX DISCEPTATIONUM ET SECTIONUM.

DISCEPTATIO I.

De Papæ minimè dubii poteſtate. *Pag.* 1.

Sect. 1. *Demonſtratur Summi Pontificis ſupra Concilium poteſtas.* Pag. 1.
Sect. 2. *Eruuntur aliæ probationes, quibus Papam eſſe ſupra Concilium, & non Concilium ſupra Papam demonſtratur.* 6.
Sect. 3. *Aliæ ex Sanctis Patribus Græcis, & Latinis probationes proponuntur.* 12.
Sect. 4. *Demonſtratur eadem Romani Pontificis ſupra omnes totius Orbis Eccleſias poteſtas ex juriſdictione, quam in omnes ſemper exercuit.* Pag. 21.
Sect. 5. *Ultima ejuſdem Romani Pontificis ſuper omnes totius Chriſtiani Orbis Eccleſias authoritatis probatio expenditur.* 26.
Sect. 6. *Diſſolvitur ſpecialis objectio.* Pag. 32.
Sect. 7. *Objectiones aliquorum etiam ex Catholicis Authorum contra noſtram ſecundam probationem refelluntur.* 35.

DISCEPTATIO II.

De objectionibus in contrarium à Baſileenſibus factis. 41.

Sect. 1. *Diſſoluuntur objectiones ex jure canonico.* 41.
Sect. 2. *Alia Baſileenſium argumenta diluuntur.* 51.
Sect. 3. *Alia Baſileenſium ſophiſmata diſſoluuntur.* 58.

DISCEPTATIO III.

Aliqua Lutheri, & Calvini, aliorumque hæreticorum deliramenta repelluntur. 64.

Sect. 1. *Lutheri deliramenta diſſoluuntur.* 64.
Sect. 2. *Calvini ſophiſmata diluuntur.* Pag. 70.
Sect. 3. *Alia Calvini argumenta ſolvuntur.* 76.
Sect. 4. *Alia ejuſdem Calvini ſophiſmata refelluntur.* 79.
Sect. 5. *Ineptiſſima alia hæreticorum ſophiſmata repelluntur.* 83.
Sect. 6. *Alia hæreticorum argumenta frivola exploduntur.* 88.

Sect.7. *Alia eorumdem ſophiſmata diluuntur.* 92.
Sect.8. *Diluuntur ſpecialiter duo hæreticorum deliramenta.* 100.

DISCEPTATIO IV.

Recentium Gallorum, contra Romani Pontificis ſupra Concilium ſupremam in terris authoritatem ſophiſmata refelluntur. 105.

Sect.1. *Repelluntur, quæ contra veram noſtram doctrinam à Dupino Doctore Gallo ineptè adducuntur.* Pag. 105.
Sect.2. *Oſtenditur falſitas prædicti Authoris dicentis Pontificem Romanum Concilii legibus non ſolum directivè, ſed coactivè teneri, nec poſſe illas mutare.* 111.
Sect.3. *Alia ejuſdem Authoris ex Conciliis malè intellectis deprompta ſophiſmata repelluntur.* 116.
Sect.4. *Alia contra Pontificis authoritatem in Concilia argumenta, ſeu potiùs futilia cujuſdam Pariſienſis ſophiſmata reiiciuntur.* 123.
Sect.5. *Alia ejuſdem Authoris deridenda ſophiſmata diluuntur.* 129.

DISCEPTATIO V.

Explicantur veri ſenſus Cõcilii Piſani, & Conſtantienſis. 131.

Sect.1. *Concilium Piſanum nihil favere Adverſariis, nobiſque multum prodeſſe demonſtratur.* 131.
Sect.2. *De vero ſenſu Concilii Conſtantienſis à Martino V. confirmati.* Pag. 140.
Sect.3. *Diſſolvuntur facilè, quæ Adverſarii contra hanc veritatem opponunt.* 145.
Sect.4. *Oſtenditur Concilium Conſtantienſe in ea quinta ſeſſione Eccleſiam Univerſalem non repræſentaſſe.* 150.
Sect.5. *Quo ſenſu intelligi debeant Cõcilii Conſtantienſis decreta.* 152.
Sect.6. *Oſtenditur ſectionis quintæ Conſtantienſis Concilii decreta non fuiſſe à Martino Papa V. in ſenſu Adverſariorum confirmata.* 158.

DISCEPTATIO VI.

Quo pacto Pontifex Romanus authoritatem habeat ad definiendum de fide tam intrà, quàm extrà Concilium. 164.

Sect.1. *Summus Pontifex errare non poteſt definiendo pro Cathedra, etiam extra Concilium.* 164.
Sect.2. *Demonſtratur eadem veritas ex aliis locis Sacræ Scripturæ.* 170.
Sect.3. *Oſtenditur authoritas Romani Pontificis in definiendo infallibilis ex traditione.* 174.
Sect.4. *An hæc Romani Pontificis authoritas in definiendo etiam extrà Concilium infallibilis, ſit definita in Conciliis Univerſalibus.* 179.
Sect.5. *De definitionibus pro tota Eccleſia à Papa factis extrà univerſale Concilium à primo, uſq. ad quintum ſæculum.* 182.
Sect.6. *Oſtenditur infallibilitas Romani Pontificis in definitionibus factis quinque ſeqq. Sæculis.* 188.
Sect.7. *De definitionibus Romanorum Pontificum extra Concilium ſeqq. Sæcu-*

Sæculis ſcil. 11.12.13. 194.

Sect. 8. *De definitionibus infallibilibus per Romanos Pontifices extrà Concilium factis* 14.15.*Sæculis.* 200.

Sect. 9. *De definitionibus infallibilibus Romanorum Pontificum extra Concilium factis* 16.17.*Sæculis.* 208.

Sect. 10. *Formatur ex hactenus dictis ineluctabilis probatio de infallibilitate Summi Pontificis in definiendo res fidei etiam extra Concilium.* Pag. 212.

Sect. 11. *Quid ſit propriè definire pro Cathedra.* 216.

Sect. 12. *Diluuntur objecta contra infallibilitatem Summi Pontificis in definiendo.* 219.

Sect. 13. *Alia contra eamdem objecta diluuntur.* 230.

DISCEPTATIO VII.

Maymburgi aliorumque Pariſienſium doctrina contra infallibilitatem Summi Pontificis in definiendo manifeſtiſſimè confutatur. Pag. 234.

Sect. 1. *Quædam prædicti Authoris objecta diluuntur.* 234.

Sect. 2. *Refellitur factum Vigilii allatum à Maymburgo contra ſtabilem noſtræ doctrinæ veritatem.* 241.

Sect. 3. *Exploditur aliud argumentum objectum à Maymburgo ex facto* Honorii. 248.

Sect. 4. *Nimia cujuſdam Doctoris Pariſienſis libertas, contra Sedis Apoſtolicæ authoritatem ex malè intellecto facto Joannis XXII. repellitur.* 255.

Sect. 5. *Oſtenditur falſitas Dupini circa contradictionem definitionum Romanorum Pontificum.* 259.

Sect. 6. *Oſtenditur mendacium prædicti Authoris aſſerentis ex ipſa Pontificum confeſſione eos non habere Authoritatem infallibilem definiendi.* 264.

Sect. 7. *Refellitur Dupini probatio ſophiſtica, ineptaque ex Conciliis falſo deducta.* 269.

Sect. 8. *Refelluntur Authoritates Academiarum, quas ineptè contra Romani Pontificis infallibilem in definiendo Authoritatem refert Dupinus.* 272.

Sect. 9. *Aliqua ex Theologis teſtimonia per Dupinum adducta refelluntur.* 278.

Sect. 10. *Refelluntur ſolutiones, quibus Dupinus putat ſe ſatisfacere noſtris fundamentis.* 281.

Sect. 11. *Exploditur falſitas Recentium Gallorum, aſſerentium antiquiores Galliæ Doctores contra noſtram doctrinam ſtare.* 288.

DISCEPTATIO VIII.

De Papa dubio, vel de indubitato facto hæretico. 298.

Sect. 1. *Utrùm Eccleſia poſſit deponere, viduare &c. Papam factum hæreticum.* 301.

Sect. 2. *Diſſolvuntur fundamenta contraria.* 304.

Sect. 3. *Aliqua difficultates contra noſtram ſententiam enodantur.* 305.

Sect. 4. *De quali hæreſi intelligenda ſit noſtra doctrina.* 308.

Sect. 5.

Sect. 5. *An ſuppoſita Papæ contumacia, & promulgata ſententia depoſitionis per Chriſtum facta, & nondum ſit alius Pontifex electus, ſi tunc hæreſim retractet, ſit retinendus ut Pontifex.* 310.

Sect. 6. *Quid dicendum, ſi poſt latam ſententiam conſtet de errore facti.* Pag. 312.

Sect. 7. *Quid dicendum, ſi Pontifex ſolum externè negavit fidem, internè autem retinuit?* 316.

Sect. 8. *Qualis depoſitio ſit neceſſaria, ut Eccleſia cenſeatur vidua.* Pag. 317.

Sect. 9. *Quæ conditiones requirantur, ut Papa dicatur dubius.* 318.

Sect. 10. *Quo pacto fieri debeant proceſſus circa Papam certum factum hæreticum, & circa dubium, at non hæreticum.* 319.

Sect. 11. *Quid dicendum quando Papa renunciet Pontificatui.* 321.

IMPE-

IMPENETRABILIS PONTIFICIÆ DIGNITATIS CLYPEUS.

DISCEPTATIO PRIMA.

De Poteſtate Papæ minimè dubij.

SECTIO PRIMA.

Demonſtratur Poteſtas Papæ ſuprà Concilium.

1. SUppono 1. Tres veritates fidei ab univerſo fidelium omnium cætu firmiter credendas. Prima eſt Diuum Petrum Caput, & Paſtorem Univerſalem totius Eccleſiæ Dei à Chriſto Domino inſtitutum. Secunda veritas, Pontificem Romanum Petri eſſe Succeſſorem, & Chriſti Vicarium. Tertia veritas hunc Summum Pontificem Romanum Petri Succeſſorem, & Chriſti Vicarium habere iuriſdictionem ordinariam ſuper omnes fideles,& Chriſtianos totius Mundi; Romanamque Eccleſiam eſſe omnium Eccleſiarum Matrem, ſuper omneſque Primatum habere: In his veritatibus omnes Catholici conveniunt, & illas probant latiſſimè Cardinalis Bellarminus, eximius Doctor,omneſque Doctores Controuerſiſtæ, in Tractatibus De Primatu Eccleſiæ; copioſiùs prædictus Cardinalis Bellarminus in lib.De Summo Pontifice; ubi per totum id evidentiſſimè probat ex Sacra Scriptura, ex Sacris Conciliis Univerſalibus, ex Sacris Canonibus, ex Sanctis Patribus, tum Latinis, tum Græcis, ut videre eſt apud Doctores citatos. Suppono 2. Diſceptationem noſtram non procedere de Papa aliquo dubio, ſive Antipapa, ſed de vero legitimo, & indubitabili Papa, ab omnium fidelium turma recepto, & adorato, qualis nunc eſt Sanctiſſimus Dominus Noſter Papa Innocentius XII. quem Deus ipſe miſericorditer Eccleſiæ ſuæ in admirabilem, ſuo nomine ſignificatam morum innocentiam,in Chriſtianorum reformationem; in ipſius Dei gloriæ augmentum præfecit. His igitur ſuppoſitis.

2. Vera reſolutio eſt, nullum Concilium, etiam univerſale, & legitimum habere poteſtatem ullam ſupra Papam verum, & indubitatum, excepto caſu hæreſis formalis, & notoriæ, quia per illam jam deſineret eſſe Papa, maneretque privata perſona, ſubdita Concilio illi, ut alij fideles; proindeque tunc non exerceret Concilium poteſtatem ſupra Papam.

3. Probari ergo poteſt prædicta noſtra reſolutio ex capite, In nomine Domini. 23.diſt.ibi.*Sedes Apoſtolica cunctis in orbe terrarum præfertur Eccleſijs.* Verùm prætereo hunc Canonem: quia directè non probat ſuperioritatem Pontificis ſupra Concilium: ſed ſupra ſingulas Eccleſias: quamvis arguitivè bene probat inſtitutum, ut infra videbimus. Probatur ergo fortiùs ex cap. Licet de vitanda, de elect. ibi. *In Romana vero Eccleſia ſpeciale aliquid conſtituitur.*

4. Igitur quoad ſecundum Textum in illo definitur, non poſſe dari recurſum ad alium Iudicem ſuperiorem ſu-

Digitized by Google

pra Papam; quia Papa non habet ſuperiorem. Textus ſic habet: *In Romana autem Eccleſia ſpeciale aliquid conſtituitur: quia non poterit ad ſuperiorem recurſus habere*. Itaque in eo Canone ſtatuitur ad validam Summi Pontificis electionem duas omnino tertias electorum requiri, in aliis verò electionibus ſervandas fuiſſe illarum Eccleſiarum Conſtitutiones, in quibus ſi fortè ſit dubium in aliquo electo, habent Summum Pontificem, ad quem recurrant: in Romana autem Eccleſia non datur aliquis ſuperior, ad quem recurratur; & ideo neceſſum fuit, ut illius electio valida tantùm fieret ex duabus tertiis inter ſe concordantibus: unde Aduerſarii dicunt Concilium eſſe Judicem ſuperiorem Papæ: ecce duæ propoſitiones contradictoriæ, quæ juxta lumen naturale non poſſunt eſſe ſimul veræ: ſed prædictus Textus à Catholica Eccleſia receptus continet verum: ergo id quod dicunt Adverſarii, verum eſſe non poteſt. Reſpondebunt prædictum Canonem definire Papam non habere alium Patriarcham ſuprà ſe; non negare ſuprà ſe Concilium. Inepta reſponſio; quia illa propoſitio: *Papa nullum habet ſuprà ſe ſuperiorem*, eſt univerſalis negatiua, quæ juxtà lumen naturæ ſubſiſtere nequit, ſi detur aliqua particularis affirmatiua oppoſita: unde ſicut iſta univerſalis negativa; Nullum animal eſt homo; eſt evidenter falſa; quia datur aliquod animal, quod eſt homo; ſcil. Joannes: ita illa, nullus eſt ſuperior ſupra Papam, non poſſet univerſaliter ſubſiſtere, ſi daretur aliquis, vel aliquod Concilium ſupra Papam: cùm igitur illa prima propoſitio univerſaliter ab Eccleſia ſit recepta ut vera; neceſſariò ejus oppoſita eſt falſa.

5. Probatur 2. ex cap. Quamuis, 21. diſt. ibi. *Sancta Romana Eccleſia Catholica nullis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſijs prælata eſt, ſed Evangelica voce Domini, & Saluatoris noſtri primatum obtinuit: Tu es* (inquiens) *Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Et infra: *Eſt ergo prima Apoſtoli Sedes Romana Eccleſia &c.* & inferiùs: *In his omnibus quanto gradus celſior, tanto major authoritas inuenitur: in majoribus ſiquidem eſt regendi, in minoribus eſt obſequendi neceſſitas*. Idem in cap. Inferior. ead. diſt. ibi. *Unde Propheta ait: Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum, qui trabit eam. His itaque ex Divina Scriptura commemoratis Sole clarius exhibuimus non poſſe quemquam, qui minoris authoritatis eſt, eum, qui maioris eſt poteſtatis, iudicijs ſuis addicere, aut proprijs definitionibus ſubiugare*.

6. His tamen duobus Textibus directè non probatur Papæ ſuperioritas ſupra Concilium, ſed tantùm ſupra omnes Eccleſias: noſtra vera quæſtio nunc agitur de Papæ ſupra Concilium ſuperioritate. Nihilominus ex illa ſuper omnes totius orbis Eccleſias Summi Pontificis poteſtate bene arguitur etiā eiuſdem Pontificis authoritas ſupra Concilium etiam Univerſale, ut infra oſtendemus.

7. Quo ad primum Textum, in Sacro Canone deciditur, Papam habere juriſdictionem de jure Divino ſuper omnes, & non à Synodo aliqua; quod licèt directè tantùm probet juriſdictionem ſupra ſingulas Eccleſias totius orbis: arguitivè tamen probat etiam ſupra Concilium eam poteſtatem habere. Probatur conſequentia: quia licèt Concilium ſit omnes Eccleſiæ collectim: at quando in collectione viſitur eadem ratio, quæ in diviſione, à diviſis ad collecta optimè valet argumentatio: unde valet hæc argumentatio: quælibet creatura dependet à Deo: ergo omnes collectim ſumptæ dependent à Deo: nam per collectionem nō deſinunt eſſe creaturæ: pariter quælibet Eccleſia eſt ſubdita Summo Paſtori, tamquam oves illius: ergo omnes Eccleſiæ collectim ſumptæ ſunt ſubditæ Summo Paſtori Pontifici Romano; quia per collectionem non dimittunt eſſe oves Chriſti. In eodem Canone Romanam eſſe primam Sedem dicitur. Licèt autem ex hoc directè ſolum evincatur primam eſſe ſupra omnes omnium Eccleſiarum Sedem: adhuc tamen optimè arguitur Pontificem primam Sedem obtinere: nam adhuc in Concilio Univerſali eſt

Sum-

Summmus Paſtor; & ipſum Concilium habet rationem ovium Chriſti; & conſequenter Pontifex illud paſcere debet; quod eſt ſupra illud juriſdictionem obtinere: ergo non Concilium ſupra Papam, ſed Papa ſupra Conciliũ primam juriſdictionem, ſeu quod idem eſt, primam Sedem habet. Idem etiam probat prædictus Textus in cap. Inferior, 21. diſt. Quamvis autem in eo Textu de Ignatio ab Epiſcopis ope Imperatoris depoſito ſermo ſit; at ratio Textûs multò magis noſtrum caſum complectitur, ut bene conſideranti patebit.

8. Probatur 3. ex cap. *Nunc autem.* 21. diſt. ibi. *Marcellinus Epiſcopus Urbis Romæ, qui poſtea inſignis Martyr effectus eſt, adeò compulſus eſt à Paganis, ut templum eorum ingreſſus grana thuris ſuper prunas imponeret: Cuius rei gratia collecto vniuerſorum Concilio Epiſcoporum; & inquiſitione facta hoc idem Pontifex ſe egiſſe confeſſus eſt: nullus tamen eorum proferre ſententiam auſus eſt, dum ei ſæpiſſimè omnes dicerent: Tuo ore iudica cauſam tuam, non noſtro iudicio; & iterum: Noli audiri in noſtro iudicio: ſed collige in ſinu tuo cauſam tuam: & rurſus: quoniam ex te, inquiunt, iuſtificaberis; aut ex ore tuo condemnaberis: & iterum dicunt: prima Sedes non iudicatur à quoquam.* Habentur acta hujus Concilii tom. 1. Conciliorum. Hanc tamen tertiam probationem prætereo; tum quia de caſu Marcellini aliqui dubitant: tum quia licèt plures de eo jam non dubitent, vt bene contra Magdeburgenſes probat Bail to. 2. Concil. pag. 16. & ſeqq. ubi allegat Baronium in 2. editione probantem re melius conſiderata, verum fuiſſe Concilium; nihilominus non eſt certum hoc Concilium fuiſſe Univerſale: ac proinde quid mirum ſi non poſſet Summum Pontificem judicare: nam Adverſarii non aſſerunt per particulare Concilium poſſe Pontificem judicari. Adhuc tamen non eſt negandum, licèt Concilium particulare fuerit, multum favere noſtræ ſententiæ; quòd unum Concilium particulare decidat, & aſſerat primam Sedem à nemine judicari: nam verbum univerſale, Nemo, Nullus, denotat à nullo Concilio, neque particulari, neque univerſali primam Sedem judicari.

9. Probatur meliùs 4. ex cap. Patet. 9. qu. 3. ibi. *Patet profectò Sedis Apoſtolicæ (cujus authoritate majus non eſt) judicium à nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio, iuxta quod Innocentius Papa Ruffo, & cæteris Epiſcopis per Theſſaliam conſtitutis ſcribens ait: Nemo vnquam Apoſtolico culmini (de cuius iudicio non licet retractare) manus obuias audacter intulit.* Item Innocentius relatus in cap. Nemo. 9. q. 3. ibi. *Nemo iudicabit primam Sedem.* Symmachus relatus in c. Aliorum. ead. cauſa, & quæſt. ibi. *Aliorum hominũ cauſas Deus voluit per homines terminare, ſed Sedis iſtius Præſulem* (Romanum Pontificem) *ſuo ſine quæſtione reſeruavit arbitrio: voluit Beati Petri Apoſtoli Succeſſores Cœlo tantùm debere innocentiam.* Item Anterus Papa relatus in cap. Facta 9. q. 3. ibi. *Facta ſubditorum judicantur à nobis, noſtra verò à Domino judicantur.* Item Gelaſius Papa in cap. Cuncta. 9. q. 3. ibi. *Cuncta per mundum novit Eccleſia, quod Sacroſancta Romana Eccleſia fas de omnibus babeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio.* Idem habetur in cap. Cuncta 18. & in cap. Fratres 19. q. 3.

10. Ex his Sacris ab univerſa Eccleſia receptis Canonibus nota decidi. Primò authoritate Romani Pontificis, ſeu, quod idem eſt, Sedis Apoſtolicæ nihil eſſe maius. ibi. *Cujus authoritate maius non eſt.* Secundò ad nullum aliud iudicium ſupra Papam eſſe appellandũ. ibi. *Sedis Apoſtolicæ judicium à nemine fore retractandum &c.* Tertiò eum, qui velit à Papæ judicio ad quodcumque aliud tribunal cauſas deducere, manus inferre temerarias, & audaces. ibi. *Manus obuias audacter intulit.* Quartò primam Sedem à nemine poſſe judicari. ibi. *Nemo iudicabit &c.* Quintò Summum Pontificem non ab hominibus, ſed à ſolo Deo eſſe iudicandum. ibi. *Deus ſuo ſine quæſtione reſeruavit arbitrio.* Aut igitur errat Eccleſia hos Sacros Canones vniuerſaliter recipiendo; aut errant Aduerſarii affirmando ſententiam his Sacris Canonibus oppoſitam: Eccleſia Catho-

lica Summo Pontifici capiti ſuo unita non poteſt errare circa mores fidelibus proponendos, & dogmata fidei declaranda: ergo errant Adverſarij.

11. Probatur 5. ex Concilio Chalcedonenſi relato in cap. In tantum. 21. diſt. Ubi Sacroſanctum, & Univerſale Concilium obſtupuit, videndo quod eò audaciæ deveniretur, ut intentaretur ſententia ferri contra ſupremum totius Eccleſiæ Paſtorem Pontificem Romanum; & ideo damnavit Dioſcorum Patriarcham Alexandrinum; eò quòd auderet contra Leonem Papam proferre ſententiam, non examinante Concilio factum Leonis, utrum eſſet ille nocens, vel innocens; ſed ſolùm, *quia ponens in cælum os ſuum* (ſunt verba Concilii Univerſalis) *lingua ejus tranſeunte ſuper terram excommunicationis ſententiam in Sanctum Leonem Papam dictavit*. Ubi notanda ſunt graviſſima Concilii verba. *Ponens in Cælum os ſuũ*, quibus docere voluit circa Summum Pontificem Cœlo judicium reſervari; *& lingua ejus tranſeunte ſuper terram*; id eſt, cùm in terra nullus omnino ſit Judex, qui poſſit Papam judicare, ſcelerata illa, & audaciſſima effrenati hominis lingua audens Papam judicare ſe extulit ſuper terram ad Cælum uſque, cùm ſolius Cœli, & non terreni Judicis arbitrio cauſa omnis Summi Pontificis reſervetur. Videant igitur Aduerſarii; an velint nos plus ipſorum ſententiæ, quàm rectæ Sacroſancti, & Univerſalis Concilii definitioni aſſentiri.

12. Probatur 6. ex cap. Concilia, 17. diſt. ibi. *Epiſcopi verò in Synodo reſidentes congregata authoritate ejuſdem Symmachi dixerunt: Symmachus Papa Sedis Apoſtolicæ Præſul ab hujuſmodi oppoſitionibus impetitus, quantum ad homines reſpicit, ſit immunis, & liber; cujus cauſam totam Dei judicio reſervamus*; in quo Canone duo continentur. Primum quòd Epiſcoporum Concilium non niſi Papæ authoritate debeat congregari. Cui etiam concinit Canon cap. 4. Nec licuit. 17. diſt. Secundum quòd cauſa omnis Summi Pontificis Romani non ab humanæ poteſtatis arbitrio, ſed à ſolo cœleſti debeat imperio judicari. ibi. *Cujus (Papæ) cauſam totam Dei judicio reſervamus*. Nihilominus, cùm hoc Concilium ſit Provinciale, non videtur urgere Adverſarios, niſi in eo quòd Patres dicti Concilii proteſtantur Papæ cauſam totam Dei judicio reſervari.

13. Confirmatur ex cap. Dudum. 3. q. 6. ubi deciditur Papam eſſe caput Cõcilii, & Eccleſiarum. Reſpondent Adverſarii: ſi Petrus, ejuſque Succeſſor Pontifex Romanus eſſet Univerſalis Eccleſiæ caput; cùm etiam Chriſtus ſit ejuſdem Eccleſiæ caput; haberet Eccleſia duo capita; informeque evaderet monſtrum. Non ſatisfacit reſponſio: & eſt illegitima illatio: quemadmodum foret iſta. Chriſtus eſt fundamentum Eccleſiæ: ergo Apoſtoli non ſunt fundamenta; eſt conſequentia hæretica contra expreſſum textum Divi Pauli ad Epheſ. 2. ibi. *Eſtis cives ſanctorum, & domeſtici Dei ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum*. Deinde Chriſtus eſt Paſtor bonus Eccleſiæ juxta illud: *Ego ſum Paſtor bonus*: ergo Petrus non eſt Paſtor: eſt conſequentia hæretica contra apertum Textum: *Paſce oves meas*: ergo ſimiliter eſt inepta conſequentia. Chriſtus eſt caput Eccleſiæ: ergo Petrus non eſt Eccleſiæ caput. Et ratio à priori eſt: quia diverſo modo eſt caput Chriſtus, atque eſt Petrus: ſi conſideretur Eccleſia in ordine ad Chriſtum ſupremum altiori ordine caput; Petrus eſt membrum cum aliis fidelibus reſpectu Supremi Capitis Chriſti; ſi conſideretur Eccleſia in ordine ad Petrum ſupremum inferiori ordine caput, fideles omnes, & conſequenter univerſale Concilium, ſunt membra reſpectu capitis Petri: ſic prorex dicitur caput Regni, licèt Rex totius Regni ſit caput: Dux generalis exercitûs dicitur caput exercitûs, licèt ejuſdem exercitûs Rex ipſe, vel Imperator ſit caput: ſi hæc vellent conſiderare Baſileenſes, à Sacris Canonum, Conciliorum, & Scripturæ textibus non diſcederent.

14. Probatur 7. ex cap. Eſt aliud. 24. q. 1. ibi. *Mitte hamum, & eum piſcem, qui primùm aſcenderit, tolle*. Gloſſa recepta per hamum intelligit *juriſdictionem, qua Petrus præfuit aliis*. Itaque ſoli

Pe-

Petro, & non aliis Apoſtolis traditur primò Symbolicus ſupremæ authoritatis hamus; qua effulgeat ſuper omnes alios. Unde vel Concilium connumerari debet inter cæteros alios Chriſti fideles, vel non: ſi hoc ſecundum, non ſpectat ad Eccleſiam Chriſti; & ſic erit Synagoga Satanæ, & non Eccleſia Chriſti: ſi connumeratur inter cæteros alios: ergo Petrus præfertur illi; quia Petrus omnibus aliis præfertur: ut colligitur ex illis verbis: *Dixit Petro tolle hamum: per hamum intelligit juriſdictionem, qua Petrus præfuit aliis*.

15. Reſpondent Petrum præferri aliis ſingillatim, nō univerſim ſumptis: & negari non poteſt multa dici de ſingulis partibus, quæ de toto affirmari nullo modo poſſunt: ſic de omnibus partibus aſſeritur, quòd componant totum, de ipſo autem toto id dici non valet. Similiter, quodlibet peccatum veniale liberè poteſt vitari, omnia venialia collectim ſumpta vitari moraliter nequeunt. Ergo pariter licèt Summus Pontifex in ſingulas Eccleſias juriſdictionem obtineat, in totum ex illis complexum juriſdictionem habere nequit. Et ratio à priori eſt: quia Summus Pontifex verè eſt ſupra ſingulas Eccleſias ſingillatim; at ſupra omnes collectim jam includit Summum Pontificem, qui non eſt ſupra ſe. Verùm hæc reſponſio vana eſt. Quid enim ad noſtram facit quæſtionem, quòd ea, quæ conveniunt partibus ut partibus, non conveniant toti; quod quidem pars non eſt? an Epiſcopus, qui eſt ſupra ſingulas Parochias, non eſt ſupra illas ſimul ſumptas? Rex, qui eſt ſupra ſingulas Civitates, non eſt ſupra omnes ſimul ſumptas? pariter vaniſſima eſt ratio, quam putant à priori; & ex illa conſequeretur, neque etiam Chriſtum eſſe ſupra omnem Eccleſiam, ſimul ſumptam; quia etiam ut ſic includit Chriſtum, ut illius caput; qui non eſt ſupra ſe. Si dicant, ſemper caput ſumi debere, ut quid diſtinctum à membris; cur non dicetur Summum Pontificem debere ſumi, ut caput, tanquam quid à cæteris membris diſtinctum? Sed de hoc infra latiùs dicendum.

16. Probatur 8. ex cap. Hi, qui. 50. diſt. ibi. *Sed exemplo Beati Petri, qui poſtquam trinæ negationis maculas confeſſione diluit amoris, non ſolùm in gradu ſui Apoſtolatus remanſit, verùm etiam in Paſtorem totius Eccleſiæ à Chriſto inſtitui meruit*. In quo Sacro Canone clarè deciditur Petrum, & in Petro ejus legitimum Succeſſorem Pontificem Romanum eſſe caput, & Paſtorem totius Eccleſiæ. Huic Canoni reſpondent Baſileenſes; *totius Eccleſiæ*, ideſt, omnium Eccleſiarum. Bene: ergo idem eſt eſſe caput, & Paſtorem omnium Eccleſiarum; atque eſſe caput, & Paſtorem totius Eccleſiæ: ſed per illos Concilium eſt tota Eccleſia: ergo Summus Pontifex eſt caput, & Paſtor Concilii. Hæc conſequentia eſt adeò euidens, ut illam ſoli cœci non videant: & ſoli habenti talpæ oculos non innoteſcat.

17. Probatur 9. ex cap. Non decet. 12. diſt. ibi. *Non decet à capite membra diſcedere, ſed juxta Scripturæ teſtimonium, omnia membra caput ſequantur: nulli verò dubium eſt, quòd Apoſtolica Eccleſia Mater eſt omnium Eccleſiarum, à cujus regulis nullatenus vos convenit deviare: & ſicut Dei Filius venit voluntatem facere Patris ſui; ſic, & vos implete voluntatem Matris veſtræ, quæ eſt Eccleſia, cujus caput (ut prædictum eſt) Romana exiſtit Eccleſia*. In quo Sacro Canone duo præcipuè deciduntur. Primò Romanam Eccleſiam, ſeu quod idem eſt, Romanum Pontificē totius Eccleſiæ Catholicæ caput exiſtere. ibi. *Apoſtolica Eccleſia, cujus caput Romana exiſtit Eccleſia*. Secundum, ab ejuſdem Eccleſiæ regulis nullatenus nos debere deviare. ibi. *A cujus regulis nullatenus, &c.* Vel igitur Univerſale Concilium eſt Univerſa Eccleſia in ſe; vel partim in ſe, & partim per legatos abſentium fidelium: non poteſt enim Concilium alio modo dici tota, & Univerſalis Eccleſia: ſi ſumatur primo modo, eſt tota; ſi ſecundo modo, habet vices totius: ſed Sedes Romana, ideſt Romanus Pontifex, eſt caput totius Eccleſiæ: ergo Romanus Pontifex eſt caput Univerſalis Concilii. Huic Sacro Canoni ſic claro, & manifeſto PP. Baſileenſes non potuerunt reſpondere,

SECTIO II.

Eruuntur aliæ probationes ex Sacris Canonibus; quibus manifeſtatur Papam eſſe ſupra Concilium; & non Concilium ſupra Papam.

18. PRobatur ulterius vera noſtra reſolutio. Primò, quia ſi Concilium eſſet ſupra Papam, hic non poſſet revocare leges Concilii, ſicut Clerici inferiores non poſſunt revocare leges Epiſcopi; nec Epiſcopus leges Papæ: inferior enim non habet poteſtatem ſupra ſuum ſuperiorem cap. Inferior. 22. diſt. Sed Summus Pontifex revocare poteſt Concilii leges, ut patet ex cap. Non debet de Conſanguin. & affin. ubi Innocentius Papa revocavit ſtatuta, & leges matrimonii in generalibus Conciliis latas: ergo Concilium non eſt ſupra Papam, imò Papa eſt omnino ſupra Concilium. Huic rationi conantur reſpondere Baſileenſes duplici ratione; utràque tamen imbelli, & ſine nervo; prima eſt, Papam illam revocationem feciſſe non ex ſua, ſed ex Concilii poteſtate, & authoritate; & id colligunt ex verbis illis; *Sacri approbatione Concilii*. Sed ſi hæc Patrum illorum recta foret illatio, poſſent eadem ratione ferè Cardinales eſſe ſupra Papam; dum Pontifex multa ſępe diſponit hanc eandem exhibendo clauſulam, *Sacro approbante Cardinalium Collegio*; unde Papa Innocentius eo loco advertenter, non poſuit: *de mandato*, aut *ex commiſſione*, ſed *de approbatione Concilii:* nam mandatum ſolùm à Superiore, approbatio, interdum ab inferiori fieri ſolet. Inferior poteſt novam legem approbare; ſed non poteſt antiquam revocare; ut verè revocavit Pontifex; ut patet ex illis verbis Papæ. *Revocantes decernimus &c.*

19. Secunda illorum Patrum reſponſio non eſt minùs imbellis: dicunt enim, ſi Papa, & non Concilium leges Concilii revocet, & diſſoluat; eo ipſo verba Dei negare cenſeretur; juxta Papam Gregorium, in cap. Fraternitatis noſtræ. 35. q. 10. ibi. *Qui tam facilè, & tam velociter quærit diſſolvere, hic non credit verbum Dei in æternum manere.* Sed hic Sacri Canonis gladius ferit ipſos Baſileenſes: Nam (quod eſt contra illorum ſententiam) nec ipſum Concilium poſſet leges Concilii revocare, quia revocando negaret verbum Dei in ęternum manere, quod neque Concilio licitum eſt. Ut verò percipiatur germanus, veruſque Sacri Canonis intellectus; Nota diligenter; duobus modis poſſe conſiderari antiquarum legum, diſpoſitionumque revocationem. Primo modo quando diſpoſitio, ſeu definitio à Conciliis, vel à Papa extra Concilium facta definit aliquid fuiſſe à Deo reuelatum, & illud proponit, ut dogma Fidelibus credendum: & hoc modo, neque Concilium, neque Papa poſſunt revocare illam definitionem, ac diſpoſitionem: quia eo ipſo dogma fidei deſtruerent; negarentque verbum Dei in æternum manere; dicerentque divinam authoritatem fallibilem, quod eſt manifeſta hæreſis contra Sacram Scripturam. *Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt*; & in hoc ſenſu intelligi debent Divi Gregorii verba. ibi. *Qui quærit diſſolvere, hic non credit verbum Dei in æternum manere.*

20. Secundo modo, quando decurſu temporis ex advenientibus diverſis rerum circumſtantiis, minùs commoda redditur conſtitutio, quæ olim commoda, juſtaque, ac rationabilis erat, & ſic poteſt rectiſſimè revocari, non à quocumque, ſed à Papa, ſive ab illius Succeſſore, ſi lex ſit pro tota Eccleſia; ſiue ab Epiſcopo, ejuſque Succeſſore, ſi pro ſua diœceſi Lex particularis ſit. Ita Gloſſa in dicto cap. Fraternitatis. ibi. *Qualiter ergo Innocentius diſſolvit? cùm tamen Gregorius dicat: qui diſſolvit, negat verba Dei in æternum manere? Hoc* (progreditur gloſsa) *intellige ſine cauſa; vel ab alio, quàm à Succeſſore*; Succeſſor autem Papæ, eſt Papa; non autem Concilium. Igitur Papa eſt, qui revocat, quando etiam de Sacri approbatione Concilii dicitur revocare; nunquam tamen de ipſius commiſſione, mandatove: quia non Concilium

Pa-

Papâ, ſed Papa Concilio Superior eſt.

21. Confirmatur 1. ex cap. In iſtis. diſt. 4. ubi Gloſſa ſic inquirit: *Nunquid potius ſtabitur ſententiæ Apoſtolicæ, vel omnium Epiſcoporum?* & reſpondet: *Dicas, quòd ſententiæ Apoſtolicæ ſtabitur contra omnes contrarium decidentes.* In hoc à Gloſſa caſus iſte figuratur: Univerſale Concilium Epiſcoporum contra Titium ſententiam protulit: hic ad Papam recurrit, qui pro Titii favore ſententiam pronuntiavit: cui ergo ſententię ſtabitur? Apoſtolicæ? an ſententiæ omnium Epiſcoporum? & reſpondet Gloſſa ab omnibus recepta per hæc verba: *Dicas, quòd ſententiæ Papæ ſtabitur contra omnes:* ergo licèt in eo Concilio omnium Epiſcoporum judicium interveniat; contra illos omnes, Papæ ſententiæ ſtandum eſt: niſi Papa aliquid contra apertam fidem diſponeret; ut notat ibi Gloſſa, & nos infra ſuo loco diſceptabimus.

22. Confirmatur 2. ex cap. Bene quidem. 96. diſt. ubi deciditur nullum Concilium ſine authoritate Papæ valere, & ex cap. Cùm beatiſſimus. 24. q. 1. ibi. *Cùm Beatiſſimus Petrus à Domino acceperit Principatum, & Romana Eccleſia in ejus permaneat inſtitutis.* Et ex cap. Si Petrus. 24. q. 1. Ubi declaratur myſterium, quare Malchi aurem ſolus Petrus amputaverit. Ratioque ibi inſinuatur, quia, videlicet, per aurem auditus fidei intelligitur juxta illud: Fides ex auditu, auditus verò per verbum Dei. Per Malchum autem Infideles, & hæretici denotantur: igitur à ſolo Petro, ejuſque Succeſſore Pontifice Romano infidelitas ex data illi à Chriſto poteſtate, vel per ſeipſum, vel per poteſtatem ejus habentes curatur. Item ex cap. Quis neſciat. 11. diſt. Ubi dicitur omnes omnino Eccleſias à Petro quidem ortum habuiſſe: ubi etiam gloſſa aſſerit D. Paulum à D. Petro authoritatem accepiſſe; quod bene colligitur ex illis verbis: *Segregate mihi Saulum, & Barnabam.* Ex cap. Petrus. 2. q. 7. ibi. *Petrus poteſtatem regni acceperat, & tandem Apoſtolorum primus querimoniæ contra eum à Fidelibus factæ, cùm ad Gentes intraſſet,* non ex poteſtate officii (*quâ poſſet dicere: oves Paſtorem ſuum non accuſent, nec reprehendant &c.*) Ubi manifeſtè ſupponit, oves, quales ſunt ipſum etiam Concilium, ſuum Paſtorem accuſare, judicare, punireque non debere; imò neque objurgare, niſi fortè inſtar filii non ex juridica poteſtate, ſed ex filiali fiducia patrem reverenter monentis.

23. In adductis ſupra Canonum Textibus tria præcipuè deciduntur, vel ſupponuntur. Primum Petri, & eum repræſentantis Pontificis Romani poteſtas à Chriſto ſupra Regnum Eccleſiaſticum immediatè accepta, ibi. *Petrus à Domino accepit Principatum.* Petrus poteſtatem regni acceperat. Secundum, omnes Eccleſias à Petro ſuam originem traxiſſe, ibi. *Oportet eos hoc ſequi, quod Eccleſia Romana cuſtodit, à quo principium eos accepiſſe non dubium eſt.* dicto cap. Quis neſciat. 11. diſt. Tertium quòd, quæcumque ſint oves Petri Supremi Paſtoris, Romanique Pontificis, Petri Cathedram, ſceptrumque tenentis, illum judicare non poſſint, ibi: *Oves Paſtorem ſuum ſequantur &c.* Ex quibus ſic formo dilemma. Vel, quando Univerſa Eccleſia eſt in Concilium congregata, Romanus Pontifex, qui quidem eſt Poteſtate Petrus, in Petrique Principatum ſucceſſit; amiſit ſuum Principatum, vel adhuc illum retinet; ſi illum amiſit, quis eum tali Principatu ſpoliavit? qua vi? qua humana potentia? Si verò illum adhuc retinet, ut verè retinet; omnes hi fideles hùc congregati eum ut ſuum Principem, Supremumque Paſtorem recognoſcere debent; à quo ſuam omnem juriſdictionem acceperunt. Suum ergo Principem ſubditi, ſuum Regem Prorex; qui ab eo Principe, Regeque ſuam omnem juriſdictionem acceperant, judicabunt?

24. Probatur 4. quia de fide ſancitum eſt Eccleſiam Romanam, ſeu, quod idem eſt, Romanum Pontificem in univerſâ prorſus Eccleſia Principatum obtinere, ejuſdemque Eccleſiæ caput eſſe Supremum; & ſuper illam ſupremam, ordinariamque juriſdictionem habere: ergo Concilium quamvis legitimum, uni-

univerſaleque, nullam ſupra Pontificem Romanum juriſdictionem habere poteſt. Antecedens conſtat 1. ex cap. Sacroſancta. 22. diſt. ibi. *Sacroſancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino, & Salvatore noſtro Primatum obtinuit, ſicut Beato Apoſtolo Petro dixit: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meã.* 2. ex cap. Omnes. 22. diſt. ibi. *Illam verò* (Eccleſiam Romanam) *ſolus ipſe fundavit, & ſupra petram fidei mox naſcentis erexit, qui Beato Petro æternæ vitæ clavigero terreni ſimul, & Cœleſtis Imperii jura commiſit.* 3. in cap. De Conſtantinopolitana. 22. diſt. eadem veritas definitur. 4. Octava Synodus in cap. Definimus. 22. diſt. Romanæ Sedis Primatum definit, & Concilium generale relatum in cap. Antiqua, de Privilegiis definit primò, Eccleſiam Romanam de jure Divino ſuper omnes alias Eccleſias poteſtatis ordinariæ Principatum habere. Secundò, illam eſſe Matrem univerſorum Chriſti fidelium, & Magiſtram. Poſt Eccleſiam autem Romanam primum locum Eccleſiam Conſtantinopolitanam, ſecundum Alexandrinam, tertium Antiochenam, quartum Hieroſolymitanam habere declarat. Item omnes has quatuor Patriarchales Sedes à Romano Pontifice pallium, quod eſt plenitudinis officii Pontificalis inſigne accipere debere definit; eidemque Romanæ Sedi omnes alias parère debere. Præterea omnes iſtos quatuor Patriarchas ſuis Archiepiſcopis ſuffraganeis pallium dare poſſe; quibus, ut Pontifici Romano obedientiam ſpondeant, præcipiatur. Item ut quatuor ipſi Patriarchæ, ubicunque commorentur, Crucis vexillum ante ſe portare poſſint, excepto Romæ, vel ubicunque Papa ſit. Tandem, ut ad ſuos Patriarchas, & omnes generatim ad Summum Pontificem Romanum provocare poſſint.

25. Quintò definitur hæc veritas à Concilio Florentino ſub Eugenio Papa quarto, anno Domini 1439. Pontificatus ſui anno 9. in hunc modum. *Item definimus Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere Primatum, & ipſum Pontificem Romanum Succeſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, & Doctorem exiſtere, & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſam Eccleſiam à Domino Noſtro JESU Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam in Geſtis Oecumenicorum Conciliorum in Sanctis Canonibus continetur.* Tandem tradita in Sacris Canonibus de ordine præcedentiæ quatuor Patriarcharum decreta renovat juxta formam ſupra relatam. Eandem veritatem definit, ſupponitque Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 2. de Reform, dum omnibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, omnibuſque aliis Chriſti fidelibus præcipit, ut Romano Pontifici, prælato, Paſtorique ſuo Supremo pareant. Item ſeſſ. 25. cap. 21. de jejuniis, & ſeſt. & ſeſſ. 7. Can. 3. de Baptiſmo ſeſſ. 22. cap. 8. & ſeſſ. 14. cap. 3. de Sacram. Extremæ Unctionis; in quibus Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum toto orbe Matrem appellat; in omnibuſque illam tenere primatum ab ipſo Domino Saluatore noſtro ipſi conceſſum profitetur.

26. Ex his omnibus perſpicuum eſt Pontificem Romanum Supremum eſſe Paſtorem, ac totius univerſalis Eccleſiæ Judicem, in illamque pleniſſimam poteſtatem, juriſdictionemque habere, dogma eſſe de Fide: ſed hæc univerſalis Eccleſia, quando in vniverſale Concilium congregatur, Eccleſia univerſalis eſſe non definit: ergo hanc Pontifici Romano ſubjectionem non amittit; & conſequenter Eccleſia, etiam dum eſt in Concilium congregata, Romano eſt Pontifici ſubjecta. Hæc conſecutio adeò perſpicua eſt; ut optimus quiſque, ſanæque mentis Theologus mirari debeat, aliquos eſſe Theologos contrarium ſentientes.

27. Probatur 5. ex cap. Rogamus. 24. q. 1. quod eſt ex Marcello Papa. ibi: *Ipſe enim* (Petrus, ejuſque Succeſſor Pontifex Romanus) *eſt caput totius Eccleſiæ; cui ait Dominus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: ejus enim ſedes primitus apud nos* (An-

(Antiochenos) fuit, quæ poſtea, jubente Domino, Romam translata eſt; cui (adminiculante gratia divina) hodierna præſidemus die: Si verò veſtra Antiochena, quæ olim prima erat, Romanæ ceſſit Sedi; nulla eſt, quæ ejus non ſit ſubjecta ditioni, neque ab ejus diſpoſitione vos deviare oportet, ad quam cuncta majora Eccleſiaſtica negotia (divina diſponente gratia) juſſa ſunt referri, ut ab ea regulariter diſponantur, à qua ſumpſere principia.

28. Item ex Cypriano relato in cap. Loquitur Dominus. 24. q. 1. ibi. *Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi: quia tu es Petrus; & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Super unum ædificat Eccleſiam: & quamvis Apoſtolis omnibus ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum Sanctum; tamen, ut unitatem manifeſtaret; unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem autboritate ſua diſpoſuit.* Et infra, *banc Eccleſiæ unitatem, & Beatus Paulus docet, & Sacramentum unitatis oſtendit, dicens: Unum corpus, & unus ſpiritus, & una ſpes vocationis noſtræ, unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus.* Et inferiùs. *Eccleſia una eſt, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcũditatis extenditur: quomodo multi radij ſunt; ſed unum lumen; & rami arboris multi ſunt, ſed robur unum radice tenaci fundatum: & quomodo de fonte uno rivi plurimi defluunt, & numeroſitas licèt diffuſa videatur exundantis copiæ largitate; unitas tamen ſervatur integra in origine. Avelle radium Solis à corpore, diviſionem unitas non capit: ab arbore frangeramum, fractus germinare non poterit: à fonte præſcinde riuum, præciſus areſcit: ſic, & Eccleſia Dominii luce perfuſa per totum orbem radios ſuos porrigit, unum tamen eſt, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur: ramos ſuos per univerſum orbem copia ubertatis extendit: profluentes largitur rivos, ramos latiùs expandit; unum tamen caput eſt, & una Mater copioſæ fœcunditatis.*

29. In primo ſacro Canone tria magna cum verborũ elegantia deciduntur. Primò. Primam Sedem Petri ejuſq; Succeſſoris Pontificis Romani de jure Divino Caput eſſe totius Eccleſiæ Univerſalis, ibi: *Petrus eſt Caput totius Eccleſiæ, cui Dominus dixit, &c.* Secundò hanc Sedem primò Antiochiæ, poſtea Romam ex juſſu Chriſti fuiſſe translatam, ibi: *jubente Domino Romam translata eſt.* Tertiò omnes alias totius Orbis Eccleſias ab iſta Romana, & Apoſtolica Sede principia, poteſtatemque juriſdictionis ſumpſiſſe, ad illamque majora negotia debere referri, ibi: *Ad quam cuncta majora negotia &c.* Ex quo ſequitur primò: licèt univerſæ totius Chriſtiani orbis Eccleſiæ congregentur, ſi Petrum, ejuſque Succeſſorem Pontificem Romanum, ut Caput ſuum non recognoſcant, Synagogam Satanæ, non Chriſti Eccleſiam eſſe. Secundò: non ab Eccleſia Petrum, ejuſque Succeſſorem Romanum Pontificem, ſed à Petro, ejuſque Succeſſore Eccleſiam omnem ſuam juriſdictionis poteſtatem habere; datam quidem Petro immediatè per Chriſtum; & Eccleſiæ immediatè per Petrum, ſeu per Pontificem Romanum Petri legitimum Succeſſorem; ſic *jubente Domino, ſic Divina gratia diſponente.*

30. In ſecundo Canone duo præcipuè continentur. Primum: ex jure Divino per ordinem ad unum principiũ, & originem, videlicet, Petrum, ejuſque ſucceſſorem Pontificem Romanum perfectam Eccleſiæ unitatem mirificè commendari, ibi: *Super unum ædificat Eccleſiam, &c.* Secundum: hanc perfectam Eccleſiæ unitatem mira quadam concinnæ ſimilitudinis elegantia declarari. Primò per modum Solis effundentis radios. Secundò inſtar fontis emittentis rivos. Tertiò inſtar arboris expandentis ramos: unde ſicut radii à Sole, rivi à fonte, rami ab arbore vigorem accipiunt; ita Chriſti Eccleſia ex Divina diſpoſitione à Petro, ejuſque Succeſſore Pontifice Romano firmum ſuæ juriſdictionis vigorem accipiet. Vel igitur univerſale Concilium hunc à Petro, ejuſque Succeſſore vigorem, juriſdictionemque ſaltem actualem, ac expeditam accipit, vel non; ſi non accipit, Chriſti Eccleſia non eſt; quia Chriſti Eccleſia ex Divina diſpoſitione à Petro,

ejuſque Succeſſore, ut à ſuo principio, & origine debet incipere, ut dictum eſt. Si accipit, Petrum, ejuſque Succeſſorem Pontificem Romanum judicare nō poterit; ſicut Prorex Regem, à quo juriſdictionem accipit, judicare non poteſt. Dixi, ſaltem, *actualem, & expeditam*; ut nunc ab illa quæſtione præſcindam, utrum Epiſcopi ſuam juriſdictionem immediatè à Chriſto habeant, de quo videri poteſt Suarez de Pœnit. diſp.35.ſect.1. nu.2.& 3. ubi refert duas ſententias, primam, quæ aſſerit juriſdictionem Epiſcopis à Chriſto immediatè promanare; & pro hac citat Majorem, Sotum, Petrum de Soto, Victorem, Caſtrum. Secundam, quæ aſtruit juriſdictionem Epiſcopis immediatè à Pontifice Maximo provenire, & pro hac tanquam veriori allegat D.Thomam, Turrecrematam, Caetanum, Jacobatium, Medinam, Cordubam, Gabrielem, Durandum, Henricum, & omnes ferè Doctores, illis ſupra citatis, & paucis aliis exceptis, hanc ſecundam ſubſtinent, ut nos vidimus in Tractatu de Caſibus reſervatis, & latiùs idem Suar. tom. 5. de Cenſur.diſp.1.ſect.1. Quare ſive primam minùs communem, ſive ſecundam communiorem, verioremque ſententiam amplectamur, ſemper Epiſcoporum omnium juriſdictio, vel quo ad expeditum, actualeque regiminis exercitium, vel quoad ſuam primævam radicem, originemque à Romano Pontifice Petri legitimo ſucceſſore dependet.

31. Confirmatur 1. ex cap.Pudenda rapina. 24. q.1. ubi dicitur nullam eſſe Eccleſiam, niſi quæ in Apoſtolica Petri, ejuſque Succeſſoris Pontificis Romani radice fundatur. ibi. *Cùm Eccleſia una ſit... nullam aliam eſſe conſtat, niſi quæ in Apoſtolica radice eſt fundata.* Secundo ex cap.Ita Dominus. 19.diſt. ibi. *Hunc enim* (Petrum) *in conſortium individuæ unitatis aſſumptum, id, quod ipſe erat, voluit nominari dicendo*: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; *ut æterni Templi ædificatio mirabili munere gratiæ in Petri ſoliditate conſiſteret*. Tertiò ex cap.Fundamenta. de elect. in 6. ibi: *Hujus autem muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum voluit officium pertinere, ut in Beato Petro Apoſtolorum omnium Summo principaliter collocaret, ut ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet: hunc enim* (Petrum) *in conſortium individuæ unitatis aſſumptum, id, quod ipſe erat, Dominus voluit nominari, dicendo*: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, *ut æterni Templi ſtructura, Deo ædificante, constructa mirabili munere gratiæ Dei, in Petri conſiſteret firmitate*,

32. Probatur 4. quia nullum Concilium quicquam vigoris habere valet, niſi à Summo ſit Pontifice approbatum. Quo pacto ergo Concilium Pontifici, & non potius Pontifex Concilio vires præſtabit? Antecedens patet. Primò ex cap. Synodum. 27. diſt. ibi: *Synodum Epiſcoporum abſque hujus Sedis Romanæ autoritate* (*quanquam quoſdam Epiſcopos poſſitis congregare*) *non poteſtis regulariter* (id eſt juxta Regulas, ex cap.Multis. 17. diſt.) *facere*. ubi Gloſſa lit. C. explicat, videlicet, Synodum generalem, & Archidiac. in additionibus, vel etiam Provincialem ad aliquid generaliter ſtatuēdum. Secundò ex Julio Papa ad Orientales relato in cap. Regula. 17. diſt. ibi: *Regula veſtra nullas habet vires, nec habere poterit; quoniam neque ab orthodoxis Epiſcopis Concilium actum eſt, nec Romanæ Eccleſiæ Legatus interfuit, Canonibus præcipientibus ſine ejus autoritate Concilia fieri non debere, nec ullum ratum eſt, aut erit unquam Concilium, quod ejus non eſt fulcitum autoritate*. Tertiò ex Gelaſio Papa relato in cap. Multis. 17. diſt. ibi: *Multis denuo Apoſtolicis, & Canonicis, atque Eccleſiaſticis inſtruimur regulis non debere abſque ſententia Romani Pontificis Concilia celebrari. Quapropter, ut jam dictum eſt, rectè non Concilium, ſed conuenticulum veſtrum caſſatur, & quicquid in eo actum eſt, irritum habeatur, & vacuum. Vos quoque deinceps videte, ut nullius hortatu talia præſumatis, ſi Apoſtolicæ Sedis communione carere non vultis. Si verò in qualibet Provincia ortæ fuerint quæſtiones, inter ipſos Provinciæ Epiſcopos diſcrepare cœperit ratio, atque inter ipſos diſſidentes non conveniat, ad majorem*

tunc

tunc Sedem referantur; & ſi illis quidem facilè, & juſtè non diſcernantur, ubi fuerit Synodus regulariter congregata, canonicè, & juſtè judicentur. Majores verò, & difficiliores quæſtiones (ut Sancta Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit) ad Sedem ſemper referantur Apoſtolicam.

33. Quartò ex Papa Symmacho relato in cap. Concilia. 17. diſt. ibi. *Concilia Sacerdotum Eccleſiaſticis legibus, quotannis decreta per Provincias, quia præſentiam Papæ non habent, valetudinem perdiderunt*. Ubi ait Gloſſa. ibi: *Nota, quòd aliquis dicitur perdere, quod nunquam habuit*. Quod eſt juxta cap. Quia. 5. q. 6. Ubi Subdiacono, qui crimen Diacono impoſuit, & non probavit, præſcribitur, ut Diaconatum, quem tamen adhuc non habet, amittat. Quintò, quia convocare Concilia generalia eſt ſpecialiſſimum Romanæ Sedis inſigne, ut ex prædictis, aliiſque paſſim Canonibus evincitur; *id* autem, quod Sedi Romanæ ſpeciale eſt, nulli alteri conceditur. cap. Huic ſoli Sedi. 17. diſt. ibi, *Huic ſoli Sedi conceſſa nullus uſurpare ſine ejus conſultu præſumat*. cap. Quod translationem, de offic. Legati. ibi. *Ad ea tamen ſine ſpeciali mandato noſtro non debuiſti manus extendere, quæ in ſignum privilegii ſingularis ſunt tantùm Summo Pontifici reſervata*.

34. Ex præfatis ſupra Canonibus liquidò patet non poſſe Concilium, etiam generale, ſupra ſupremum Catholicæ Eccleſiæ Præſulem Pontificem Romanum ullam juriſdictionis poteſtatem obtinere. Implicat enim manifeſtè non poſſe eſſe Concilium ſine Papæ conſenſu, & poſſe ſine ejus conſenſu ſupra Papam eſſe. An ne eſſet dependens à conſenſu Papæ Concilium, ſi Concilium ſupra Papam coactivam poteſtatem haberet? an conſenſui coactio non adverſatur? igitur vel Concilium à cõſenſu Papæ non pendet, quod quidem Sacris Canonibus adverſatur; vel negare oportet Concilium coactivam in Papam juriſdictionem exercere poſſe.

35. Probatur 5. ex cap. Manet. 24. q. 1. ibi: *Nihil erit ligatum, aut ſolutum, niſi quod Beatus Petrus, aut ligaverit, aut ſolverit*, & explicat Gloſſa, *Petrus*, ideſt, *ejus authoritas*, quæ certè in Petri Succeſſore Pontifice Romano tota ſervatur. Item ex cap. Quodcunque. 24. quæſt. 1. ibi. *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum, & in cælis. Si hoc Petro tantùm dictum eſt; non hoc facit Eccleſia: Si autem in Eccleſia fit; utique quæ in terra ligantur, ligata ſunt in Cœlo &c.* Dices. In eodem textu dicitur cùm Claves Petro traditæ ſunt, Petri nomine Eccleſiam ſignificari: ergo Eccleſia clavium poteſtatem habet etiam ſupra Papam. R. verba Auguſtini in eo textu relata nihil aliud ſignificare, quàm quòd clavium poteſtas non in ſola Petri perſona finiretur; ſed illam in Eccleſia poſt obitum Petri manere; Primò in Petri Succeſſore Pontifice Romano, à quo demum Eccleſia ipſa, videlicet, Sacerdotes, & Epiſcopi eam clavium poteſtatem comparticiparent. An vellet Chriſtus regnum ſuum aliter, atque produxerat, conſervare? dum primò fuit inſtitutum, voluit, ut membra capiti ſubjacerent; cùm verò in Petri Succeſſoribus idem regnum continuatur, vellet, ut membris caput ſubderetur? quis diceret Regnum eſſe Chriſti; ſi diverſum jam ab eo, quod Chriſtus inſtituit, compareret?

36. Conciliabuli Baſileenſis Patres verba illius Canonis corrupère, ut ad pravum ſuum ſenſum detorquerent: unde ſublata fraudulenter illa particula, *Tantùm*, legerunt ſic: ſi Petro dantur claves, Eccleſia non ligat: ſed Eccleſia ligat: ergo claues Petro non dantur. Cum verò viderent conſecutionem illam Sacræ Scripturæ adverſari, ex qua clariſſimè conſtat Petro claves traditas à Chriſto fuiſſe; reſpondebant in Petro Eccleſiam ſignificari: atque adeò Petro, ut Eccleſiæ, & non Petro, ut Petro claves à Chriſto fuiſſe datas. Verùm Baſileenſes non debuerant nomen illud; *Tantùm*, à Sacro Canone tollere; ſicque à veritatis ſcopo non aberrarent: tunc enim optimè ſenſus reddebatur: nam Auguſtini eo capite relati ſenſus hic eſt. Si Petro tantùm claves dantur; Eccleſia non ligaret: ſed Eccleſia ligat: ergo non ſolùm Petro claves poteſtatis traduntur; at hoc quid ad noſtram quæſtionem?

nem? an nos dicimus cum ſola Petri vita claves poteſtatis finiri? an illi fuiſſe datas, quia talis perſona erat, & non quia ſupremus erat Paſtor illam poteſtatem clavium aliis inferioribus à ſe paſtoribus communicaturus? deducent ne Baſileenſes; quia Petrus ſupremus ovium Paſtor, communicaturus erat illis inferioribus in tota Eccleſia Paſtoribus clavium poteſtatem, inferioribus illis Paſtoribus Petrum eſſe ſubjectum? quo pacto igitur deducent Pontificem Romanum, qui in poteſtate eſt Petrus, communicantem aliis à ſe paſtoribus inferioribus claves juriſdictionis, eiſdem inferioribus totâ Eccleſiâ Paſtoribus ſubjectum eſſe?

37. Verum quidem eſt Divum Petrum dupliciter ibi ex Auguſtini mente deſumi. Primò hiſtoricè, & in propria perſona, & in Succeſſoribus Pontificibus Romanis. Secundò parabolicè, & in nomine Eccleſiæ, cujus caput myſticè conſtituebatur. Quoad primum claves Petro, & in eo Succeſſoribus tradebantur. Quoad ſecundum claves tradebantur Eccleſiæ, ſive Sacerdotibus Eccleſiæ, per derivationem Capitis ad membra, ideſt per Romanam Sedem Petri ad cæteras alias totius Orbis Eccleſias ab illo primo fonte Petro prognatas. Unde licèt in Juda parabolicè mali, hæreticique ſignificarentur; ut inquit ibi Textus: *In Judæ perſona ſignificati ſunt mali in Eccleſia*; tamen hiſtoricè, & in propria perſona ab illo fuit Chriſtus ſacrilegè traditus. Ergo pariter, licèt in Petro parabolicè boni in Eccleſia ſignificati eſſent; ut etiam ibi ait Textus: *In perſona Petri ſignificati ſunt in Eccleſia boni*; tamen hiſtoricè, & in propria perſona Petro à Chriſto claves totius Eccleſiæ traditæ ſunt.

38. Ex prædictis ſupra Canonibus clariſſimè conſtat omnem juriſdictionē, claviumque poteſtatem Petro, & in ipſo cæteris Succeſſoribus Pontificibus Romanis fuiſſe à Chriſto datam; & à Petro ejuſque Succeſſoribus toti Eccleſię communicatam; ſic diſponente Domino, ad perfectiorem ſuæ Eccleſiæ unitatem, regimenque. Unde ſic inexuperabile quidem conficitur argumentum. Ut Eccleſia, ſeu illam repræſentans Concilium poteſtatem ſupra Petrum, ejuſque Succeſſorem Pontificem Romanum haberet; illam ab alio habere certè deberet; neque enim illam à ſe poteſt habere: Si ergo ab alio, vel illam habet immediatè à Petro, vel immediatè à Chriſto non communicatam per Petrum. Si Eccleſia juriſdictionem habet immediatè à Petro, ejuſque Succeſſore Pontifice Romano, certè illis erit inferior: quo pacto igitur Eccleſia, eamque repræſentans Concilium poteſt eſſe ſupra Petrum, ejuſque Succeſſorem Pontificem Romanum? Si dicant Eccleſiam juriſdictionem ſuam accipere immediatè à Chriſto, & non à Summo Pontifice Petro; ejuſque Succeſſore: ergo errarunt illa Concilia, & Canones; ex quibus conſtat omnes Epiſcopos totius Univerſalis Eccleſiæ quoad ſuam juriſdictionem exercendam Summo Pontifici ſubordinari.

SECTIO III.

Proponuntur aliæ probationes ex Sanctis Patribus Græcis, & Latinis.

39. CUm evidens ſit argumentum, ex eo, quòd Summus Pontifex Supremus omnium in terris hominum Judex ſit; non poſſe ulli hominum judicio tanquam Superiori ſubeſſe; ideo ſatis erit primum comprobare, ut ſecundum maneat comprobatum. Probatur igitur Summum Pontificem omnium in terris ſupremū eſſe Judicem; & in materiis ſpiritualibus arbitrum: in temporalibus enim ſolùm in ſuo ſtatu temporali, ſicut cœteri alii Reges, temporalem habet poteſtatem. Probatur, inquam, ex Patribus. Primò ex Divo Ignatio ad Romanos ſcribente. *Ignatius Eccleſiæ ſanctificatæ, quæ præſidet in regione Romanorum.* Ideſt, quæ exiſtens Romæ cæteris totius orbis Eccleſiis præſidet; prout Authores hunc locum D. Ignatii communiter intelligunt. Secundò ex Divo Irenæo lib. 3. cap. 3. ibi. *Maximæ, & Antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ,*

& con-

& conſtitutæ Eccleſiæ, eam, quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annuntiatam omnibus fidem per ſucceſſionem Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos, indicantes confundimus eos, qui quoque modo, vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cœcitatem, & malam ſcientiam, præter quam oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam; hoc eſt, eos, qui ſunt undique fideles; in qua ſemper ab his, qui ſunt ubique fideles, conſervata eſt ea, quæ ab Apoſtolis eſt traditio.

40. In hoc verè aureo tanti Doctoris eloquio Suprema Romanæ Eccleſiæ, Romanique Pontificis prærogativa clariſſimè comprobatur. Primò, quòd illa ſit omnium antiquiſſima. ibi. *Maximæ & antiquiſſimæ &c.* A Petro ut proprio Epiſcopo, & à Paulo, ut ejus coadiutore fundata, conſtitutaque. Secundò, quòd illa ſit ſtabilis, firmaque Regula, per quam confundimus eos, qui ab ea deflectunt, ſive ex cœca ignorantiæ caligine, ſive ex vanæ gloriæ vento, ſive ex prava ſui complacentia. ibi. *Eam, quam habet ab Apoſtolis traditionem indicantes, confundimus eos &c.* Tertiò neceſſarium omnino eſſe omnes alias Eccleſias ad hanc Romanam Eccleſiam propter potentiorem Principatum recurrere. ibi. *Ad hanc Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſè eſt convenire.* Quartò, quòd in hac Romana Eccleſia puritas noſtræ fidei ab Apoſtolis tradita ſemper fuit conſervata. ibi. *In qua ſemper &c.*

41. Probatur 2. ex Epiphanio hæreſi 68. ibi. *Urſatius, & Valens pœnitentiâ agentes una cum libellis profecti ſunt ad Beatum Julium Romanum Epiſcopum pro ratione reddenda de ſuo errore, ac delicto.* Cur igitur ad Romanum Pontificem pro delicti ſui ratione reddenda convenirent, ſi cæterorum Judex, caputque Romanus Pontifex non eſſet? Tertiò ex Athanaſio, qui in ſecunda Apologia eoſdem ſuprà Epiſcopos à Beato Julio veniam petiviſſe teſtatur. & in Epiſtola ad Papam Felicem. ibi. *Ob id vos, Prædeceſſoreſque veſtros, Apoſtolicos videlicet Præſules in ſummitatis arce conſtituit, omniumque Eccleſiarum curam habere præcepit, ut nobis ſuccurratis &c.* Et in libro de ſententia Alexandrini Epiſcopi Dionyſii. ibi. *Quidam ex Eccleſia rectè quidem ſentientes, ſed ignari ejus cauſæ, cur ita ab eo ſcriptum eſſet, Romam aſcenderunt, ibique eum apud Dionyſium Romanum Præſulem accuſaverunt.* Orientales Epiſcopi, Alexandrinuſque Patriarcha non accuſarentur apud Pontificem Romanum, ſi Judex hic Supremus non agnoſceretur.

42. Probatur 4. ex D. Joanne Chryſoſtomo epiſt. 1. ad Papam Innocentium ibi. *Obſecro, ut ſcribas, quòd hæc tam iniquè facta, non habeant robur; illi autem, qui iniquè egerunt, pœnæ Eccleſiaſticarum legum ſubjaceant.* Et Epiſt. 2. ad eundem. ibi. *Perpetuas vobis gratias agimus, quòd paternam erga nos benevolentiam declaraſtis &c.* Theophilus cum Concilio Epiſcoporum Chryſoſtomum ab Epiſcopatu ſuo Conſtantinopolitano iniquè depoſuerat, Sanctus autem Doctor ad Papam Innocentium recurrit, ut Theophilum puniret, ſeque ſuæ Sedi reſtitueret; quod fecit Innocentius iniquam Epiſcoporum ſententiam revocando. Sanctiſſimus verò Patriarcha volens Adverſariorum injuriis parcere; ab eodem Pontifice Innocentio, ut eos inimicos ſuos, quamvis id ipſi meruerint, excommunicationis gladio non percelleret, efflagitavit. *Veſtram*, inquit, *oro vigilantiam, ut licèt omnia tumultibus impleverint, ne affligantur, neque è cœtu eiiciantur.* Quo pacto ergo ab Innocentio expoſceret ſententiam; Si Pontificis Romani poteſtatem non agnoſceret? Innocentius ne in illius Patres Concilii excommunicationis pœnam fulminare auderet; ſi ſupra illud Concilium nullam poteſtatem, juriſdictionemque obtineret? Idem Chryſoſtomus homilia 55. in Matth. Petrum, ejuſque Succeſſorem Pontificem Romanum totius Eccleſiæ Paſtorem declarat, & infra. *Hieremiam quidem Unigeniti Pater, Petrum autem univerſo terrarum Orbi Chriſtus præpoſuit.* Quod idem de Romano Pontifice Petri Succeſſore intelligit; licèt autem hoc Concilium univerſale non fuerit; cùm idem ſit etiam

de

de omnibus Conciliis in toto orbe Chriſtiano coactis; idem etiam dicendum, ſi omnes Epiſcopi in univerſalem Synodum coaleſcerent; ſiquidem, ut jam ſæpius eſt probatum; eadem ratio, quæ eſt in ſingulis, invenitur in eiſdem collectim ſumptis; quia etiam collectim ſumpti ſunt oves Chriſti, & conſequenter ſubditæ ſupremo Paſtori ſuo.

43. Probatur 5. ex S. Cyrillo Ep. 10. ad Neſtorium, & Epiſt. 11. ad Clerum, & populum Conſtantinopolitanum, ubi ſcribit: *Neſtorium ab omnibus ut excommunicatum, & proſcriptum vitari debere, niſi intra terminum à Cœleſtino Papa præſcriptum, ſuas revocet hæreſes*. & in Epiſt. 18. ad Cæleſtinum, *quem in inſcriptione Sanctiſſimum appellat Patrem, ab eoque petit, an velit cum Neſtorio ad tempus aliquod communicari, an verò deinceps ab omnibus vitari*. Et in lib. Theſauri ſic ait: *Petro omnes jure Divino caput inclinant, & primates mundi, tamquam ipſi Domino Jeſu obediunt*. Et infra. *Debemus, ut qui membra ſumus, capiti noſtro Romano Pontifici, & Apoſtolicæ Sedi adhærere*. Licèt autem in libris Theſauri, qui nunc extant, prædicta verba non reperiantur; citantur tamen à D. Thom. in opuſculis contra Græcos, & à Gennadio Authore Græco de Primatu Romani Pontificis. Conſtat autem multos libros Cyrilli periiſſe: nam in Sexta Synodo. Act. 10. legitur lib. 32. Theſauri Cyrilli; cùm tamen hoc tempore ſolùm quatuordecim libri Theſauri Cyrilli legantur. Præterea in Concilio Florentino ſeſs. 7. Andræas Coloſſenſis aſſeruit in Theſauris Cyrilli Supremam Romani Pontificis authoritatem commendari; nec ullus Græcorum contradixit. Igitur Sanctus Cyrillus ſupremam ſuper omnes fideles Romani Pontificis poteſtatem agnovit, reverituſque fuit.

44. Probatur 6. ex Theodoreto, qui licèt Aſianus eſſet: octogintaque Eccleſiis præſideret: in Romano tamen Pontifice ſupremum totius Eccleſiæ Principatum confeſſus eſt: atque ita in Epiſt. ad Leonem Pontificem Romanum profatur: *Ego Apoſtolicæ veſtræ Sedis expecto ſententiam; & ſupplico, & obſecro veſtram Sanctitatem, ut mihi opem ferat veſtrum, juſtum, & rectum appellanti judicium, ac jubeat ad vos accurrere, & oſtendere meam doctrinam veſtigia Apoſtolica ſequentem*. Et in Epiſt. ad Renatum. ibi. *Tenet enim iſta Sedes* (Romana) *gubernacula regendarum cuncti orbis terrarum*. Septimò ex Sozomeno l. 3. cap. 3. ibi. *Cum propter Sedis propriæ dignitatem cura omnium ad ipſum ſpectaret, ſingulis Eccleſiam reſtituit*, & loquitur de Julio I. Pontifice Romano, qui Athanaſio Alexandrinum, Paulo Conſtantinopolitanum Epiſcopatum reſtituit.

45. Probatur 8. ex Acatio Epiſt. ad Simplicianum Romanum Pontificem, quæ in ſecundo Conciliorum Tomo reperitur. Ubi in Pontifice Romano, ut in Supremo totius Eccleſiæ Paſtore ſolicitudinem omnium Eccleſiarum agnoſcit. ibi. *Solicitudinem omnium Eccleſiarum ſecundùm Apoſtolum circumferentes nos indeſinentèr hortamini, quamvis ſponte vigilantes, ac præcurrentes*. Et ex Epiſcopo Patarenſi, de quo Liberatus in Breviario cap. 22. ſic ſcribit: *Sylverio veniente Pataram, Venerab. Epiſcopus Civitatis illius venit ad Imperatorem, & judicium Dei conteſtatus eſt de tantæ Sedis Epiſcopi expulſione; multos eſſe dicens in hoc mundo Reges, & non eſſe unum, ſicut ille Papa eſt ſupra Eccleſias mundi totius à ſua Sede expulſus*.

46. Probatur 9. ex Hugone Echeriano, qui anno 1160. floruit, de Proceſſione Spiritus Sancti lib. 3. cap. 3. ſic ait. *Ex ipſa rei evidentia liquidò apparet, quòd Petrum, ejuſque Succeſſorem Chriſtus Principem, & caput non modò Latinorum, & Græcorum, & Septentrionis univerſi; verùm etiam Armenorum, Arabum, Judæorum, Madianitarum, & totius Orientis, & Meridiani Climatis in perpetuum conſtituit*. Et notandum eſt, licèt hic Author natione Græcus non fuerit; tamen inter Græcos, & in eadem Græci Imperatoris aula vixit. Accedat tandem hùc Juſtiniani Junioris Auguſti authoritas in epiſt. ad Joannem II. quæ in Codice titulo 1. habetur. ibi. *Nec enim patimur quicquam, quod ad Eccleſiarum ſtatum pertinet; quod non etiam veſtræ non innoteſcat Sanctitati*;

tati; quæ caput eſt omnium Sanctarum Eccleſiarum.

47. Probatur præterea ex Patribus Latinis. Primò, ex Sancto Cypriano lib. 1. de Unitate Eccleſiæ; vbi docet ad Eccleſiæ unitatem tres conditiones requiri. Prima eſt illius origo. Secunda eſt capitis prærogativa. Tertia Cæleſtis doctrinæ pabulum. Dicitquæ ſoli Eccleſiæ Romanæ tres illas conditiones competere. Originem probat ex illis verbis: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Caput, ex illis: *Paſce oves meas*; ut totius gregis paſtor, & caput. Cæleſtem doctrinam, ex illis. *Portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam*: quia in Sede Petri nullus haĉtenus fuit, nec erit poſtea contra veram fidem error. Unde diviſiones, inquit, & hæreſes emergunt; ſi ab hac radice, origineque recedatur; ſi huic capiti non obtemperetur; ſi ab hac cæleſtis doctrinæ regula deflectatur. Divum igitur Cyprianum pro noſtræ doctrinæ veritate pugnare perſpicuum eſt. Idem Cyprianus lib. 2. epiſt. 3. ad Cornelium Papam; ubi de Novatianorum ſchiſmate loquens; qui Summo Pontifici non parebant, ita ait: *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt Schiſmata; quàm inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur; nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur; cui ſi ſecundùm magiſteria divina obtemperaret fraternitas univerſa, nemo adverſus Sacerdotum collegium quicquam moveret, &c.*

48. Adverſarii reſpondent Cyprianum duntaxat velle, ut in ſingulis particularibus Eccleſiis unum ſit caput; cui fideles uniantur. Riſu ſanè digna Adverſariorum, perduelliumque tergiverſatio. Primò quia, ut in unaquaque particulari Eccleſia ſeruetur unitas, in ea unum caput requiritur; ut verò in Eccleſia univerſali unitas conſervetur, firmeturque, unum in ea caput non requiretur? Secundò, quia Cyprianus eo loco de Cornelio Summo Pontifice loquebatur, illumque Petri Succeſſorem cogitabat: unde ſicut Petrum totius Eccleſiæ caput, cui omnes, ne ſequerentur ſchiſmata, conformari deberent, edocebat; ita Cornelium Petri ſucceſſorem unum eſſe totius Eccleſiæ caput, cui ſi cæteri fideles adhærerent, omnia vitarentur ſchiſmata, prædicabat.

49. Idem Cyprianus lib. 2. epiſt. 10. ad eundem Cornelium ſic ſcribit. *Miſeramus nuper Collegas noſtros, ut ad Catholicæ unitatem ſciſſi corporis membra componerent; ſed diverſæ partis obſtinata, & inflexibilis pertinacia, non tantùm radicis, & Matricis ſinum, atque complexum recuſavit, ſed etiam adulterum, & contrarium caput extra Eccleſiam fecit.* Tria hic Cyprianus ponit. Primū, quòd membra ſchiſmate diſciſſa, ad Eccleſiæ Romanæ unitatem ſub Romano Pontifice deberent componi. Secundum, quòd pars illius concilii pertinax, inflexibilisque fuerit, eò quòd radicis, Matriciſque, videlicet, Apoſtolicæ Sedis Petri ſinum, complexumque recuſaverat. Tertium, quòd ipſa pars obſtinata proprium caput deſerverat, videlicet Romanæ Sedis Antiſtitem, viſibilem veræ Chriſti Eccleſiæ ſponſum; & ejus loco adulterum, id eſt, illegitimum, nimirum Novatianum perperam aſſumpſerat. ibi. *Non tantùm radicis, & Matricis ſinum, & complexum recuſavit, ſed etiam adulterum, & contrarium caput extra Eccleſiam fecit.*

50. Idem Cyprianus lib. 1. epiſt. 8. ad plebem univerſalem. ibi. *Deus unus eſt, Chriſtus unus, & una Eccleſia, & Cathedra una ſuper Petrum Domini voce fundata: aliud altare conſtitui; aut Sacerdotium novum fieri præter unum altare, & unum Sacerdotium non poteſt; quiſquis alibi collegerit, ſpargit.* Quid clarius exprimere potuiſſet cæleſtis doctrinæ Doctor eximius Cyprianus? Dicetur ne altare, Sacerdotiumque æterni Sacerdotis Chriſti, quod extra Chriſti altare, extra Sacerdotium eſt? Chriſti Sacerdotium, altareque in ſola Petri petra fundatum eſt: quod huic Petræ non colligatur, non Chriſti altare, ſed diaboli; non Eccleſia Dei, ſed Satanæ Synagoga dicetur.

51. Ex his facilè intelliges illa ejuſdem Sancti Cypriani verba de unitate Eccleſiæ, ubi ſic ait: *Epiſcopatus unus eſt; cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur.* Unus eſt unitate ſubordinationis ad

ad Petri Epiſcopatum: omnes Epiſcopatus ab Epiſcopatu Petri tanquam à ſua radice participant. Quo pacto igitur Epiſcopatus unus erit; Si Petri Epiſcopatui non ſubordinetur? Si ab illo diſiungatur? Si extra illum collocetur? Dices, quo pacto hæc ſtare poſſunt cum iis, quæ Sanctus Doctor Epiſt. ad Quintium ſic ſcribit: *Neque enim quiſquam noſtrûm Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit: aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit: quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis, & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, tanquam judicari ab alio non poſſit, cùm nec ipſe poſſit alterum judicare, ſed expectemus univerſi judicium Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui unus, ac ſolus habet poteſtatem præponendi nos in Eccleſiæ gubernatione, ac de actu noſtro judicandi.* Aliqui hæretici prædicta Sancti Doctoris verba ad pravum opinionis erroriſque ſui ſenſum iniquè detorquent: ſic enim ea verba falſa interpretatione deludunt. Primò aſſerentes ex verbis illis deduci omnes Epiſcopos pares eſſe. Secundò nullum Epiſcopum Epiſcoporum eſſe poſſe. Tertiò nullum Epiſcopum ab alio, ſed à ſolo Deo poſſe judicari. Quartò ſolum Deum Epiſcopos præponendi in Eccleſiæ gubernatione; judicandi de Epiſcoporum actibus poteſtatem habere. Omnes iſtæ conſecutiones erroneæ ſunt & à vero Sancti Doctoris ſenſu prorſus alienæ. Imò ea omnia cum vera Sancti Doctoris alibi inculcata doctrina maximè pugnant: nam omnes Epiſcopatus particulares Romano Petri, ejuſque Succeſſoris Epiſcopatui ſubordinari, ab illaque tanquam à radice prima, ſicut arboris ramos à radice vigorem, unitatemque accipere clariſſimè docet: aſſerit præterea Sanctus Doctor ad Pontificem Romanum tanquam ad Supremum cæterorum omnium Judicem oportere recurrere: licèt autem dicat Epiſcopos in ratione ordinis pares eſſe; in ratione tamen dignitatis, juriſdictioniſque longè impares eſſe contendit.

52. Quare quando Divus Cyprianus aſſerit nullum Epiſcopum aliorum Epiſcopum, judicemque conſtitui; de illis, qui erant in Carthaginenſi Concilio, Epiſcopis loquebatur; non verò de Romano Pontifice, qui Patrum Pater, Epiſcoporumque Epiſcopus eſt Divino Numinis oraculo conſtitutus. Dum verò autumat unum Epiſcopum judicare alium Epiſcopum non poſſe; de illis, qui ſunt inter ſe pares, ediſſerit: quia par in parem non habet imperium. Tandem, dum aſſerit à ſolo Deo Epiſcopum judicari, de rebus id non probatis, diſcuſſiſque, ac de interna intentione intelligendum eſt: Eccleſia quippe de internis, quæ ipſi patere nequeunt, judicare minimè poteſt: ſic Sancti Cypriani verba Sanctus Auguſtinus exponit lib. 3. de Baptiſmo cap. 3. *Opinor*, inquit, *in his quæſtionibus, quæ nondum eliquatiſſima perſpectione diſcuſſa ſunt.* Unde circa res, quæ nondum ſunt matura exactione diſcuſſæ; Epiſcopi ſuam ſententiam dicere liberè poſſunt; nec terrore, minis, aliave quavis violentiâ ſententiam aliorum ſequi cogendi ſunt: non autem poſſe Epiſcopum judicari, puniri, deponive negat; ſi cauſa legitimè ſit probata, aliter Cyprianus ipſe ſibi adverſaretur: nam lib. 3. Epiſt. cap. 3. Stephanum Pontificem Romanum, ut Epiſcopum Arelatenſem deponat, aliumque ſubſtituat; inſtanter hortatur.

53. Probatur 2. ex Optato D. Cypriani veſtigiis inhærente, qui lib. 3. contra Parmen. qui Supremam Petri, ejuſque Succeſſorum ſupra omnes totius Orbis Eccleſias Cathedram declarans, omnes Pontifices Romanos ad Siricium uſque connumerat: ibique quinque primæ Sedis dotes, quibus illa ſuper alias conſtituitur ſuprema, deſcribit, concluditque ſic: *Igitur de dotibus ſupradictis Cathedra eſt prima, quam probavimus per Petrum noſtram eſſe.* Itaque non ſolum Diœceſis Romana, ſed omnes aliæ totius orbis Eccleſiæ dicere jure poſſunt: *Hæc Romana Sedes per Petrum noſtra eſt.* ei quippe nos omnes tanquam Supremo capiti noſtro ſubjacemus.

54. Probatur 3. ex D. Ambroſio in cap. 3. primæ ad Timotheum. ibi. *Cùm totus mundus Dei ſit, tamen Domus ejus Eccleſia dicitur, cujus hodie Rector eſt Damaſus.* Igitur in univerſa Eccleſia Dei domicilium; & in eadem Damaſi

Roma-

Romani Antiſtitis principatum D. Ambroſius recognouit. Item in orat. in Satyrum ſic ait: *Percunctatus Epiſcopum eſt, ſi cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt, ſi cum Romana Eccleſia conueniret.* Qui primæ Sedi Romanæ ſupremæ Petri Cathedræ colligatur, Catholicus eſt, Ambroſio teſtante: ergo qui ab illa diſiungitur, primam in ea fidei regulam non agnoſcens, dici Catholicus non poteſt. Idem lib. 3. de Sacramentis cap. 1. ibi. *Non ignoramus, quòd Eccleſia Romana hanc conſuetudinem habeat, cujus typum in omnibus ſequimur, & formam. In omnibus ſequi cupio Eccleſiam Romanam; ſed tamen & nos homines ſenſum habemus; ideo quod alibi rectiùs ſeruatur, & nos rectè cuſtodimus.* Hîc duo ponit Ambroſius. Primum, quòd Eccleſia Romana typus, & forma ſit, cui cœteræ totius orbis Eccleſiæ, in iis, quæ ad fidem ſpectant, conformari debeant. Secundum, quòd licet in Diœceſi Romana conſuetudo non ſit recèns baptizatorum pedes lavandi; quæ tamen in aliquibus viget Eccleſiis; hæc tamen diverſa conſuetudo diverſum fidei dogma non eſt; ſed laudabile pietatis exercitium; quod Romanæ, Catholicæque fidei non adverſatur. Idem Epiſt. 47. ibi. *Petra dicitur Petrus, eò quòd tanquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem, molemque contineat.* Idem Ambroſius ſerm. 11. in Luc. 5. ubi advertit Chriſtum viſis duabus navibus, ſolùm Petri navem conſcendiſſe; & ex eadem celeſtis doctrinæ verba protuliſſe. ibi. *Solùm Eccleſiæ navem aſcendit Dominus, in qua Petrus magiſter eſt conſtitutus.* Quibus verbis Sanctus Doctor nos docere voluit Eccleſiæ Petri, ideſt, Romanæ, & non alteri, huic oppoſitæ Dominum aſſiſtere; & extra illam, Chriſti doctrinam minimè doceri. Solumque Petrum, ejuſque Succeſſorem Pontificem Romanum totius Eccleſiæ magiſtrum eſſe.

55. Probatur 4. ex D. Hieronymo in Epiſt. ad Ageruchiam de Monogamia, ubi ſic ait. *Ante annos plurimos cùm in chartis Eccleſiaſticis juvarem Damaſum Romanæ Urbis Epiſcopũ, & Orientis, ac Occidentis Synodicis conſultationibus reſponderem &c.* Si Papa omnibus totius orbis Eccleſiis juridicè reſpondet, quî fieri poteſt, ut omnium Eccleſiarum Supremus Judex, & Arbiter non ſit? Et in Epiſt. ad Damaſum, de nomine Hypoſtaſis, ita ſcribit: *Quanquam tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas: à paſtore præſidium ovis peto: cum Succeſſore Piſcatoris, & diſcipulo Crucis loquor. Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, ideſt, capiti Petri communire conſocior: ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio: Si quis in Arca Noë non fuerit, peribit, regnante diluvio,* & ſtatim: *Non novi Vitalem, Meletium reſpuo: ignoro Paulinum: quicunque tecum non colligit, ſpargit: qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.* Ex quibus perſpicuum eſt, Doctorem Maximum disertè aſſerere, Summum Romanæ Urbis Antiſtitem totius Eccleſiæ caput, Petrique Succeſſorem, & omnium fidelium Paſtorem eſſe; & omnes ab hac Romana Sede diſcedentes perire. Unde ipſe etiam Eraſmus, cui Perduelles adeò innituntur, Hieronymum iis verbis aſſerere omnes totius orbis Eccleſias Summo Pontifici Romano eſſe ſubditas profitetur.

56. Idem Hieronymus lib. 1. contra Julianum. ibi. *Licet ſuper omnes Apoſtolos ex æquo Eccleſiæ fortitudo ſolidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto Schiſmatis tolleretur occaſio.* In quibus verbis Doctor Maximus duo ad Univerſalis Eccleſiæ ſtabilitatem ſpectantia breviſſimè complectitur. Primum omnes Apoſtolos, tanquam ſecundos lapides Petro primo poſt Chriſtum lapidi compaginatos, ex æquo Eccleſiam fundaſſe; ex æquo quidem; quia ſi non eſſent adamuſſim coæquati Petro fundamentali petræ, totum Chriſtianæ Domus ædificium nutaret, Chriſtique Templi moles corrueret. Secundum idcirco unum Petrum, ejuſque Succeſſorem Pontificem Romanum, cui cœteri ſubordinentur, conſtitui; ut perfecta totius Eccleſiæ unitas conſervetur; & omnis inde Schiſmatis occaſio præcludatur.

57. Idem Hieronymus ad eundem Damaſum. *Hæc*, inquit, *eſt fides Papa*

beatiſſime, quam in Catholica didicimus Eccleſia, quamque ſemper tenuimus; in qua ſi minùs peritè, aut parum cautè fortè aliquid poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri Sedem, & fidem tenes: Si autem hæc noſtra confeſſio Apoſtolatus tui judicio comprobatur; quicunque me culpare voluerit, ſe imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum, ſed hæreticum comprobabit. Ubi obſerva Divum Hieronymum ad roborandam, ſtabiliendam, corrigendamque ſuam doctrinam, non privatam Damaſi; quæ quidem Hieronymi eruditione longè minor erat, ſapientiam cogitaſſe; ſed Doctrinam Cathedræ, ſuique Apoſtolatus judicium, cui Spiritus Sanctus, ne pro tota Eccleſia erret, aſſiſtit, conſideraſſe.

58. Opponunt perduelles hæretici. Primò ejuſdem Hieronymi epiſtolam ad Nepotianum: ubi docet omnem ordinem Eccleſiaſticum ſuis Rectoribus niti: ergo cenſet non dari unum omnium Rectorem. Verùm ſi hæc conſecutio recta foret; probaret non dari unum totius Regni Regem; quia ſingulæ illius Regni Provinciæ, imo & Civitates ſuis ſpeciatim Rectoribus gubernantur. Unde meliùs inde deducitur unum Supremum Epiſcoporum Epiſcopum in Eccleſia dari, quod jam Sanctus Doctor alibi docuerat, comprobaveratque: nam deducetur ne: ex eo quòd ſingulæ Diœceſes ſuis Rectoribus, Epiſcopiſque nitantur, unum Supremum Rectorem, generalemque Epiſcopum; cui cæteri particulares nitantur, non poſſe dari? an quia in aliqua Religione ſingula Collegia ſuis Rectoribus nitantur; eorum unus Provincialis, generaliſque non dabitur?

59. Opponunt 2. eundem Hieronymum ad Evagrium, ubi aſſerit non Romæ conſuetudinem, ſed univerſalem Eccleſiæ morem ſequendum: item omnes Eccleſiæ Epiſcopos pares eſſe, ſive Romæ, ſive Conſtantinopoli, ſive Tannis, nec majorem divitiarum potentiam Epiſcopum facere majorem. Verùm quid hæc ad noſtram faciunt quæſtionem? an nos dicimus, ſi qua ſit Romæ ſpecialis conſuetudo, eam ubique ſervandam? Itaque Romæ erant quidam Diaconi, qui Theſauri Eccleſiæ curam habentes ex hoc Presbyteris eminere procurabant; hanc conſuetudinem reprobabat Hieronymus, & ſequendam potius eſſe dicebat eam laudabilem conſuetudinem ubique ſervatam; qua ſemper Diaconi ſubeſſe Presbyteris conſpiciebantur. Sed quid hoc ad unitatem Eccleſiæ ſpectat? Præterea, quòd Hieronymus dicat Epiſcopos pares eſſe in dignitate ordinis; inde omnes in dignitate juriſdictionis pares eſſe deducetur? Nonne Damaſum dignitate juriſdictionis omnibus Superiorem eſſe comprobaverat? en tela perduellium hæreticorum adeò debilia, ut pudor ſit ea retundere, & non potius floccipendere.

60. Probatur 5. ex D. Auguſtino, in Epiſt. 162. ibi. *In Romana Eccleſia ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Et Epiſt. 92. ad Innocentium. ibi. *Quia te Dominus gratiæ ſuæ præcipuo munere in Sede Apoſtolica collocavit, talemque noſtris temporibus præſtitit, ut nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, ſi apud tuam venerationem, quæ pro Eccleſia ſuggerenda ſint, tacuerimus, quam ea tu poſſis, vel faſtidiosè, vel negligenter accipere magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti, paſtoralem diligentiam, quæſumus, adhibere digneris.* Ubi obſerva, Sanctum Doctorem à Romano Pontifice poſtulare; ut Pelagii erroribus, ſeu Diabolicæ peſti, quæ tunc temporis per Orientales, Occidentaleſque Regiones graſſabatur, opportunum remedium adhiberet; & ad ipſum Romanum Pontificem pro munere Paſtoris in tota Eccleſia Supremi hoc præcipuè ſpectare.

61. Idem Auguſtinus in Epiſt. 157. ad Optatum. ibi. *Me apud Cæſaream præſente, venerunt, quò nos injuncta nobis à Venerabili Papa Zozymo Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo, Eccleſiaſtica neceſſitas traxerat.* Ubi Sanctus Doctor Papæ Zozymo Petri in Apoſtolicam Sedē Succeſſori neceſſariò parendum eſſe judicavit. Qui Zozymus Africæ Epiſcopis injunxerat, ut apud Cæſaream Concilium celebrarent. Et in lib. ad Bonifacium cap. 1. ſic ait. *Non dedignaris, qui non*

alta

alta ſapis, quamvis altius præſideas, eſſe amicus humilium. Et infra. *Communis eſt omnibus nobis, qui fungimur Epiſcopatus officio, quamvis ipſe in eo præemineas, celſiore faſtigio, ſpeculæ paſtoralis.* Ubi vides ſapientiſſimum, Sanctiſſimumque Doctorem Auguſtinum aſſerere Romanæ Sedis Epiſcopum ſuper omnes totius Eccleſiæ Antiſtites in altiori dignitatis faſtigio collocari, & ſuper univerſum Chriſti gregem in ſpecula Paſtorali altius eminere. An de aliquo alio Epiſcopo? de aliquo Patriarcha? de aliqua generali etiam Synodo id affirmavit? Certè in ſolo Romano Præſule Petrum; in ſola Romana Sede Apoſtolicam Petri Sedem conſideravit, credidítque.

62. Probatur 6. ex Divo Proſpero in libro de Ingratis. ibi. *Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris facta caput mundi: quicquid non poſſidet armis, Religione tenet*, & lib. de vocatione gentium. cap. 6. *Roma*, inquit, *per Sacerdotii principatum amplior facta eſt arce Religionis, quàm Solio poteſtatis.* In quo perelegantér aſſerit Sanctus Doctor Eccleſiaſticum Romani Pontificis Imperium amplius, quàm Cæſareum, expatiari: ſiquidem Romanum non omnes totius orbis Provincias complectebatur: at Chriſti, & Petri, ejuſque Succeſſoris Imperium omnes totius orbis Eccleſias ſinu ampliore complectitur.

63. Probatur 7. ex S. Victore Uticenſi. lib. de perſecutione Wandalica, ubi Eccleſiam Romanam, Romanumque Pontificem omnium Eccleſiarum in toto orbe Chriſtiano caput appellat. 8. ex Vincentio Lyrinenſi in Commonitorio. ſic ait. *Lecta ſunt ibi quædam ad quoſdam Epiſtolæ Sancti Felicis Martyris, & Sancti Julii Urbis Romæ Epiſcoporum, & ut non ſolum caput orbis, verùm etiam latera illi judicio teſtimonium perhiberent, adhibitus eſt à meridie Beatiſſimus Cyprianus, à Septentrione Sanctus Ambroſius.* Ubi vides à Sancto Doctore Pontificem Romanum terrarum orbis caput appellari.

64. Probatur 9. ex Caſſiodoro lib. 11. Epiſt. 3. ad Joannem Papam, qui cùm ei ſedula Romanæ Urbis in temporalibus regendæ cura fuiſſet à Theodorico demandata, ſic loquitur ad ejuſdem Romanæ Urbis Antiſtitem. *Vos ſpeculatores Chriſtiano populo præſidetis; vos Patris nomine univerſa diligitis.* Et infra. *Quæ propter nos decet cuſtodire aliqua, ſed vos omnia.* Et ſtatim. *Sedes illa toto orbe mirabilis proprios tegat affectione cultores; quia licet generalis mundo ſit præſtita, vobis etiam cognoſcitur, & localiter attributa.* In quibus verbis antiquiſſimus hic Author quatuor inculcat. Primum Romanum Pontificem (quem per plurale nomen venerationis cauſâ nominat) tanquam univerſalem cuſtodiæ ſpeculam toti Chriſtiano populo præſidere. Secundum eundem Romanæ Sedis Antiſtitem omnium communem eſſe Patrem; qui plus ſuavi Patris amore, quàm ſevero Dominantis Imperio univerſum populum dirigat. Tertium ipſi Urbis Præfecto à terreno Imperatore concedi pauca regere, Summo autem Pontifici à cœleſti Moderatore conceſſum omnia gubernare. Quartum Sedem hanc Apoſtolicam, licet ſpeciali loco, ideſt, Romæ ſit Romano Præſuli attributa, generaliter eſſe per totum mundum extenſam.

65. Probatur 10. ex Venerabili Beda. lib. 2. hiſtoriar. gentis Britannicæ, ubi de Gregorio Pontifice Romano ſic loquitur: *Cum primum toto orbe gereret Pontificatum, & converſis jam dudum ad fidem veritatis eſſet Prælatus Eccleſiis, noſtram gentem eatenus idolis mancipatam Chriſti fecit Eccleſiam.* Videant Britannici Hæretici ex adeò lucentis aſtri ſententia per Summum Pontificem Romanum Britanniam fuiſſe factam Chriſti Eccleſiam, & per receſſum à Summo Pontifice Romano Synagogam Satanæ fuiſſe factam apertis jam mentis oculis recognoſcant.

66. Probatur 11. ex Sancto Anſelmo de Incarnatione cap. 1. quem librum Papæ Urbano his verbis dedicat. *Domino, & Patri Univerſæ Eccleſiæ in terra peregrinantis Summo Pontifici Urbano Frater Anſelmus vitâ peccator, habitu Monachus, ſive jubente, ſive permittente Deo Cantuariæ Metropolis vocatus Epiſcopus, debitam ſubjectionem cum humili*

ſervitio, & devotis orationibus. Quoniam Divina Providentia Veſtram elegit Sanctitatem, cui vitam, & fidem Chriſtianam cuſtodiendam, & Eccleſiam regendam committeret, ad nullum alium rectius refertur, ſi quid contra Catholicam fidem oritur in Eccleſia, ut ejus authoritate corrigatur; nec ulli alii tutius, ſi quid contra errorem reſpondetur, oſtenditur, ut ejus prudentia examinetur. In quibus planè cœleſti ſpiritu ductis verborum flammis, & gravis tanti Doctoris modeſtia, & tam prompta obſequentis animi erga Pontificem Romanum ſubjectio, quem ſupremum totius Eccleſiæ Patrem, Paſtoremque confitetur, clarius elucet.

67. Probatur 12. ex Hugone de Sancto Victore. lib. 2. de Sacram. p. 3. cap. 15. ibi. *Apoſtolica Sedes cunctis in orbe terrarum præfertur Eccleſiis.* 13. ex D. Bernardo lib. 2. de Conſideratione, ubi doctè ſatis, & eleganter ſupremum ſuper omnes totius Orbis Eccleſias Romani Pontificis Principatum deſcribit; his nectare ſuffuſis, & melle dulcioribus verbis. ibi. *Age, indagemus adhuc diligentius, quis ſis? quam geras, videlicet pro tempore, perſonam in Eccleſia Dei? Quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex; tu Princeps Epiſcoporum; tu hæres Apoſtolorum; tu Primatu Abel, gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech; dignitate Aaron; authoritate Moyſes, judicatu Samuel; poteſtate Petrus; unctione Chriſtus: tu es, cui claves traditæ; cui oves creditæ ſunt. Sunt quidem & alii cæli Janitores, gregumque Paſtores; ſed tu tantò glorioſius; quanto & differentius præ cæteris nomen hæreditaſti.* Non poterat quidem dulciori vocis eloquio, nec validiori firmitatis neruo, nec lucidioris veritatis typo Romanæ Sedis Primatus ſuper univerſam Chriſti Eccleſiam declarari. Alii Sacerdotes, Sacerdotes quidem dicuntur, hic ſolus Magnus per quandam antonomaſiam appellatur. Alii ſuarum ſunt Eccleſiarum Pontifices, hic Pontificum Pontifex Maximus nuncupatur. Suorum Clericorum Principes Epiſcopi ſunt; hic omnium Epiſcoporum Princeps. Eſt quidem Romanæ Sedis Antiſtes verus Abel, de quo Sacer intonat textus. Geneſ. 8. fuiſſe primum Paſtorem ovium. ibi. *Fuit Abel Paſtor ovium.* Et Petro, ejuſque Succeſſori Pontifici Romano dictum eſt: *Paſce oves meas.* Eſt etiam Noè, extra cujus arcam, hoc eſt, Eccleſiam Romanam omnes æternæ mortis diluvio pereunt. Eſt Abraham cunctorum Pater credentiũ, verus Melchiſedech, qui & Sacerdos Dei Altiſſimi, & Rex Salem, hoc eſt, Eccleſiæ Chriſti per Salem ſymbolicè figuratæ. Verus Aaron primus Populi Dei Sacerdos Maximus. Verus etiam Moyſes primus ab Infidelitatis Ægypto Populum Dei educens, dirigenſque. Judicatu Samuel; quia primus eſt, ſupremuſque Populi Dei Judex. Poteſtate Petrus, dum illi Petri Claves in Eccleſia traduntur; atque in Petri Cathedra ſedet. Unctione Chriſtus, dum ſicut verus Chriſti Vicarius, illius in terris vices agit, tantò præ cæteris Epiſcopis glorioſior dignitate, quantò præ illis differentius nomen hæreditavit. Hoc totum aurea Melliflui Bernardi verba ſignificant: Veram certè eſſe hanc ſuam doctrinam, & mirabili vitæ ſanctimonia, & obſtupenda prodigiorum magnitudine, multitudineque comprobavit; quam ſanctitatem, prodigiaque non eſt auſus negare Calvinus. l. 4. Inſtit. c. 7. §. 22. Idem Bernardus paulò inferiùs. ibi. *Cui non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum ſic abſolutè, & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oves? Si me amas Petre, paſce oves meas. Quas? illius, vel illius populi, Civitatis, aut regionis, aut Regni? oves meas, inquit, indefinitè, totæ commiſſæ ſunt oves.* Et infra. *Inſtar Domini gradiens ſuper aquas unicum ſe Chriſti Vicarium deſignavit, qui non uni populo, ſed cunctis præeſſe deberet; ſiquidem aquæ multæ populi multi.* Et inferiùs. *Quid iſtud? Nempe ſignum ſingularis Pontificii Petri, per quod non navem unam, & cæteri quiſque ſuam, ſed ſæculum ipſe ſuſceperit gubernandum; mare enim ſæculum eſt, naves Eccleſiæ.*

68. Non minùs eleganter de Supremo Romani Pontificis Principatu proſequitur elogium Mellifluus idem Doctor his aureis verbis: *Habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos, tibi univerſi*

verſi crediti; uni unus, nec modo ovium, ſed & Paſtorum tu unus omnium Paſtor. Et infra. *Ergo juxta Canones tuos alii in partem ſolicitudinis, tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus: tua extenditur in ipſos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt. Nonneſi cauſa extiterit, tu Epiſcopo cælum claudere, tu ipſum ab Epiſcopatu deponere, etiam & tradere Satanæ potes? Stat igitur inconcuſſum privilegium tuum tibi tam in datis clavibus, quàm ovibus commendatis.*

69. Opponunt Hæretici eundem Bernardum in citato libro de Conſideratione; in quo pravos aliquot Romanæ Urbis abuſus acriter carpit. Cæterum hæc perduellium objectio ab ſcopo quæſtionis aberrat. Quæſtio enim noſtra ſolùm eſt de Principatu Pontificis Romani; non de Pontificis virtutibus, aut vitiis: vitia quippe perſonæ virtutem, non Judicis poteſtatem tollunt. An quia Rex aliquis multis ſceleribus ſit infectus, purpuram, ſceptrumque amittit? Bernardus igitur vitia carpit, Principatum commendat.

70. Inter Patres Latinos connumerare liceat Tertullianum: quia licèt in multis à fide tandem defecit; ideoque minorem authoritatem habeat, dignuſque ſit ultimo loco poni, licet tempore prior; tamen in Principatu Petri, ejuſque Succeſſoris Antiſtitis Romani Catholicam doctrinam amplexus eſt. Tertullianus Afer proconſulari Patre natus floruit anno Domini 200. & in lib. de præſcriptionibus adverſus hæreticos, ita profundè more ſuo ſcribit: *Latuit aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ Petram dictam? Claves Regni cœlorum conſecutum, & ſolvendi, & alligandi in cælis poteſtatem.* Idem in lib. de pudicitia. ibi. *Claves ſoli Petro commiſſas, & Eccleſiam ſuper ipſum extructam tradit.* Et infra. *Super te*, inquit, *ædificabo Eccleſiam meam, & dabo tibi claves, non Eccleſiæ; & quæcumque ſolveris, vel alligaveris; non quæcumque ſolverint, vel alligaverint: ſic enim exitus docet; in ipſo Eccleſia extructa eſt, ideſt, per ipſum.* Et infra. *Ananiam juncit vinculo mortis, & debilem pedibus abſolvit vitio valetudinis. Primus enim Petrus de Nationum vocatione præfatus.* Ex quibus obſerva. Primò ibi dicere clavium poteſtatem Petro ſupra Eccleſiam; & non Eccleſiæ ſupra Petrum dari. Secundò Eccleſiam extructam eſſe per ipſum; & non ipſum per Eccleſiam. Tertiò ſoli Petro conceſſum jungere Ananiam vinculo mortis, & claudum pedibus abſolvere vitio valetudinis. Quartò primum omnium Petrum de Gentium vocatione præfatum. In his verbis acutiſſimus Pater conditiones ad Petri, ejuſque Succeſſoris Pontificis Romani Principatum mirificè depinxit.

71. Tandem ſicut Patribus Græcis Imperatorem Græcum adjunximus, ita & Latinis Latinum adnectamus. Valentinianus Auguſtus in Epiſtola ad Theodoſium, quæ extat inter præambulas ad Concilium Chalcedonenſe, ita ſcribit. *Debemus dignitatem propriæ venerationis Beato Apoſtolo Petro noſtris temporibus conſervare, quatenus Beatiſſimus Romanæ Civitatis Epiſcopus, cui Principatum Sacerdotii ſuper omnes antiquitas contulit, locum habeat de fide, & Sacerdotibus judicandi.* Erubeſcant Recentes Hæretici, dum aſſerunt Principatum Romanum fuiſſe denuo paucis abhinc ſæculis inventum; cùm antiquiſſimis temporibus jam Principatus ille antiquus dicebatur.

SECTIO IV.

Romani Pontificis ſuper omnes Eccleſias juriſdictio ex authoritate, quam in omnes ſemper exercuit, demonſtratur.

72. EX authoritate, quam in reliquos ſingularum Eccleſiarum totius orbis Epiſcopos Romanus Pontifex ſemper exercuit; hæc ejus Suprema poteſtas comprobatur. Primò illos inſtituendo. Secundò quando juſta interveniebat cauſa, eos deponendo. Tertiò injuſtè ab aliis depoſitos reſtituendo. De inſtitutione exempla ſuppetunt plurima. Primò in Chalcedonenſi Concilio Actione 7. Conſtat Maximum Antiochenum à Leone Pontifice

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

fice Romano in Epiſcopatu fuiſſe confirmatum. Secundò liquet Anatolium Conſtantinopolitanum ab eodem Leone confirmatum fuiſſe; eodem Leone teſte in Epiſtola ad Marcianum his verbis: *Satis ſit, quòd veſtræ pietatis auxilio, & mei favoris aſſenſu Epiſcopatum tantæ Urbis obtinuit*. Idem Pontifex Romanus Epiſtola 84. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum pro quodam Epiſcopo à populo eligendo, & à ſe confirmando, ita ſcribit. *De perſona conſecrandi Epiſcopi, & de Cleri, plebiſque conſenſu Metropolitanus Epiſcopus ad tuam fraternitatem referat; quodque in Provincia bene placuit, ſcire te faciat, ut ordinationem ritè celebrandam, tua quoque firmet authoritas: ſicut enim juſtas electiones nullis dilationibus volumus fatigari; ita nihil permittimus, te ignorante, præſumi*. Idem Leo Papa Epiſt. 87. ad Epiſcopos Africanos, ita ſcribit: *Donatum Salicinenſem ex Novatiano cum ſua, ut comperimus, plebe converſum, ita Dominico volumus gregi præſidere, ut libellum fidei ſuæ ad nos meminerit dirigendum*.

73. Item Gregorius Papa lib.4. Epiſtola 34. ad Conſtantiam Auguſtam caſum cujuſdam Epiſcopi ordinati ſine præviis Apoſtolicæ Sedis literis, tanquam rem antea non auditam ſummoperè abhorret. ibi. *Salonitanæ Civitatis Epiſcopus me, ac Reſponſali meo neſciente, ordinatus: & facta res eſt, quæ nullis anterioribus Principibus evenit*. Itaque nullus unquam Epiſcopus conſecrabatur, niſi priùs Apoſtolicis literis confirmatus fuiſſet: idcirco Archiepiſcopis, & Patriarchis pallium mitti paſſim legitur: quod quidem pallium Epiſcopalis dignitatis inſigne eſt: quamvis de Apoſtolicæ Sedis conſenſu aliquando Epiſcopi per Patriarcharum confirmationes ordinarentur, ut affert Card. Bellarminus de Romano Pontifice. lib. 2. cap. 27.

74. Quòd verò plurimi Epiſcopi fuerint à Romano Pontifice depoſiti, conſtat. Primò ex D. Cypriano. lib. 3. Epiſt. 13. ad Stephanum Pontificem Romanum. ibi. *Dirigantur in Provincias, & ad plebem Arelatæ conſiſtentem à te literæ, quibus, abſente Marciano, alius in locum ejus ſubſtituatur*. Et infra. *Significabis planè nobis, quis in locum Marciani Arelatæ fuerit conſtitutus, ut ſciamus, ad quem fratres noſtros dirigere, & cui ſcribere debeamus*. Calvinus perduellium more Sancti Doctoris Epiſtolæ vanum, falſumque ſenſum affinxit, aſſerens Cyprianum in ea Epiſtola Stephanum Epiſcopum Romanum conſilii poſtulandi, non judicii faciendi causâ queſiiſſe. Cœterùm neſcio, an ex obcæcato intellectu, an ex depravata, corruptaque voluntate id hæreticus affirmare auſus ſit? Qui enixè precatur à Romano Pontifice, ut depoſito uno Epiſcopo, ſubſtituat alium; ab eo Concilium, & non judicium poſtulat? Qui tantùm præbet conſilium, ut deponatur, deponit? Qui conſulit, ut alius ſubſtituatur, ſubſtituit? en Cyprianus orat, ut Stephanus Pontifex Maximus deponat, ſubſtituatque: quî fieri poteſt, ut ſolùm conſulat, & non judicet? amicè ſuadeat, & non ſibi propria juriſdictione præſcribat?

75. Conſtat 2. ex Nicolao I. in Epiſtola ad Michaelem; ubi octo Patriarchas à Romanis Pontificibus depoſitos recenſet; quos inter fuit Antimus ab Agathone Papa depoſitus, Auguſti, Auguſtæque non obſtantibus graviſſimis minis, & Antimi loco Menam ſuffecit, ut ex antiquis Authorum monumentis Card. Bellarminus loco citato refert. Item ex Gelaſio Pontifice Romano in Epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ, ubi ſic ait: *Dioſcorum ſecundæ Sedis Præſulem ſua authoritate Sedes Apoſtolica damnavit*. Et ibidem. *Beati Petri Sedes Alexandrinum Petrum, quem ſe tantummodò damnaſſe, non etiam ſolviſſe noverat, non recepit*. Flavianum præterea Patriarcham Antiochenum depoſuit Damaſus, ut Theodoretus l. 3. cap. 23. latè ſcribit. Licèt autem Theodoſius Auguſtus Flavianum in ſua Sede tenere ſumma opum vi niteretur; id tamen à Romano Pontifice obtinere nō potuit. Sed illum miſit Romam ad cauſam ſuam dicendam. Theophilus autem Alexandrinus pro Flaviano apud Romanum Pontificem interceſſit, Authore

thore Socrate ſuæ hiſtoriæ cap. 15. pro quo etiam interceſſiſſe Chryſoſtomum refert Sozomenus lib.8.cap.3.

76. Præterea Sixtus III. Polychronium Conſtantinopolitanum Patriarcham depoſuit, miſſo ad hoc Hieroſolymam Leone tunc Diacono, poſtea Papa, ut liquet ex 1.tomo Conciliorum in Actis Sixti III. Si ergo Pontifex Romanus omnes Eccleſiæ Patriarchas, videlicet, Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, Hieroſolymitanum aliquando depoſuit; quî fieri poteſt, ut Supremus in Eccleſia Judex non exiſtat? Ecce Epiſcopi, & Patriarchæ omnes primæ Sedis Romanæ Imperium adorabant, quod perduelles hæretici nunc effrænata nimis audacia convellere moliuntur. Quid hoc aliud videtur eſſe, niſi Rebelles à Petri manu gladium, ut ictum effugiant, excutere conari: ſed incaſſum ſanè: nam iniqui Malchi ſurdas ad fidem aures habentes Petri gladium non effugient.

77. Non minùs Apoſtolicæ Sedis ſuper omnes totius orbis Eccleſias juriſdictio comprobatur, dum Epiſcopos ab aliqua Synodo, vel Patriarcha depoſitos Romanus Pontifex ſuis Epiſcopatibus reſtituit, de hoc multa ſatis exempla commemorantur. Primum colligitur ex S.Cypriano lib.1. Epiſt.4. ibi. *Nec reſcindere ordinationem iure perfectam poteſt, quod Baſilides poſt crimina ſua detecta Romam pergens Stephanum Collegam noſtrum longè poſitum, & geſtæ rei, ac veritatis ignarum feſellit, ut exambiret reponi ſe injuſtè in Epiſcopatum, à quo fuerat juſtè depoſitus.* Divus Cyprianus hîc de injuſta Epiſcopi à Concilio depoſiti reſtitutione per Romanum Pontificem facta non conquerebatur, ex eo, quòd Papa ſupra Concilium poteſtatem, juriſdictionemque non haberet: cùm illam Sanctus Doctor in Romano Pontifice ſupponebat: ſed quia Romæ degens, ac procul ab Africa diſtans, cauſæque juſtitiæ ignarus falſa fuerit informatione deceptus. Non illi faciliùs erat dicere; cur falcem in alienam ſegetem mittis? Sed duntaxat dicit; cur rei geſtæ ignarus eum, quem Concilium ob detecta, probataque delicta depoſuerat; reponis? Illam injuſtam, ut putabat, de repoſitione ſententiam deceptioni Pontificis, non defectui poteſtatis in Romano Pontifice tribuendam eſſe credebat. Et nota, Cyprianum non juſtum Appellatorem, ſed injuſtum deceptorem carpere; Si enim provocaret ad Pontificem Romanum, eique cauſam omnem, veritatemque detegeret; Pontifex quidem non deciperetur: ſed datam à Concilio ſententiam confirmaret; querelæque Sancti Cypriani ceſſarent.

78. Secundum exemplum ex Julio I. qui Athanaſium Alexandrinum, Paulum Conſtantinopolitanum, & Marcellum Ancyranum Epiſcopos à Synodo Orientali depoſitos Epiſcopatibus Apoſtolica reſtituit authoritate; ut ſcribit Gelaſius in Epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ, & Sozomenus. lib. 3. cap. 7. ibi. *Cùm propter Sedis authoritatem cura omnium ad ipſum ſpectaret, ſingulis ſuam Sedem reſtituit*. Et infra. *Athanaſius, & Paulus ad ſuas Sedes revertuntur; literaſque Julii Epiſcopis Orientis mittunt.* Tertium ex Leone Pontifice Romano, qui Theodoretum à Synodo Epheſina II. depoſitum priſtino ſuo ſtatui reſtituit; prout legitur in Concilio Chalcedonenſi Act. I. ibi. *Ingrediatur & Reverendiſſimus Epiſcopus Theodoretus; quia reſtituit ei Epiſcopatum Sanctiſſimus Archiepiſcopus Leo.* Plura alia produci poſſent exempla; quibus omnibus perduelles hæretici nihil reſpondere valent.

79. Probatur 2. ex poteſtate ferendi leges, impertiendi diſpenſationes, infligendi cenſuras, quam poteſtatem Romanus Pontifex ſuper univerſam Chriſti Eccleſiam ſemper obtinuit, ſæpiſſimèque exercuit. Quoad leges conſtat. Primò ex Leone Papa Epiſtol. 1. ad Epiſcopos Campaniæ, Piceni, Thuſciæ, & per univerſas totius Mundi Provincias conſtitutos: ac in ultima Epiſtola ſic ſcribit. *Hoc admonitio noſtra denuntiat; quòd ſi quis Fratrum contra hæc conſtituta venerit; vel venire tentaverit, & prohibita fuerit auſus admittere, à ſuo ſe noverit officio ſubmovendum*. Et infra. *Omnia Decretalia conſtituta tam Beatæ Recordationis Innocentii, quàm omnium*

Præ-

Prædeceſſorum noſtrorum, quæ de Eccleſiaſticis Ordinibus, & Canonum ordinata ſunt diſciplinis, ita veſtram dilectionem cuſtodire debere mandamus, ut ſi quis illa contempſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari. Item Epiſt. 8. ad Dioſcorum Epiſcopum Alexandrinum duas leges præſcribit hoc verborum tenore: *Id quoque à nobis volumus cuſtodiri*.

80. Conſtat 2 ex Hilario Pontifice Romano in Concilio Romano Pręſidente, ubi ſic ait: *Nulli fas ſit ſine ſtatus ſui periculo, vel divinas Conſtitutiones, vel Apoſtolicæ Sedis decreta temerare*. Tertiò ex Anaſtaſio Juniore Papa in Epiſtola ad Anaſtaſium Auguſtum, ubi ſic dicit. *Præceptis Apoſtolicis non dura ſuperbiâ reſiſtatur; ſed per obedientiam, quæ à Sancta Romana Eccleſia, & Apoſtolica autoritate juſſa ſunt; ſalubriter impleantur; ſi ejuſdem Sanctæ Dei Eccleſiæ, quæ eſt caput veſtrum, communionem habere deſideratis*. Quartò ex Sancto Gregorio Papa in privilegio, quod Monaſterio Sancti Medardi conceſſit, & habetur in fine Epiſtolarum, ubi ſic: *Si quis Regum, Antiſtitum, Judicum, vel qualiumcumque Sæcularium perſonarum hujus Apoſtolicæ autoritatis, & noſtræ præceptionis decreta violaverit, honore ſuo privetur*.

81. Ecce quomodo Pontifices Romani ab exordio naſcentis Eccleſiæ ad hodiernum uſque tempus in omnes totius orbis Eccleſias, in omnes, ac ſingulos Chriſti fideles, ſive Imperatores fuerint, Regeſue, ſive Epiſcopi, Primates, ac Patriarchæ, ſive ſimplices Sacerdotes; ſive ordinis inferioris, vel utriuſque ſexûs fideles, decreta, legeſque ſemper tulerint, præcepta impoſuerint, Conſtitutioneſque promulgaverint; & hanc apertiſſimam veritatem tot exemplis firmatam, tot monumentis, & antiquiſſima traditione munitam hæretici hujus temporis perduelles, ſive obſcuris ignorantiæ tenebris obcæcati, ſive, quod magis crediderim, ſtygiis hinc inde furiis concitatis perfrictæ frontis audacia, elatoque ſupercilio denegare moliuntur. Errarunt Reges, & Imperatores? Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, Patriarchæ, Patreſque ſapientiſſimi in Sacris uſque Scripturis, Canonibuſque verſatiſſimi, ac morum integritate conſpicui allucinati ſunt? & ſolùm iſti perduelles ſuperbia inflati, imperiti, vani, æternæque ſalutis prorſus immemores, mundi cupiditatibus dediti ſcopum veritatis attigêre?

82. De diſpenſationibus, quas Romani Pontifices ubique, ſemperque conceſſêre; infinitis propemodum cùm antiquioribus, tum recentibus omiſſis exemplis, unum tantùm, vel alterum appono ex Papa Gelaſio in Epiſt. 1. ubi ſic ait: *Neceſſaria rerum diſpoſitione conſtringimur, & Apoſtolicæ Sedis moderamine convenimur ſic Canonum Paternorum decreta librare, & retro Præſulum, deceſſorumque noſtrorum præcepta metiri, ut quæ præſentium neceſſitas temporum reſtaurandis Eccleſiis relaxanda depoſcit, adhibita conſideratione diligenti, quantum poteſt fieri, temperemus*. Et ibidem in multis diſpenſat. Secundum ex Gregorio Papa. lib. 12. Epiſt. 31. ibi. *Felici Siciliæ Præſuli dicit ſe diſpenſaſſe cum Britannis circa matrimonia in gradibus prohibitis, & rurſum cum Siculis, ut ſemel tantùm in anno Concilia celebrent: & nota Regulam bis in anno celebrandi Concilia in 1. Concilio Generali Can. 5. Statutum fuiſſe*.

83. De cenſuris, quas variis temporibus circa diverſas totius Eccleſiæ cujuſque ſtatus perſonas Romani Pontifices fulminarunt, non tot, quin plura, eaque per antiqua quidem commemorantur exempla. Primò Innocentius Papa Imperatorem Arcadium, & Eudoxiam anathemate perculit, eò quòd Sacrum Divi Joannis Chryſoſtomi pro tuenda Religione in exilio demortui cadaver ad Sedem ſuam reſtitui, ut ipſe Innocentius juſſerat, non permiſerunt, licet alii Doctores aliam illius excommunicationis cauſam aſſignent; quod nihil ad noſtram quæſtionem refert; hæc ne, an illa cauſa extiterit. Conſtat hoc ex Epiſtola Innocentii apud Nicephorum lib. 13. cap. 24. Nec obſtat, quòd Divus Ambroſius, licet Pontifex Romanus non eſſet, Theodoſium Imperatorem excommunicaverit: nam hoc ille in ſua Diœceſi, in qua tunc erat Imperator,

rator, effecit: Et eo tempore Papa nondum poteſtatem excommunicandi Reges, & Imperatores ſibi reſervaverat; ſicut de facto nunc reſervat ex privilegio Regibus, & Imperatoribus conceſſo, ne ab Epiſcopis abſque ſpeciali Romani Pontificis commiſſione poſſint excommunicari, ut affert Bonacina de Cenſuris. diſp. 1. q. 1. punct. 4. n. 15. Diana, & alii. At vero Romanus Pontifex non ſolùm exiſtentes in Diœceſi Romana, ſed ubique exiſtentes poteſt anathemate percellere; ut de facto Imperatores Græcos Conſtantinopoli degentes perculit.

84. Secundò ex Nicolao I. qui contra Lotharium Regem, ejuſque concubinam Valdradam, & contra Archiepiſcopos Colonienſem, & Trevirenſem eorum delictis conniventes excommunicationis ſententiam fulminavit. Magdeburgenſes hoc Pontificis factum auſi ſunt carpere Centur. 9. c. 9. Cæterùm ſi propter hoc in Romanum Pontificem inuehuntur, invehantur etiam in D. Paulum, qui 1. ad Cor. 7. docet etiam propter cauſam fornicationis nòn poſſe, priori uxore vivente, aliam uxorem duci: contra quod Lotharius fecit, & prædicti Archiepiſcopi permiſère, ſeu conſenſum præbuere, ut prædictus Lotharius, priore uxore vivente, quam falſis teſtibus fingebat adulteram, uxorem aliam duceret; ut refert Rheginus. lib. 2. Octofrigenſis. lib. 6. cap. 3. Sigibertus in Chronico anno 862. Bellarminus lib. 2. de Summo Pontifice. cap. 19. Joannes de Buſſiers Floſculo Hiſtoriarum. anno 855.

85. Tertiò ex Victore I. Pontifice Romano, qui Arianos Decreto Pii I. de Paſchate celebrando acquieſcere nolentes excommunicavit anno 190. ut refert Euſebius. lib. Hiſtor. cap. 24. Calvinus apud Bellarm. citatum aſſerit objurgatum fuiſſe Victorem ab Ireneo, à multiſque aliis, quòd propter tam levem cauſam, voluiſſet tot Eccleſias à corporis Eccleſiaſtici unitate præcidere. Verùm quid hoc argumentum ad noſtræ quæſtionis ſcopum attinet? nos hoc Pii I. facto ejus jurisdictionem in totam Eccleſiam probamus; ſi verò Romanus Pontifex inutiliter eam juriſdictionem exercuit, utilitatis, non juriſdictionis defectum probat, nec Irenæus, aliique judicarunt Victorem non potuiſſe, ſed non debuiſſe prædictos excommunicare, ut bene obſervavit Euſebius citatus. ibi. *Extant etiam ipſorum literæ, quibus aſperius objurgant Victorem velut inutiliter Eccleſiæ commodo conſulentem*.

86. Imò licet Irenæus, re ab ipſo tunc non bene explorata, Papam minùs prudenter ſe geſſiſſe putaverit: attamen Victor in ea ſententia fulminanda prudentiſſimè ſe geſſiſſe pro comperto habetur. Nam unus ex præcipuis illius ſententiæ de Paſchate celebrando. 14. die menſis juxta ritum Hebræorum authoribus erat Blaſius, qui eo tempore Judaiſmum paulatim introducere volebat; ut ſcribit Tertullianus de præſcriptionibus. in fine. ibi. *Blaſius latenter Judaiſmum vult introducere: Paſcha enim dicit non aliter cuſtodiendum eſſe, niſi ſecundùm legem Moyſis. 14. die menſis.* Hic Blaſius hæreſim ſuam Romæ ſeminare cœpit, regnante Victore Papa, ut teſtatur Euſebius lib. 5. hiſtor. cap. 15. Cum igitur Victor eam de Paſchate celebrando quæſtionem, ſi cum Judæis conveniretur, hæreſim, Judaiſmumque latenter irrepere vidiſſet; maturè occurrendum judicavit; & ejus ſententiam Patres Concilii Nicæni comprobavere, ut ex Epiphanio hæreſi 50. & ex Auguſtino hæreſi 29. ſatis liquet. Nec ſimile periculum viſitur in eo, quòd Eccleſia Latina in pane azymo Euchariſtiam conſecret; nam in hoc potiùs cum noſtro Redemptore panem azymum primo conſecranti ſe conformaret; ex qua conformitate nullum conveniendi cum Hebræis in Judaiſmo periculum oriebatur; nec Eccleſia Latina, ut ſe cum Judæis, ſed cum Chriſto conformaret, pane azymo in Sacra Synaxi peragenda utitur.

SECTIO V.

Probatur eadem veritas Juriſdictionis Papæ ſuper univerſam Eccleſiam.

87. HÆc ultima probatio certiſſimæ juriſdictionis in Pontifice Romano ſuper omnes totius orbis Eccleſias tribus validiſſimis argumentis nervosè ſatis corroboratur: quibus hæretici nunquam reſpondere potuerunt, niſi vel apertiſſimam veritatem perfricta fronte negando, vel ita detorquendo Sanctorum Patrum ſententias, Conciliorumque decreta evertendo, ut lux ipſa ſint illis tenebræ, & tenebras pro luce habeant; more cæcorum, qui non niſi tenebras vident.

88. Primum argumentum eſt: Pontifices Romani ad omnes mundi plagas, ubicunque fuerint fidelium Eccleſiæ, Vicarios, qui loco ſui vices agerent, ſemper miſerunt: ergo in omnes Chriſtianorum Provincias juriſdictionem habent. Sic enim Reges nonniſi ad ſuas Provincias, in quibus juriſdictionem habent, proreges mittunt. Quis autem dicat Regem Hiſpaniæ in Galliarum Provincias, ut eas loco ſui dirigant, proreges mittere, vel è contra? Calvinus hujus argumenti pondere preſſus, fatetur à Romanis Pontificibus Vicarios illuc eſſe miſſos, ſemper tamen riſu exceptos. Verùm meliùs iſtius perduellis ſolutio riſu excipienda eſt, ſibiliſque explodenda. Legat igitur Caluinus antiqua rerum monumenta, probatiſſimaque exempla; & magno, ſi illum habere velit, rubore ſuffundatur. Legat Leonis Papæ literas ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem, quem per totum Orientem, quemadmodum Prædeceſſores ſui effecerant, ſuum Vicariū fecit: tantuſque ex omni Regionis illius parte ad Romani Pontificis Vicarium Chriſtianorum numerus confluebat; ut Sardicenſe Concilium ſtatuerit Canone 20. ne Clerici externi diutius, quàm oporteret, Theſſalonicæ moram facerent. Dicetur ne illudi, contemnive Pontificis Vicarius, quem univerſa Chriſtianorum multitudo, ad ſua negotia apud Supremum ſuum Paſtorem in eo Vicario præſentem feliciter expedienda ſumma veneratione quæritabat? Hoc idem conſtat ex eodem Leone Epiſtola 87. in qua pro Africæ Regionibus vices ſuas Epiſcopo Potentio commiſerat; qui quidem ab omnibus fuit cum ſumma veneratione receptus.

89. Præterea Cœleſtinus Pontifex Romanus Cyrillum Alexandrinum ſuū fecit Vicarium ad judicandam cauſam Neſtorii, illumque deponendum; & eo depoſito, ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam vacantem interim adminiſtrandam. Videri poteſt Epiſtola Cyrilli ad Clerum, & ad populum Conſtantinopolitanum, & Epiſtola Cœleſtini ad Cyrillum tomo 4. operum Cyrilli. Deinde Gelaſius Papa, ad Epiſcopos Dardaniæ loquitur de Epiſcopo Conſtantinopolitano Acacio; cui Ægyptum moderandi ſuas vices commiſerat; mandaveratque, ut Epiſcopum Alexandrinum de ſua Sede deponeret, atque ita ſcribit: *Cur non ad Sedem Apoſtolicam, à qua ſibi curam illarum Regionum noverat delegatam, referre curavit Acacius?*

90. Item Hormiſda Pontifex Romanus in Epiſtola ad Saluſtium Epiſcopum Hiſpalenſem, eundem per Beticam & Luſitaniam Vicarium ſuum conſtituit, ut noſter Card. Bellarminus refert lib. 2. de Pontifice Romano cap. 20. Gregorius Papa lib. 4. Epiſt. 52. Epiſcopum Arelatenſem Vigilium per totam Galliam, cauſis aliquot gravioribus ſibi reſervatis, Vicarium ſuum conſtituit. Tandem Juſtinianus Imperator in Authent. collat. 9. tit. 6. ſive Novella conſtitut. 131. Scribit Epiſcopum primæ Juſtinianæ certis quibuſdam locis præeſſe debere, tanquam Romani Pontificis Vicarium, quoniam ita Vigilius Papa conſtituiſſet. Itaque ab antiquiſſima hominum memoria Sanctiſſimi, ſapientiſſimique Patriarchæ, cordatiſſimi, Religioſiſſimique Imperatores ampliſſimam Summorum Pontificum poteſtatem, diſtributis per eoſdem toto orbe Vicariis, reverenti ſemper animi ſubjectione proni adoravere; & contra hos omnes am-

ampliſſimos, graviſſimoſque Præſules, Auguſtiſſimos Imperatores quidã vulgaris furfuris homines, ſi tali nomine digni ſint, hæreſis peſte infecti, nullius literaturæ dotibus ornati, nulla authoritate ſpectabiles inſurgere moliuntur; & veluti ranæ in ſuo paludis putridæ cæno demerſæ incompoſitis audent vocibus coaxare; turbare omnia, & quoniam ratione non poſſunt, ſaltem vanis clamoribus decertare. Concedamus tamen Caluino, ejuſque infelicibus Sectatoribus id, quod ipſi probare nequeunt; videlicet, fuiſſe aliquando ab aliquibus perditiſſimis hominibus Romani Pontificis Vicarios riſu exceptos; quid Calvini cauſæ in hoc prodeſſe poteſt? an quia multi ex Hebræis Chriſtum à Patre miſſum non recognovere; imo riſu, ludibrioque impudenter excepère; Calvinus Chriſtum omnium Salvatorem eſſe negabit? Dicet ne Regem, cujus proreges ad ſuas Provincias miſſos perduelles aliqui riſu exceperint, illarum Provinciarum Regem non eſſe? Boni Chriſtiani eos Pontificis Vicarios reverenter exceperunt; perfidi verò obſtiterunt; cur perfidis, quàm fidelibus, probiſque Calvinus maluit adhærere? cur non potius ſequi probos, quàm improbos procuravit? Igitur non Rebellibus, ſed probis adhærendum eſt: hi verò ſemper Pontificis Romani Vicariis per totum orbem ab eodem miſſis adhæſerunt; eorumque mandata, diſpoſitioneſque reverenter obſervavere.

91. Secundum argumentum ex eo deſumitur; quòd ex omni totius orbis Chriſtiani parte ad Romanæ Sedis Epiſcoporum pro ultima cauſarum determinatione ſemper fuerit facta provocatio; ab illius tamen ſententia ad nullum alium provocetur: ergo Summus Pontifex ſuper omnes juriſdictionem obtinet; ſuper illum verò nullus alius juriſdictionem habere valet. Argumentum hoc inexuperabile quidem eſt: nam inconfeſſo eſt apud omnes nonniſi ad ſuperiorem poſſe appellationem concedi: aliter à Rege ad Proregem, à Patriarcha ad Epiſcopum; ab Epiſcopo ad Parochum poſſet provocari; quòd abſurdiſſimum eſt. Si ergo poſſunt omnes ad Papam, & nullus à Papa provocare poteſt; concedi oportet Papam ſuper omnes, neminem ſuper Papam eſſe poſſe.

92. Hæretici, cùm ſolvere hoc argumentum non valeant, hanc apertiſſimam veritatem perfrictæ frontis audaciâ negant, vt videre eſt apud Calvinum lib. 4. inſtit. cap. 7. §. 9. Sed contra hunc perduellem ſtat. Primò, Concilium Sardicenſe, quod quidem ſemper fuit tanquam legitimum, & univerſale in Eccleſia receptum: & Sulpitius lib. 2. Sacræ Hiſtoriæ ex toto orbe convocatum fuiſſe ſcribit. Socrates lib. 2. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ cap. 16. Generale Concilium appellat. Deinde, teſte Athanaſio in 2. Apologiæ initio, & Hilario in lib. de Synodis, fuerunt in eo Concilio pluſquam 300. Epiſcopi orthodoxi ex 36. totius Chriſtiani Orbis Provinciis, quas omnes noſter Bellarminus cum Athanaſio recenſet, videlicet Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Britanniam, Africam, Ægyptum, Syriam, Thraciam, Pannoniam, & cæteras, Legati etiam Julii Pontificis Romani adfuerunt, ut citati referunt Authores; & deinde patet univerſalem hanc eſſe Synodum; quòd omnes Chriſti fideles obliget, ut ex ultimis prædicti Concilii verbis liquet. ibi. *Univerſa, quæ conſtituta ſunt Catholica Eccleſia in univerſo orbe diffuſa cuſtodiat.* Imò hanc Synodum eſſe legitimam etiam Adverſarii Centuriatores Centuria 4. c. 9. profitentur.

93. Igitur in hac Synodo quartus Canon ſic habet. *Cum aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit eorum Epiſcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum ſibi negotium Romæ, alter Epiſcopus in ejus Cathedra poſt appellationem ejus, qui videtur eſſe depoſitus, omnino non ordinetur, niſi cauſa fuerit in judicio Epiſcopi Romani determinata.* Septimus Canon incipit. *Ut ſi Epiſcopus accuſatus fuerit,* in quo deciditur idem, quod in Can. 4. fuit deciſum. ibi. *Si appellaverit, qui dejectus eſt, & confugerit ad Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ, & voluerit ſe audiri, ſi juſtum putaverit, ut renovetur judicium, ſcribere his Epiſcopis dignetur &c.*

Digitized by Google

94. Stat 2. Papa Gelaſius in Epiſtola ad Fauſtum, ubi ſic ait. *Ipſi ſunt Canones, qui appellationes totius Eccleſiæ ad hujus Sedis examen voluère deferri, ab ipſa verò nuſquam prorſus appellari debere ſanxerunt*, & in Epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ ita ſcribit. *Ad illam de qualibet mundi parte Canones appellare voluerunt; ab illa autem nemo eſt appellare permiſſus*. Tertiò extant multę appellationes per multos Epiſcopos, & Patriarchas factæ ad Pontifices Romanos ab anno Domini 142. uſque ad annum 500. multò ante prædictum Concilium Sardicenſe; de his omnibus antiquiſſimis appellationibus apud Romanos Pontifices factis mentionem facit Bellarm.cit.cap.21. Unde patet jus iſtud appellandi ex omni parte mundi ad Pōtifices Romanos ab exordio naſcentis Eccleſiæ ad noſtram uſque ætatem vigere, inviolabiliterque ſeruari.

95. Confirmatur 1. ex S. Thoma de Potentia q.10. ar.4. ad 13. ibi. *De geſtis Chalcedonenſis Concilii habetur. Primò, quòd ſententia Synodi à Papa confirmatur. Secundò, quòd à Synodo appellatur ad Papam. Tertiò, quòd à Papa ad Synodum non appellatur: ut habetur ex Geſtis Concilii Ephesini*. Confirmatur 2. ex Auguſtino Triumpho. lib. de Poteſtate Eccleſiaſtica, ubi ſic ait: *Sententia Papæ, & ſententia Dei, una ſententia eſt; Sicut una ſententia eſt Papæ, & Auditoris ejus. Cum igitur à minori Judice ad ſuperiorem ſemper appellatio fiat; ſicut nullus eſt major ſe ipſo; ita nulla appellatio tenet facta à Papa à Deo*. Confirmatur 3. ex Divo Antonino in Summa tit.23.cap.3. §.3. ubi ſic ait: *Neque ad Concilium generale à Papa appellari poteſt: quia Papa omni Concilio Superior eſt; nec robur habet, quidquid agitur, niſi authoritate Romani Pontificis, & roboretur, & confirmetur: ſentire ergo, quòd ad Concilium à Papa appellari poſſit, eſt hæreticum, & contra illum articulum, unam Sanctam Eccleſiam Catholicam*. Hucuſque D. Antoninus; qui hanc ſuam ſententiam colligit ex illa Joan. 16. *Fiet unum ovile, & unus Paſtor*. Ex quo loco probatur de fide eſſe Eccleſiam eſſe unam. Sed ſi licitum foret à Papa provocare, & ille, ad quem provocaretur, eſſet caput, vel Papa non eſſet caput; quod quidem eſt contra fidem in Conciliis definitam, & in Sacra Scriptura expreſſam, ut ſupra vidimus; vel eſſent in Eccleſia duo capita; quòd abſurdum, monſtroſumque eſt, & Eccleſiæ unitatem diſrumpit: ergo id eſſet contra illum articulum: *Unam Sanctam & Catholicam Eccleſiam*. Vide totum locum, in quo Sanctus Doctor docet contra fidem eſſe ſentire à Papa ad Concilium appellari poſſe. Confirmari poteſt. 4. ex Duvalio, qui Doctor eſt ex Sorbonica. & in lib.4.q.poſt. ſic ait: *In cauſa appellationis appellans à poteſtate, & juriſdictione ejus, à quo appellat, eximitur: at in nullo caſu poteſt quis à juriſdictione, & poteſtate Romani Pontificis eximi: alioquin non eſſet amplius illius ovis, & per conſequens, nec Chriſtianus; cùm Chriſtus in quoſcumque Chriſtianos Petro dederit poteſtatem his verbis: Paſce oves meas, non has, aut illas, non hujus, aut illius Regionis, ſed univerſim, oves meas, ideſt, omnes, qui Chriſtianæ Religioni nomen dederunt, ut eleganter tertiò de conſideratione ad Eugenium docet Bernardus &c.*

96. Ex quibus perſpicuum fit ſecundum hoc noſtrum pro majori Pontificis, quàm Concilii poteſtate argumentum ineluctabile, ac inexuperabile prorſus eſſe: quia ſi ex Conciliis, & Patribus conſtat à Concilio ad Romanum Pontificem, & non à Romano Pontifice ad Concilium provocari poſſe; cùm appellatio ſolùm ab inferiori ad Superiorem fieri poſſit, ſequitur infallibiliter, majorem Pontificis, quàm Concilii, poteſtatem eſſe.

97. Tertium argumentum eſt non minùs efficax ad perduelles, Adverſarioſque convincendos; quod nuſquam in Sacris Canonibus Judex aliquis aſſignetur, qui Pontificis cauſam, ſaltem ſi hæreticus non eſt, judicare poſſit. Si autem in terris Judicem, à quo judicaretur, haberet; certè hic Judex aſſignaretur in aliquo Sacro Canone, vel in aliquo generali, legitimoque Concilio modus aliquis, ſeu Regula, formaque illius cauſas judicandi, aut pœna aliqua pro illius delictis, ſi fortè in aliqua pro huma-

humana fragilitate incideret,conſtitueretur: Legantur omnes Sacri Canones ab Eccleſia approbati, Generalia Concilia legitima, & à Sede Apoſtolicâ confirmata, (ut omittam Canones non receptos, & Conciliabula, quæ nullius momenti, roboriſue ſunt) & nuſquam talis Judex,qui Pontificem coercere poſſit, reperietur.

98. Unde ſic formo dilemma: Vel Eccleſia ſaltem in Concilium coacta poteſtatem habet ſupra Pontificem Romanum, vel non habet. Si non habet: ergo noſtra doctrina firma, ſtabiliſque manet, videlicet Concilium etiam Univerſale, legitimumque nullam ſupra Pontificem Romanum poteſtatem, juriſdictionemque habere. Si poteſtatem habet, prout Adverſarii contendunt: ergo in Eccleſia gubernanda, atque in Regulis, Canonibuſque pro bono ipſius Eccleſiæ præſcribendis, negligentiſſimè, perperamque ſe geſſere Generalia Concilia à plus. 15. ſæculis ad noſtrum uſque tempus delapſis, non præſcribendo modum, formamque delicta Pontificis Romani puniendi,coercendique, ſi illum coercendi, puniendique poteſtatem haberent; maximè multorũ Pontificum, qui tanquam homines fragiles ſæpe ſunt lapſi, gravia delicta perſpiciendo. Credendum ne erit,hanc negligentiam, ſocordiamque habitura Concilia, quibus Divini Numinis oraculum ſemper aſſiſtere indubitatè credimus? Nonne Princeps, ſuperiorque omnis,qui cùm poſſit ſubditorum malis occurrere, per leges, Conſtitutioneſque, & alia Juris remedia occurrit; ſed ſi ſcelera, quæ poſſit punire, impunita reliquit, ad gubernandum ineptus,vecors,imprudenſque cenſendus non eſt? Si ergo nullum hucuſque Concilium, quamvis magnum, numeroſumque fuerit, nullum Judicem, qui Pontificem coercere, punire, judicareque poſſit, conſtituit; clarè inde deducitur,nullam ſupra Pontificem Concilia etiam generalia poteſtatem habere; imò plurima Concilia, prout ſupra jam vidimus, definière Pontificis innocentiam cœlo deberi, à nulloque in terris Judice,ſed à ſolo Deo poſſe judicari, puniríque.

99. Dicunt Adverſarii, propterea Concilia nullum Judicem, nullamque formam coercendi, judicandi, puniendique Pontificem reum factum aſſignavere. Primò,quia id poſſet præſtare Concilium ad eum puniendum ſpeciatim congregandum. Secundò,quia valde timebant Patres, ne à Pontifice Concilium aliquid contra Papam ponens confirmaretur; ſicque defectu Pontificiæ confirmationis, nullius roboris evaderet. Tertiò in reverentiam Pontificis Maximi in terris Chriſti vices agentis: quia ſi aliquis particularis Judex, qui vices Eccleſiæ, Conciliive Univerſalis ageret; vel huic Pontifex obſiſteret, & propter ſuam magnam potentiam ab uno particulari, privatoque homine ferè inermi, ac prorſus viribus deſtituto Pontificia majeſtas, potentiaque ampliſſima coerceri non poſſet; finiſque omnino fruſtraretur; & potius bellorum, tumultuumq; incentivum,quàm pacis, tranquillitatiſque remedium foret. Vel ſi Concilium illi Judici Aſſeſſores aliquot Epiſcopos,auxiliumque brachii Sæcularis Principum temporalium adjungeret; quibus Pontificis potentia frænari poſſet: inde majus periculum, damnumque totius Eccleſiæ oriretur; cum ex odio, invidiaque erga Pontificem, cujus magna potentia ſæpius odium conflare ſolet; poſſent illi multa falſa delicta confingi, calumniæque falsò imponi; & tunc tumultibus omnia miſceri, Sedeſque Apoſtolica conquaſſari, convellique. Et ideo meliùs, tutiùs, & ſuaviùs id toti Eccleſiæ in Concilium coactæ competet; cui Pontifex fortè lapſus obſiſtere nullo modo poſſet.

100. Hæc tamen reſponſa nullius momenti ſunt, & quoad primum ſupponunt Adverſarii id, quod probare debuerant; & nunquam probare poterunt; videlicet, ſupponunt Concilium ad puniendum, coercendumque Pontificem poſſe congregari: imò ad hunc finem congregari non poſſe,exinde conſtat: quia in nullo Concilio generali legitimè congregato deciſum, determinatumve fuit, ut delicta Pontificis Romani à Concilio etiam generali coercean-

ceantur? Si autem Concilia hanc poteſtatem haberent; non foret convenientius id in aliqua Synodo generali decidere? nonne Concilium, ſi caſus poſtulaſſet, volens Pontificem judicare, punireque, id ſe jure feciſſe probaret allegando aliquod Concilium generale, in quo talis forma Pontificem iudicandi, puniendique deciſum, decretumque fuiſſet? Nonne tunc Pontificis cauſa caderet; Concilii verò cauſa vigeret? Igitur cum nullum Concilium eam formam puniendi Pontificem unquam aſſignaverit; ideo certè non ita aſſignavit; quia iudicare Supremum Judicem non poſſe bene agnoverat. Confirmatur: quia exceptio firmat regulam in contrarium. leg. Quæſitum. §. Denique, ff. de fundo inſtructo, & ibi Barthol. Decius, & alii Scribentes. Sed in iure ſolus caſus hæreſis, vel Schiſmatis excipitur: ergo cæteri caſus etiam enormiſſimi à Romano Pontifice (quod Deus avertat) fortè commiſſi non poſſunt ab ullo in terris, præterquam à ſolo Deo iudicari, punirive. Et hinc fieri poteſt non leve argumentvm. Concilia, & Canones ponunt modum puniendi Põtificem, ſi contumaciter à fide deficiat: quia in caſu hæreſis, & Schiſmatis duorum videlicet, vel trium Pontificum, ſe ſupra Summum Pontificem poteſtatem habere cognoſcunt: ergo in aliis caſibus quantumvis enormiſſimis, graviſſimiſque non ponunt aliquam puniendi Põtificem formam; quia ultra caſum hæreſis, prædictique Schiſmatis nullam in ſe iudicandi Pontificem poteſtatem habere bene agnoſcunt.

101. Dices. Saltem in hoc caſu jam nos fateri duo in Eccleſia capita; unum videlicet Romanum Pontificem, qui fideles iudicat, & conſequenter fidelium eſt caput, & alterum, videlicet Concilium; quod in prædicto caſu iudicat Pontificem, & conſequenter in hoc illius caput redditur. Quòd ſi ſemel concedamus poſſe in Eccleſia duo capita dari; cur in iis, quæ Pontificis perſonam ſpectant, Concilium caput Pontificis, & in iis, quæ ſpectant fideles, Pontificem caput fidelium eſſe renuimus? Si in uno caſu monſtroſum non eſt; cur in altero duo admitti capita monſtroſum eſſe aſſerimus? Cæterùm hæc Adverſariorum obiectio vana quidem, inutiliſque eſt: nam in ea ſupponitur, quando Concilium de Pontificis hæreſi cognoſcit, illud caput eſſe Pontificis: hoc enim falſum omnino eſt: nam antequam Pontificis hæreſis ſit authenticè probata; adhuc Pontifex conſervatur; & conſequenter, adhuc eſt omnium fidelium caput, licèt ægrum: quando verò eius Pontificis hæreſis, contumaciaque probata eſt; iam deſinit eſſe Pontifex; & conſequenter Eccleſia manet Acephala; ideſt ſine capite: ubi ergo ſunt duo capita, ſi nec Eccleſia, nec qui fuerat Pontifex, iam eſt caput? non Eccleſia, quia eſt Acephala, nec Pontifex, quia iam Pontifex non eſt. In aliis verò caſibus extra hæreſim, cùm Pontifex non ſit ipſo facto, vel iure depoſitus, ſemper maneret Pontifex, & conſequenter adhuc capitis dignitatem retineret; igitur, ſi Concilium extra caſum hæreſis, prædictique Schiſmatis Pontificem iudicet, erit illius Judex, & caput, erit ergo Sponſa Chriſti ſub duplici capite monſtrum deforme, horribileque contra id, quod de ea Spiritus Sanctus profatur: Tota pulchra es amica: Unde quando Eccleſia agit de crimine hæreſis in Pontifice probando: non exercet adhuc iuriſdictionem ullam directè circa Pontificis perſonam, ſed circa eius factum explorandum; & eo explorato, & authenticè probato, perſiſtenteque in contumacia Pontifice, mox à Chriſto immediatè deponitur; & iam perſona privata redditur iudicio Eccleſiæ ſubiecta. De hoc tamen latiùs infra diſceptabitur.

102. Quoad ſecundum obiectionis punctum, ſuo ſe gladio Adverſarii iugulant: nam ſi idcirco Concilia nullum puniendi Pontificis modum præſcribunt, quia timent, ne Pontifex Concilium reprobet; nulliuſque vigoris abſq; illius approbatione reddatur: ergo cenſent maiorem Pontificis, quàm Concilii poteſtatem eſſe. Si enim Synodus maior, ſuperiorque eſſet Pontifice; nihil referret, quòd eius ſubditus illam

appro-

approbaret, vel nõ approbaret: ſi adhuc credunt ſine approbatione Pontificis nullum robur, vigoremque habiturū, qua ratione dicetur Synodus Pontifice ſuperior, ſi, quod poteſt facere Pontifex, Synodus efficere non poteſt? Ideo igitur Concilia cum puniendi, coercendique Summum Pontificem modum non præſcripſere; non propter illum vanum timorem, quem certè non habuere; ſed quia Pontificem Romanum omni Concilio ſuperiorem eſſe optimè nouerant; ſubditus autem, inferiorque Superiori ſuo legem præſcribere non poteſt.

103. Quoad tertium eiuſdem obiectionis punctum, manifeſtum, perſpicuumque eſt, non eas rationes ab Adverſariis aſſignatas, ſeu potius confictas, ut Concilia modum Pontificem puniēdi, coercendique non ponerent, potuiſſe vllo modo Concilia permovere: nam eædem planè rationes vigent, ne Concilia modum puniendi, coercendi, iudicandi, damnandique Pontificem hæreticum, ac Schiſmaticum definirent, determinarentque; & tamen his rationibus non obſtantibus, modum illum in eis caſibus Pontifices eos puniendi, damnandique præſcripſere. Quam difficultatum molem non experta fuit Univerſalis Eccleſia in iudicando, deponendoque Gregorium XII. & Benedictū XIII.? ad hoc faciendum, in Concilium Piſanum coaluit; & tamen nihil profecit: ob illorum Pontificum potentiam; ac dum conabatur duorum Schiſma tollere; trium Pontificum Schiſma repullulavit; ut infra ſuo loco dicemus. In quas difficultates, ſcopuloſque non impegit, in quas Syrtes, & Caribdes non incidit, quas procellas, tempeſtatumque furores, quas fluctuum conglomeratas nubes Petri Navis non toleravit, ad omnes illos Pontifices deponendos? & tamen hæc omnia videndo, beneque cognoſcendo præterita Concilia, modum eos Pontifices dubios, Schiſmaticoſque iudicandi ſine ullo timore præſcripſere; cur ergo prædictæ difficultates, arduaque rerum diſcrimina, ad hunc ſecundum caſum Synodos ab eo præſcribendi modo non retardarunt; maximè verò ad primum, videlicet, ad iudicandum Pontificem extra caſum hæreſis, & Schiſmatis iam prædicti? Non alia ratio ea Concilia Spiritus Sancti radiis illuminata permovit, niſi quia quoad hæreſis, prædictique Schiſmatis caſum agnovere ſe poteſtatem habere; quoad alios vero caſus extra iſtum ſe nullam ſupra Pontificem Romanum poteſtatem habere optimè norunt.

104. Stat igitur tertium noſtrum argumentum ſtabile, ac inexuperabile, quod Eccleſia, cui Spiritus Sancti oraculum, ne in re tanti momenti erret, aſſiſtit, Canonem nullum condiderit, quo Romanus Pontifex cogeretur ab aliquo in terris Judice puniri: ſi ergo Patres illi antiqui in tot Conciliis Sancto Spiritu ſpirante congregatis eam reverentiam, honoremque Petro, eiuſque Succeſſori Pontifici Romano Chriſti Vicario exhibuere, ut eius Romani Pontificis delicta, ſi qua ipſe commiſerit, ſoli æterni Dei iudicio reſervaverint; qua ratione Recentes ab hac regula, modoque procedendi deflectere, penituſque recedere ſunt auſi? Nunquid ſapientiores? ſanctiores? in fide ardentiores? in ſacris literis plus verſati? in Sacris Canonibus plus eruditi? in Sacris fidei arcanis plus inſtructi? Pudeat eos Recentes Seniorum conſilia deſerere, maiorumque veſtigiis non inſiſtere.

105. Iuvat hîc tandem pro hujuſce primæ Diſceptationis coronide Laconicum noſtrarum probationum circa Romani Pontificis maieſtatem, poteſtatemque ſuper omnes Corollarium, ſive Epilogum attexere; ſeriemque argumentorum omnium pro Catholica de Suprema Pontificis Juriſdictione doctrina in unum colligere; ut ſic in compendium redacta doctrina faciliùs memoriæ commendetur; & quæ hactenus profuſo calamo ſcripta ſunt; uno ferè intuitu comprehendi, capive poſſint. In primis probatum manet Summum Romanæ Sedis Antiſtitem Supremam in univerſam totius Chriſtiani orbis Eccleſiam iuriſdictionem habere; ſupremum-

mumque in terris omnium Judicem, Magiſtrum, ac Doctorem eſſe. Primò ex Sacris Canonibus, & Conciliorum oraculis, ut ex Sectione prima, & ſecunda patet. Secundò ex Sanctis Patribus, tam Græcis, quàm Latinis; ut ex Sectione tertia liquet. Tertiò ex poteſtate, quam Romani Pontifices ſemper exercuerunt in cæteros totius orbis Epiſcopos, Primates, ac Patriarchas; eos inſtituendo, deponendo, & reſtituendo etiam ab univerſali Concilio depoſitos, ut ex Sectione quarta liquidò conſtat. Quartò ex poteſtate mittendi loco ſui Vicarios, & veluti Proreges Eccleſiaſticos per univerſam Rempublicam Chriſtianam; quibus omnes tam Epiſcopi, Archiepiſcopi, quàm Primates, & Patriarchæ, ut Summi Pontificis vices habentibus obedientiam ſupplici, reverentique ſubiectione præſtabant.

106. Quintò ex appellatione omnium fidelium, Epiſcoporum, Patriarcharumque apud Romanam, & Apoſtolicam Sedem, cuius ultima determinatione cauſæ finiebantur, ut ex Sectione tertia probatum manet. Si autem in terris daretur aliquis Judex ſupra Pontificem Romanum, ſiue Sæcularis, ſive Eccleſiaſticus; ſive univerſa Eccleſia toto orbe diſperſa; ſive eadem in Concilium univerſale congregata; jam Papa Supremus omnium Judex non eſſet: ergo vel dicendum eſt Canones, Concilia, Sanctoſque Patres erraſſe; vel ſi non errarunt, ſed veritatis ſcopum attigère; dicendum omnino eſt Adverſarios à recto veritatis tramite deflectere; conſequenterque fatendum eſt eſſe omnino verum, Summum Pontificem Romanum poſſe omnes iudicare, & à nemine in terris iudicari poſſe. Reſtat modò Aduerſariorum argumenta diſſolvere, quod per ſequentes, Deo adjuvante, Sectiones præſtabimus.

SECTIO VI.

Proponitur, & diluitur ſpecialis quædam Adverſariorum obiectio.

107. CONTRA Superiores noſtras pro maiori Pontificis, quàm Concilii etiam generalis tam in iudicando, quàm in definiendo authoritate probationes in toto hoc opere factas, opponunt Adverſarii eas minimè concludere, nec ſcopũ difficultatis attingere: nam omnia noſtra argumenta ſolum id probant, quod ipſi non negant: probant quidem Pontificem Maximum poteſtatem habere ſupra ſingulos fideles, & ſuper ſingulas Eccleſias particulares, itaut nullus excipiatur fidelis, nulla excipiatur Eccleſia, quæ à Romani Pontificis poteſtate, iuriſdictioneque eximatur: hoc autem totum Adverſarii concedunt: at non probant Pontificem Romanum eſſe ſupra univerſalem Eccleſiam in unum congregatam: quia à diviſis ad collectim ſumpta inutilis fit argumentatio. Id exemplis probari videtur. Primò in aliqua Republica, v.g. in Republica Veneta, Dux poteſtatem habet, ac iuriſdictionem ſuper ſingulos illius Reipublicæ Cives, ſuper ſingulas Civitates Venetas, ſuper ſingulos Senatores; non tamen ſuper totum Senatum collectim ſumptum; & quando moritur Dux, certum eſt totam authoritatem etiam Ducalem eſſe in Senatu. Secundò in aliquo Magiſtro Generali, vel Præpoſito Generali alicujus Ordinis; Magiſter ille, ſeu Præpoſitus habet poteſtatem ſuper ſingulos Religioſos, & Prælatos inferiores ſe; ſuper ſingulos Conventus, Domos, & Collegia; non tamen ſuper totam Religionem ſimul collectam: ergo licèt Pontifex Maximus poteſtatem, juriſdictionemque habeat ſuper omnes fideles, ſuper omnes Prælatos, ſuper omnes Epiſcopos, ſuper omnes Archiepiſcopos, ſuper omnes Primates, & Patriarchas; ſuper omnes omnino totius orbis Eccleſias; non tamen inde ſequitur; eum habere poteſtatem ſuper totam, & univerſa-

verſalem Eccleſiam ſimul collectam: imò hæc ſimul collecta poteſtatem habet ſupra Pontificem, ſicut ſuo modo Senatus Venetus ſimul collectus ſupra Ducem; & Religio ſimul collecta ſupra Præpoſitum Generalem.

108. Hæc obiectio ſatis, abundeque manet reiecta, penituſque diſſoluta ex noſtris fundamentis toto hoc opere ventilatis; quibus demonſtravimus ex Sacris Scripturis, Conciliis, Pontificum decretis, Sanctorum Patrum teſtimoniis, Theologiciſque rationibus, nimirùm Petrum, & eius legitimum Succeſſorem Pontificem Romanum, eſſe fundamentum Eccleſiæ, caput, & paſtorem. Juxta illud ſæpius in hoc opere repetitum: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Matth. 16. & juxta illud: *Paſce oves meas*. Joan. ult. nam quod eſt in domo fundamentum eſt in corpore caput, & in grege Paſtor: unde ſicut fundamentum non pendet à domo, ſed domus à fundamento, ita etiã, ut utar verbis doctiſſimi Bellarmini .l.2. de Conciliis cap. 15.) *Caput non pendet à corpore, ſed corpus à capite, & paſtor non pendet à grege, ſed grex à Paſtore*. Unde Eccleſia, quæ eſt Chriſti grex dependet à Paſtore Pontifice Romano; non Pontifex à grege Chriſti, ſiue Eccleſiâ.

109. Quòd verò nomine Eccleſiæ intelligatur etiam Concilium, ipſi Adverſarii concedunt; ex Matth. 18. ubi de eadem ſua Eccleſia Chriſtus dixit: *Si eos non audierit, dic Eccleſiæ*; quo loco per Eccleſiam Adverſarii Generale Concilium intelligunt. Unde ſic ad hominem contra ipſos Adverſarios arguo. Dum Chriſtus dicit; *Dic Eccleſiæ*. Per Eccleſiam intelligitur Concilium Univerſale: ut fatentur Adverſarii: ergo dum dicit: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; cur per Eccleſiam Concilium Univerſale non intelligatur? Deinde Eccleſia congregata, ſive Concilium propriiſſimè eſt Eccleſia Chriſti; ut etiam Adverſarii fatentur: ſiquidem Eccleſia eſt congregatio fidelium: ergo quo magis eſt congregata, ut eſt Concilium; eò magis propriè illud dicetur Eccleſia: tum ſic: Chriſtus conſtituit Petrum, & conſequenter Romanũ Pontificem fundamentum, & caput Eccleſiæ; *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: Eccleſia congregata, ſive Concilium Univerſale, verè & propriiſſimè eſt Eccleſia: ergo Chriſtus Pontificem Romanum conſtituit caput etiam univerſalis Concilii. Vnde, inquit Bellarminus citatus, *cùm Chriſtus dicit*: ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; *ſtultè excipitur Eccleſia Univerſalis congregata, cum ea ſit propriiſſimè Eccleſia*.

110. Præterea Eccleſia Chriſti ſemper eſt congregata formaliter: quia eſt unum regnum, una familia, unus grex; unde non poteſt Pontifex dici caput Eccleſiæ, quin dicatur caput Eccleſiæ congregatæ formaliter: Si ergo Pontifex dicitur caput Eccleſiæ congregatæ formaliter, cur non dicetur caput Eccleſiæ congregatæ materialiter, quo ad locum? Tandem idem habetur ex cap. ultimo Joannis. *Paſce oves meas*. Licet enim Chriſtus dicat: Paſce oves meas; & non dicat: Paſce Eccleſiam meam: at id bene explicauit ipſa Eccleſia à Spiritu Sancto illuminata; dum ait in oratione pro Pontifice Romano, *Deus omnium fidelium Paſtor, & Rector, qui famulum tuum N. Eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti*: ac proinde idem eſt dicere: Paſce oves meas ac: Paſce Eccleſiam meam: ſed, ut probatum eſt; Eccleſia congregata, ſive Concilium, eſt Eccleſia Chriſti: ergo Pontifex eſt Paſtor, & Rector Concilii; & conſequenter, qui dicit Concilium eſſe Paſtorem, Rectoremque Pontificis Romani, verbis Chriſti adverſatur.

111. Confirmatur ex Card. Bellarmino citato: quia vel Eccleſia congregata, ſive Concilium pertinet ad oves Chriſti, vel non: ſi pertinet; ergo Eccleſiæ congregatæ, ſive Concilii Generalis Paſtor eſt Petrus, eiuſque Succeſſor Pontifex Romanus: ſi non pertinet: ergo Chriſtiani per Congregationem deſinunt eſſe oves Chriſti, quod abſurdiſſimum eſt.

112. Quod item Pontifex non ſolum ſit caput, & Paſtor omnium ſingularum Eccleſiarum, ſed Concilii etiam Univerſalis; probatur primò ex Con-

cilio Chalcedonenſi, quod habetur omnium maximum, & in quo tota Eccleſia Univerſalis conſpiciebatur, ut notat Bellarminus cit. Hoc Concilium in Epiſtola ad Leonem diſertis verbis fatetur illum fuiſſe totius Univerſalis Concilii caput; *Quibus*, inquit, *ut caput præeras*. Secundò Concilium Lugdunenſe, relatum in cap. Ubi periculum, de elect. in 6. vocat Pontificem Univerſalis Eccleſiæ Rectorem: ergo non eſt ſolum Eccleſiarum particularium Rector. Tertiò in Concilio Florentino definitum eſt Pontificem eſſe totius Eccleſiæ caput; & accepiſſe à Domino pleniſſimam poteſtatem regendi Eccleſiam univerſalem. Quomodo ergo haberet poteſtatem regendi Eccleſiam univerſalem, ſi poteſtatem non haberet regendi univerſale Concilium? Quartò, quia Concilium Conſtantienſe ſeſs. 15. damnavit hæreſim Joannis Huſs aſſerentis Pontificem non eſſe caput Eccleſiæ; iam verò probatum eſt nomine Eccleſiæ propriè venire Concilium Univerſale.

113. Accedit ad hæc, quòd Pontifex ſit immediatus Chriſti Vicarius, ut habetur in Concilio Lugdunenſi, & Florentino citatis, & in Concilio Conſtantienſi ſeſs. 8. Vbi damnatur hæreſis Wicleff dicentis Papam non eſſe immediatum Chriſti Vicarium; Si autem univerſale Concilium ſupra Pontificem eſſet; iam hoc foret Chriſti Vicarium immediatum, & Pontifex Vicarius mediatus. Tandem, quia Chriſtus reliquit Petrum, eiuſque Succeſſorem Pontificem Romanum, ut ſui Vicarium in terris: ſed Chriſtus Eccleſiæ tam diſperſæ, quàm congregatæ inuiſibiliter præeſt; & tam diſperſæ, quàm congregatæ ſi eſſet in terris viſibiliter, viſibiliter præeſſet: ergo eius Vicarius Pontifex Romanus Eccleſiæ tam diſperſæ, quàm congregatæ præeſt. Omitto hic cætera, quæ alibi diffuſiùs, enucleatiùſque tractavimus.

114. Ex quibus iam apparet diſcrimen inter caſus ſupra poſitos, & caſum noſtrum: in illis enim non fit argumentum à diviſis ad ſimul collecta: tum quia Reſpublica illa Veneta ſolùm conceſſit poteſtatem Duci Veneto ſupra ſingulas Civitates, ſupra ſingulos Cives, & ſupra ſingulos Senatores, non verò ſupra Senatum ſimul collectum; tum quia Senatus ſimul collectus habet poteſtatem formaliter; & illam Duci eo modo, quo vult, communicat; & ſuppletivè: unde Duce mortuo, ſupplet eius iuriſdictionē; idem viſitur in ſecundo exemplo, de Magiſtro, ſeu Præpoſito Generali: at in Pontifice Romano non ita eſt: non enim accipit iuriſdictionem ab Eccleſia, ſed illam unicè habet à Chriſto, ut toto hoc opere latiſſimè manet probatum; Chriſtus autem non illi reſtrinxit, limitavitque poteſtatem; ſed eam illi dedit ſuper omne, quod habet rationem propriam veræ Eccleſiæ Chriſti, gregis, & ovium Chriſti; Concilium autem univerſale, propriiſſimè eſt Eccleſia Chriſti, grex Chriſti, & pertinet ad oves Chriſti, ut probatum eſt; & concedunt etiam Adverſarii: ergo Pontificem Romanum etiam ſupra univerſale Concilium poteſtatem, iuriſdictionemque habere, negari nullo modo poteſt.

115. Ex dictis perſpicuum eſt primò à diviſis ad ſimul collecta in noſtro caſu valere argumentum; ut jam ex ſuperiori noſtra doctrina ſatis conſtat. Ratio eſt manifeſta; quia in hoc caſu noſtro; in diviſis, & inſimul collectis datur eadem omnino ratio; quando autem datur eadem omnino ratio, eadem dari debet diſpoſitio; ex recepto utriuſque iuris principio: quòd clariſſimè patet in hoc exemplo. Singulæ creaturæ ſubiiciuntur Deo; quia dependent à Deo: ergo etiam omnium creaturarum collectio ſubiicitur Deo; quia etiam creaturæ ſimul collectæ à Deo dependent; & ita in ſimilibus caſibus, qui à nobis figurari poſſunt. Pariter ergo: omnes Eccleſiæ particulares ſubiiciuntur Pontifici Romano; quia omnes dependent ab illo: ergo omnes Eccleſiæ ſimul collectæ, ſive Concilium generale; ſubiiciuntur Pontifici; quia etiam ſimul collectæ, ſive Concilium, dependent à Pontifice Romano; tum quia ſine illius approbatione, & confirmatione vigorem non habet; tum ex multis aliis rationibus in toto hoc opere expenſis;

quas

quas hîc non iuuat repetere.

116. Perſpicuum eſt ſecundò, licet à poteſtate ſuper omnes omnino Eccleſias particulares fiat optimum argumentum ad poteſtatem ſuper eas ſimul collectas, ut probatum eſt; multo magis id certum eſt: quando ea poteſtas ſuper Eccleſias ſimul collectas, Pontifici à Christo expreſsè conceſſa eſt; ut eam conceſſiſſe patet ex Sacra Scriptura, Cõciliis, Patribus, Pontificum decretis, & Theologicis rationibus: quare præſcindendo à cenſuris in contrariam partem; quas ferre, fulminareque non ad nos, ſed ad Sedem Apoſtolicam ſpectat; negari non poteſt maiorem eſſe Pontificis, quam Concilii etiam generalis authoritatem.

SECTIO VII.

Refelluntur objectiones aliquorum DD. etiam ex Catholicis contra noſtrum ſecundum argumentum, ſeu ſecundam probationem ſupra poſitam de non appellando à Papa.

117. Poſſe ſaltem concedi ius appellandi à Papa ad Concilium contendunt aliqui DD. qui ſe profitentur Catholici: ergo ſaltem hic modus appellandi à Papa non eſt negandus nec reprobandus inter Catholicos. Exẽpla eorum, qui ad futurum Concilium conati ſunt appellare, videri poſſunt apud Authorem Regalis Sacerdotii infra citandi.

118. Huic argumento reſpondet Eugenius Lombardus. lib. 2. de Regali Sacerdotio ꝯ.7. pag. 373. has prædictas appellationes fuiſſe factas ad Concilium, non ut Judicem ſupra Papam, ſed ad melius informandum ipſum Papam, quod non eſt appellare à Papa ad Concilium, ſed à Papa ad Papam meliùs informandum; quod quidem genus appellationis non eſt contra Sacros Canones, aut Sanctos Patres, nam aliquando eſt neceſſarium convocari Concilium univerſale, ut meliùs pro bono totius Eccleſiæ Papa definiturus informetur iuxta S. Auguſt. lib. 4. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 12. & lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 7. & cap. 28. & lib. 2. cap. 4. ex quo non ſequitur Concilium eſſe ſupra ipſum Papam: facultas enim informantis non indicat ſuperioritatem Judicis. Hæc tamen ſolutio non ſoluit difficultatem: nam revera illi appellantes non tam conſiderabant in Concilio convenientiam informantis, quàm poteſtatem Judicis: ut manifeſtè patet ex tenore appellationis; qui tenor erat hujuſmodi: *A Sanctiſs. D. N. Papa Innocentio minus debitè conſulto ad ſe ipſum meliùs conſulendum, & ad Sedem Apoſtolicam meliùs conſulendam, necnon ad Sacroſanctam Synodum celebrandam, illumque, vel illos, ad quem, vel ad quos de jure appellare nobis licet, &c.* In quibus verbis clauſula diſiunctiva, ad quem, vel ad quos. Denotat diverſitatem inter Judicem, & Judicem: Igne in Authen. ex cauſa num. 7. Cod. de liberis præteritis. Roland. to. 4. conſ. 99. num. 57. deinde eſt alternativa. leg. Hæc verba, ille, aut ille. ff. de verbor. ſignif. Pariſien. conſ. 91. num. 29. lib. 2. item non exigit concurſum omnium, ſed contenta eſt altero de requiſitis. Text. in cap. de alternativis de reg. iur. in 6. & in l. ſi hæredi plures, ff. de condit. inſtit. & in ꝯ. penult. Inſtit. de hæredib. inſtit. Barthol. in l. ſi iis, qui ꝯ. Vtrum num. 1. & verſ. *& ſic conſtat*. lib. 1. & communiter Juriſtæ. Item ponitur inter æqualia, & eodem modo determinata, & qualificata. leg. 1. ff. de rebus dubiis, cum ibi plenè notatis per Soccin. & alios. Unde ex tenore illius appellationis primò indicatur Concilium ut diverſus Judex, & conſequenter ſuperior ipſo Papa, cùm verè interponatur appellatio ad Concilium; & appellatio ſemper eſt ad maiorem Judicem. cap. Anteriorem 2. q. 6. cap. cùm inferior de maioritate. leg. 4. ff. de receptis.

118. Secundò denotat poſſe Concilium relicto Papa iudicare. Tertiò non eſſe fortiùs judicium Papæ, quam Concilii, imò cum æqualitate ad iudicandum arguitur in Concilio ſuperioritas ad reformandum. Hæc autem omnia ſunt contra Sacros Canones, Concilia, & Patres, ut ſupra manifeſtè demonſtratum

 eſt.

eſt. Quare non poteſt mihi placere prima ſolutio.

119. Reſpondeo igitur omnes illas appellationes à Papa ad Concilium fuiſſe iniuſtas, & ex facto iniuſto non poteſt adduci iuſta probatio, nec probari recta poſſeſſio; aliter fur ex multis actibus furandi res alienas probaret ius retinendi res furto ablatas. Ad hoc intelligendum variis modis poteſt formari appellatio ad Concilium. Primò ad Concilium, ut oppoſitum Papæ, & congregatum, repugnante, & contradicente ipſo Papa: & hoc modo appellatio eſt frivola, & nulla: nam cùm Concilium ſine conſenſu, & approbatione Papæ ſit nullum, ut iura clamant, appellare hoc modo ad Concilium, eſt appellare ad ſpatium imaginarium, quod nihil eſt, & conſequenter nulla, frivola, & ridicula erit appellatio. Secundò modo poteſt fingi appellatio à Papa ad Concilium futurum, & ad futurum legitimum Papam: & hæc appellatio eſt nova, & Sacris Canonibus ignota, & verè frivola: nam quomodo poteſt rectè appellari ad iudicem, qui non eſt; nec erit, aut ſi erit, incertum, quando, & ubi? appellatio eſt ſemper à minori ad maiorem ex dicto cap.cùm inferior, quomodo autem maior eſt; qui necdum erit? Præterea hoc genere appellationis omnes ſententiæ poſſunt eludi: nam eadem facilitate poſſunt vel impediri illa Concilia, aut defectu aliquo obiecto, non recipi. Sit exemplum in actis Lugdunenſis Concilii I. ubi Thadæus Friderici Imperatoris II. qui ad Concilium provocaverat; ab ipſo Concilio condemnatus, appellavit ad aliud Concilium plenius; & ab iſto eodem rurſus convocato fortè condemnatus, ad aliud ſimiliter appellaret; & ſic in infinitum, & ita omnes ſententiæ eluderentur. Deinde Galli, qui à Papa anno 1532. Concilium ardenter poſtularunt, teſte Pallauicino Hiſtor. Trid.cap.5.num.16. paulo poſt illud ipſum Concilium non acceptarunt; nec unquam, ut illud reciperent (præterquàm in dogmatibus fidei) perſuaderi ſe paſſi ſunt: quid enim tam facilè eſt, præſertim magno Principi, quàm obijcere Concilio etiam univerſali aliquem defectum, aut nullitatem; cum multa ſint neceſſaria ad legitimitatem; variiſque modis, & tergiverſationibus effectus Conſilii impedietur; & reportabit culpa triumphum de pœnę ſilentio. Deinde cum incertum ſit Concilium, quia incertum eſt, quando, & ubi, & an futurum ſit propter aliquod obſtaculum; incertus remanebit Judex: incertitudo autem prorſus vitiat actum, ut nullum producat effectum. l.cùm 17. ff. de in diem addict.l.cùm poſt §.gener. 1. ff. de jure dot. l. Ita ſtipulatus 115. ff. de verb. oblig. quis non videat eſſe frivolam appellationem ad Judicem non extantem, ſed naſciturum; ut ſi vaſſallus appellat à Rege vivo, ad filium naſciturum, & regnaturum poſt mortem Patris?

120. Tertio modo poteſt fingi appellatio ad Concilium, ut approbandum ab ipſo met Papa; à quo fit appellatio: Supponamus ergo, quod ita fieret Concilium; ſaltem non poſſunt negare Adverſarii eſſe valde incertam ſuam opinionem aſſerentem Papam eſſe inferiorem Concilio: nam Sacri Canones, Sancti Patres dicunt Papam eſſe Superiorem Concilio, & id clarè colligitur ex Conciliis legitimis univerſalibus, & ex Sacra Scriptura iuxta unanimem Sanctorum Patrum conſenſum explicata id clarè colligitur; ut ex ſupradictis manifeſtum manet; & ſolum pauci aliqui Doctores leviſſimo, imò nullo fundamento fulti id vertunt in dubium, quæ authoritas tam debilis, & infirma non poteſt non reddere ſuam opinionē valdè dubiam, & incertam: ergo non debent negare ſuam opinionem ſatis eſſe incertam; ne dicam falſam, & erroneam; (quia has cenſuras à Sede Apoſtolica ponendas relinquo) ſi eſt incerta: ergo authoritas Concilii eſt incerta: & conſequenter diſpoſitio, & deciſio Concilii erit incerta, fallibilis, & emendabilis; à quo igitur emendabitur? ab alio Concilio? de hoc etiam poteſt fieri eadem quæſtio; & ſic in infinitum. Neceſsè igitur eſt, quod Papa in Concilio prius definiat Concilium eſſe ſupra Papam, quod nunquam definiet, cùm ſit contra Canones expreſſos, contra multa æcumenica Concilia ſupra relata;

con-

contra Sacram ſcripturam explicatam à communi Patrum conſenſu: nec Spiritus Sanctus ei aſſiſtet ad talem definitionem clariſſimis Sanctorum Patrum, Sacrorum Canonum, Apoſtolicæ traditionis, Divinæ Scripturæ teſtimoniis oppoſitam. Si ergo Concilii iuriſdictio manet incerta, ac dubia, quomodo firma erit appellatio à Judice certo ad valde dubium?

121. Unde reiicienda omnino eſt prędicta appellatio à Papa ad Concilium. Primò, quia non admittitur appellatio ſaltem, quo ad effectum ſuſpenſiuum quando res dilationem non patitur, l. ſi res 7. ff. de appellationibus recipiendis: at plerumque, ac præſertim in cauſis fidei, non poteſt ſine graviſſimo damno Concilium expectari; ſicut magnum aliquod incendium, niſi extinguatur quam primum, omnia devorabit. Secundò, quia appellatio inducta eſt à iure naturali ad defenſionem proprii iuris, quæ defenſio omnibus eſt concedenda. cap. ſuper 17. de appellat. cap. cum appellationibus eodem titulo. l. 4. §. Item. ff. de appellat. quomodo ergo ſperare poteſt appellans defenſionem à Concilio, quod tam difficile poteſt convocari? quomodo rhedæ, currus, equi, naves velo inſtructæ, immenſæ pecuniæ impendendæ, voluntates Principũ plerumque averſæ, aliaque convocationi neceſſaria in promptu erunt; ut iſta commodè fiat appellanti defenſio? quaſi tam facilè ſit Concilium generale cogi, quàm facilè eſt ad Concilium appellare.

122. Tertiò appellatio inducta eſt ad iuſtitiam, & innocentiam tuendas; & ideo appellationes frivolæ, causâ morandæ litis factæ non admittuntur. cap. cùm ſit 5. cap. pervenit. 13. cap. conſuluit. 14. cap. pervenit. 28. de appellat. cap. qualiter. 17. de iudic. l. 6. & l. ult. C. quando provocare &c. & toto Cod. quorum appellat. at verò appellationes ad Concilium lites, cauſaſque non tantùm morantur, ſed quaſi æternant, propter infinita impedimenta, & obſtacula, quæ convocando Concilio ex toto Orbe Chriſtiano poſſunt occurrere; & rerum ſtatum mutare; data interim opportunitate evadendi ſententiam etiam juſtam: Hujuſmodi ergo appellationes ad nil aliud inſeruiunt, quàm ad enervandam Pontificis authoritatem, eamque inutilem reddendam, ad evadendas pœnas à jure, vel ab homine impoſitas, ad ſcelera interim impunè continuanda.

123. Quartò, quia appellatio expreſso jure prohibita, nulla eſt. cap. Paſtoralis. cap. conſuluit. 29. de appellat. l. ſi res. 7. §. 1. ff. de appellat. recipiend. ſed appellatio ad futurum Concilium graviſſimè eſt à Summis Pontificibus prohibita. Primò quidem à Calixto III. anno 1457. Secundò à Pio II. ann. 1450. Tertio à Sixto IV. anno 1483. qui veſtigiis Pii Pontificis Prædeceſſoris inhærens eos, qui ſic appellant ad futurum Concilium anathemate ferit: cujus hæc ſunt verba diplomatis: *Nos, qui diſponente Domino, qui nos unxit oleo lætitiæ præconſortibus noſtris; in eo ſumus officio conſtituti, ut ſingularum animarum ſaluti conſulere, iuſtitiam colere; & iniquitatem odiſſe debeamus; attendentes, quod de minoribus ad maiores Judices duntaxat appellare legalis permittit authoritas; & propterea inhibet ab Imperiali, & præfato prætorio iudicio appellari, & quod non homo, ſed is dumtaxat, qui ſolo verbo fecit cœlum, & terram, Apoſtolicam Sedem, & in eo ſedentem prætulit univerſis etiam Conciliis, quæ ab ea robur accepiſſe Sanctorum Patrum Decreta teſtantur*; & etiam Gelaſius Papa contra Acatium Fauſto Legato ſcribens, dum ait: *Ipſi ſunt Canones, qui appellationes totius Eccleſiæ ad huius Sedis examen voluère deferri; ab ipſa autem nunquam appellari debere, & ipſa de tota Eccleſia iudicare; de ipſius autem iudicio nunquam iudicari ſenſerunt*; & dum ſcribit ad Orientales Epiſcopos, dicens. *Sedem prædictam, nulla Synodo præcedente, ſolvendi, quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi, quos oportuit, nulla exiſtente Synodo habuiſſe facultatem. Teſtantur etiam quàm plurimorum antiquorum Conciliorum Epiſtolæ, in quibus verba illa apponuntur, Salva in omnibus Apoſtolicæ Sedis authoritate; & quod de iis, & quàm plurimis aliis iuribus, & Canonibus, &*

autho-

authoritatibus piæ memoriæ Pius Papa Secundus Prædeceſſor noſter, dudum de fratrum ſuorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & Prælatorum, & iuriſperitorum tunc Romanam Curiam ſequentium conſilio in Conventu Mantuano authoritate Apoſtolica in perpetuum valitura Conſtitutione; omnes qualitercunque appellantes à Romano Pontifice Canonum tranſgreſſuros, & illos ex eis, qui ad non indictum, nec congregatum Concilium appellare præſumerent, aliud caput in Eccleſia Dei, & imaginarium maius, & ſublimius tribunal confingentes contra Apoſtolum dicentem: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod Chriſtus conſtituit, hujus Sanctæ Sedis Primatum negare, Eccleſiæ unitatem dividere, non unum ſolum privilegium eidem Eccleſiæ adimere, ſed præcipuam, & principalem authoritatem, quam & vox Chriſti, & maiorum traditio, & Canonum fulcit authoritas, penitus ſubvertere non verentur præ cæteris deteſtabiliores eſſe, & eorum appellationes hujuſmodi quacunque occaſione interponerentur, non ſolùm irritas, & inanes, ſed frauduloſas, & ſacrilegas, & hæreticas eſſe declaravit. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1483. *Idib. Iulii Pontificatus noſtri anno* 12.

124. Excripſi hoc diploma per extenſum, quia in illo non ſolum prohibetur omnis appellatio à Papa ad futurum Concilium, ſed probat noſtram hactenus explicatam doctrinam ex Sacra Scriptura, Conciliaribus Epiſtolis, Apoſtolica traditione, Sacris Canonibus, & Sanctorum Patrum authoritate; ex quibus nullum relinquitur dubium, eſſe prorſus inanes ſimiles ad Conciliũ appellationes, quas prædictus Papa non ſolum ſacrilegas, ſed etiam hæreticales vocat. Dum tamen audis, *Ad non indictum Concilium*; non ſequitur, quod liceat appellare ad indictum; tanquam ad Judicem Superiorem; hoc enim damnat Pontifex in hoc diplomate; ſed ad Summum indicto iam Concilio, poterit Pontifex exorari, ut gravem aliquam cauſam velit in eo Concilio determinare; ut meliùs ſit informatus; quod ſæpius Pontifices effecerunt.

125. Quartò oſtenditur prohibita appellatio ad futurum Concilium ex Rodulpho Summi Pontificis internuntio anno 1461. dum Archiepiſcopum Moguntinum ad futurum Concilium appellantem ſic allocutus eſt: *Ab eo appellaſti, Diethere; qui tamen ægrè ferres, ſi quis Provincialium tuorum à teipſo appellaſſet.. Sed quem appellaſti Iudicem? quem provocaſti tuæ cauſæ cognitorem? futurum Concilium dicis, appellavi, & ubi eſt futurum Concilium? ubi ſedet? ubi tribunal ejus requirimus? pulchra inventio, ut impunita ſint ſcelera, ut liceat ſine metu iudicii aliena invadere: id Judex appellatur, qui nuſquam reperitur. In conventu Mantuano adverſus hanc nequitiam lex edita eſt, quæ appellanti ad futurum Concilium eam irrogat pœnam, qua rei majeſtatis, & fautores hæreticorum plectuntur.* His verbis Moguntinus conuictus, pudoris confuſioni retractationem adhibuit; quod & fecit Fridericus Palatinus Rheni, qui ejuſmodi appellationi adhæſerat; & Rodulphi verbis ab eadem receſſerat: quamvis uterque poſtea ad idem vomitum redière.

126. Dices non eſſe credendum Põtifici iudicanti in propria cauſa. Hæc replicatio nullius eſt momenti. Primò, quia etiam iure humano cautum eſt, Judicem cognoſcere, an ſua ſit iuriſdictio. l. ſi quis ex aliena ff. de iudic. l. 2. ff. ſi quis in ius vocatus: quod maximè verũ eſt de Judice Supremo, qui non habet alium ſupra ſe: qualis eſt Summus Pontifex, cui dictum à Deo: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Secundò, quia ſi lis orta ſit inter Pontificem, & Concilium; quis erit Judex? nam etiam Concilio idem obiici poteſt in cauſa propria ad ſententiam dicendam non admitti. Et ſic dabitur aliqua lis graviſſima, & in cauſa graviſſimi momenti, quæ defectu Judicis in Eccleſia Dei nunquam dirimenda ſit: ſupponamus ergo litem hanc in caſu præſenti de ſuperioritate Papæ ſupra Concilium, non poſſe iudicari à Papa, quia, dicis, ſit Judex in propria cauſa: ergo ſimiliter non poterit iudicari à Concilio; quia fiet Judex in propria cauſa: ergo cauſa

hęc graviſſima nunquam iudicabitur in Eccleſia defectu Judicis: ergo Chriſtus non bene providit regimini ſuæ Eccleſiæ, quod dicere hæreticum eſt, & blaſphemum. Reſpondebis: Judicabit Pontifex cum Concilio. Sed hæc reſponſio deſtruit ſuppoſitionem; qua ſupponimus litem moveri inter Concilium, & Pontificem; quis ergo tunc erit Judex? Certum eſt de fide dari in Eccleſia Supremum Judicem ad omnem Eccleſiaſticam litem dirimendam: & hæc veritas revelata eſt à Deo in illis verbis: *quodcunque ſolueris &c. Paſce oves meas &c. ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam.* Sed hæc verba ad ſolum Petrum, eiuſque Succeſſorem Romanum Pontificem directa ſunt, ut ex Sacris Canonibus, Oecumenicis Conciliis, Patrum teſtimoniis, Apoſtolica traditione, oraculis Pontificiis in toto hoc opere manifeſtè conſtat: ergo non poteſt hoc negari ſine periculo in fide.

127. Dices 3. Concilium Univerſale errare non poſſe; ideoque ad illud poteſt confugi, tanquam ad oraculum certum, & infallibile; & non ad Pontificem. Sed hæc replicatio manifeſtè falſa eſt: nam conſtat ex Hiſtoriis Eccleſiaſticis multa ſæpè Concilia generalia turpiter erraſſe. Primò anno Domini 359. ſub Liberio Pontifice erravit Synodus Ariminenſis, in qua fuerunt Epiſcopi ſupra 400. & Legati Apoſtolici, quorum unus fuit Vincentius Capuæ Epiſcopus: quando falſæ pacis prætextu Filium Patri ſimilem dixerunt, expuncta voce *Conſubſtantiali*; ut Arianis blandirentur; tunc enim teſte Hieronymo, dedita velut arce fidei, & Religionis Catholicæ, Nicęnæ fidei damnatio conclamata eſt; totuſque ingemiſcens orbis ſe Arianum eſſe miratus eſt. Liberius verò Papa negavit ſuffragium; & propterea fuit in exilium deportatus. Audi Epiſtolam Damaſi, & Concilii Romani apud Theodoretum. lib. 2. cap. 22. ibi. *Numerum Epiſcoporum, qui erant Arimini congregati, præjudicii vim habere non debere, præſertim cùm formula illa compoſita ſit, neque Epiſcopo Romano, cujus ſententia præ cæteris omnibus erat expectanda, neque Vincentio, neque aliis ei conſentientibus, cumque illi ipſi, qui in fraudem illecti à veritate deflexiſſe viſi eſſent; poſt ad meliorem mentem denuo traducti, planè teſtarentur hanc formulam ſibi magnopere diſplicere.* Idem narrat Sozom l. 4. cap. 13. Ne dicas hanc Synodum erraſſe, quia Arianorum fraudibus, metuque fuerunt corrupta Patrum ſuffragia; ſed hoc ipſum noſtrum probat intentum, eſſe, ſcilicet, generale Concilium his fraudibus, erroribuſque ſubiectum; nec intereſt, quo diverticulo, ſi à via recedat. Secundò anno 391. erravit Synodus Generalis ſecunda, Conſtantinopolitana prima 150. Patrum, quando contra præſcriptum Concilii Nicæni, & contra iura Eccleſiæ Alexandrinæ Patriarchæ Conſtantinop. Primatum dedit poſt Romanum Pontificem, abſente, & non audito Patriarcha Alexandrino, quem Canonem Romana Sedes nunquam ratum habuit, utpote contra Decreta Nicæni, cujus Decreta à Summo Pontifice approbata, ſine ejus conſenſu ſolvi non poterant; de quo vide Sanctum Leonem Epiſt. 51. ad Anatol. Sanctum Gregorium Magnum lib. 6. ind. 51. ep. 51. Maymburg. lib. 1. de Schiſmate Græcorum. Et quamvis non fuit error fidei, fuit error moris, cum contra iuſtitiam inaudita parte ius abſtulerit alienum; ideoque fuit dictus error gravi reprehenſione dignus, & merito à Summis PP. correctus; cum in nulla ſeu fidei, ſeu iuſtitiæ cauſa inferior ſuperiori ius dicat. Tertiò anno 451. erravit Synodus IV. Generalis Chalcedonen. ſub Leone I. Papa, & Imperatore Marciano, quando Act. 15. Primatum in Oriente Archiepiſcopo Conſtantinopolitano detulit: qui Canon à Sedis Apoſtolicæ Legatis expungi iuſſus eſt, ut habetur Act. 16. & in Epiſt. 59. B. Leonis, & Gregorii Magni citati. In eadem Synodo Chalced. Act. 6. clauſula polita ſavens errori Eutychetis correcta fuit à Sede Apoſtolica per Legatos Apoſtolicos, ut habetur Act. 5. tom. 2. Conciliorum.

128. Quartò anno 692. Conſtantinopoli celebrata eſt Synodus Quini-ſexta ſub Sergio Pontifice, & Imperatore Juſtiniano Juniore præſidentibus in ea

Lega-

Legatis Apoſtolicis, teſte Balſamone in Nomocanone; qui illam in Actis Concili univerſalem appellat; eiuſque Canones præſertim 82. Adrianus Papa Epiſtola ad Tharaſium valde commendat, de quo infra. Erravit tamen hæc Synodus quo ad Cælibatum Sacerdotum, & Sabbathi jejunium, ut patet ex Can. 13. & 55. & propterea ab Eccleſia vocatur erratica Synodus; nec unquam Sergius, & alii Pontifices adduci potuerunt, ut eam reciperent, teſte Athanaſio in Sergio, & Beda in Juſtiniano minore.

129. Quintò anno 449. ſub Leone Papa, & Theodoſio Imperatore Juniore erravit Synodus 2. Generalis Epheſina Epiſcoporum 128. & interfuerunt ibi Apoſtolici Romanæ Sedis Legati: in ea Eutyches abſolutus, damnatique Sanctiſſimus Flavianus, aliique Catholici Epiſcopi, ita ut prædicta Synodus fuerit à Sanctis Patribus, & Catholicis viris latrocinans, & prædatoria appellata; illamque damnavit Leo Pontifex Maximus, teſte Longombardo, de Regali ſacerdotio lib. 2. §. 10. pag. mihi 390. ubi refert antiquiores.

130. Sextò anno 1431. erravit Concilium Baſileenſe à Martino V. & Eugenio IV. indictum, & poſtea ab eodem Eugenio, & à Leone X. in Concilio Lateranenſi damnatum aſſenſu Ludovici Regis Chriſtianiſſimi, qui Baſileenſi Concilio renuntiavit, promiſitque Regio diplomate per ſuos Oratores in publico conuentu recitato ſe ſemper Concilio Lateranenſi adhæſurum.

131. En, in quos inciderint errores Concilia etiam Generalia, quando à Supremo Eccleſiæ Paſtore non diriguntur: hinc eſt, ut ſæpius à nobis dictum, cur in Sacris Canonibus toties ſancitum eſt, nihil roboris habere Concilia etiam generalia, ſi à Summo Pontifice non confirmantur. hæc enim confirmatio neceſſaria non eſſet; ſi Concilia falli non poſſent: nam ſicut, quod neceſſario eſt calidum, non eget emendicare aliunde calorem; ita quod neceſſario eſt infallibile, non eget aliunde emendicare infallibilitatem, & certitudinem. Quòd verò, ut valeant Concilia etiam generalia, indigeant Pontificia confirmatione, ſatis iam ex ſupra dictis conſtat; & ex infra dicendis conſtabit. Nunc ſufficiat prælibare Epiſtolam primam Leonis Pontificis Maximi; quæ habetur in 1. tom. Conciliorum; cujus meminit Sozomenus. lib. 3. cap. 7. quæ ſic ait. *Ipſi verò primæ Sedis Eccleſiæ convocandarum generalium Synodorum iura, & iudicia Epiſcoporum, ſingulari privilegio, Euangelicis, & Apoſtolicis, atque Canonicis conceſſa ſunt inſtitutis: quia ſemper majores cauſæ ad Sedem Apoſtolicam multis authoritatibus referri præceptæ ſunt*. Et infra. *Porro dudum à Sanctis Apoſtolis, Succeſſoribuſque eorum in privatis antiquis decretum fuerat ſtatutis, quæ hactenus ſancta, & univerſalis tenet Eccleſia, non oportere præter ſententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Epiſcopum damnari, quoniam Sanctam Romanam Eccleſiam Primatem omnium Eccleſiarum eſſe voluerunt; & ſicut Beatus Petrus primus fuit omnium Apoſtolorum; ita & hæc Eccleſia ipſius nomine conſecrata, Domino inſtituente, prima, & caput ſit cæterarum, & ad eam, quaſi ad Matrem, atque apicem omnes majores Eccleſiæ cauſæ, & iudicia Epiſcoporum recurrunt; ejuſque juſtâ ſententiâ terminum ſumunt, nec extra Romanum quidquam ex his debere decerni Pontificem.*

132. Idem ex Nicolao Papa in Epiſtola ad Mediolanenſes, quæ habetur in cap. omnes. diſt. 22. de quo iam ſupra, ubi ſic: *Qui autem Romanæ Eccleſiæ privilegium ab ipſo Summo omnium Eccleſiarum capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæreſim labitur, & & cum ille vocetur iniuſtus, hic eſt proculdubio dicendus hæreticus; fidem quippe violat, qui adverſus illam agit, quæ mater eſt fidei; & illi contumax invenitur; qui eam cunctis Eccleſiis prætuliſſe cognoſcitur &c.* Ubi nota in Sacris Canonibus vocari hæreticum, & in hæreſim proculdubio labi, qui prædictæ veritatis infallibili adverſatur doctrinæ: deinde obſerua dici in eis Canonibus, non poſſe Concilia celebrari, nec vigorem habere abſque Romani Pontificis ſententia id tenere univerſalem Eccleſiam.

133. Ex quo patet manifeſtè noſtre vivam Regulam fidei non ipſum eſſe Concilium ſine Papa, illam tamen eſſe Papam ſine Concilio: quandoquidem errare poteſt Concilium, quando Papæ præſidio deſtituitur; & non poteſt dici Regula veritatis, qui inordinationi ſubiicitur erroris. Quare ſtabile, firmum, & canonicum eſt; ſanctæque univerſali Eccleſiæ valdè conſonum; non poſſe unquam à Papa appellari ad Concilium; ſed ab ipſo Concilio etiam univerſali ad Romanum oportere Pontificem appellari; hoc clamant Sacri Canones; hoc Eccleſiaſtica iura decernunt; hoc Sancta, & univerſalis tenet Eccleſia, à cuius tramite veritatis illicitum eſt deflectere.

DISCEPTATIO SECUNDA.

Objectiones Baſileenſium contra veritatem Catholicam opponuntur, ac diluuntur.

PATRES Concilii Baſileenſis legitimi in principio, poſtea in Conciliabulum degenerantis, Pontificem Romanum generali Concilio ſubdi acerrima contentione aſſeruere. In hac Diſceptatione illius Conciliabuli Patrum argumenta diſſolvemus; eorumque apertiſſima ſolutio clariſſima erit noſtræ veritatis comprobatio: ut verò diſtinctius procedamus, illa per diverſas Sectiones opponamus.

SECTIO I.

Diſſolvuntur argumenta ex Jure Canonico petita.

1. OPponunt 1. Nullus extra Eccleſiam ſaluari poteſt; ut definit Innocentius III. in cap. Firmiter, de Summa Trinitate: quare Papa etiam ipſe, ſi extra Eccleſiam ſit, ſaluari non poteſt: ergo neceſſario deducitur Papam membrum, partemque Eccleſiæ eſſe: quomodo autem Papa erit maior ipſâ Eccleſiâ, cum manifeſtum ſit partem ſuo toto majorem eſſe non poſſe? Hoc argumentum nullius momenti, roboriſque eſt. An nos dicimus, Papam, ut eſt pars una totius numeri fidelium, toto illo fidelium numero majorem eſſe numerum? unde in hac ratione Papam illo toto majorem non eſſe fatemur: ſed quid hæc ad noſtram quæſtionem? Nos hîc non de majori numero, ſed de majori juriſdictione diſſerimus: noſtram ergo relinquunt quæſtionem, & tranſeunt ad aliam, de qua noſtra quæſtio non eſt. An, quia Rex unus eſt, & ſubditi ſui plurimi, & hac ratione Rex ipſo toto ſubditorum numero, major non ſit; dicetur non majorem, quàm ſubditi, juriſdictionem, poteſtatemque habere? Præterea, quia Petrus, ejuſque Succeſſor Pontifex Romanus totius Eccleſiæ caput eſt, extra corpus Eccleſiæ fit? an quia corporis phyſici præcipua pars eſt caput; ipſum caput extra phyſicum corpus eſſe dicetur? cur ergo corporis Eccleſiaſtici caput, dicatur extra corpus Eccleſiaſtici fieri? En quibus fulcimentis illorum Baſileenſium ſententia nitebatur!

2. Opponunt 2. Juxta dictum caput Firmiter. Chriſtus eſt in univerſali Eccleſia Sacerdos, ac Sacrificium: & conſequenter univerſa Eccleſia omnes fideles ut membra, Summumque Sacerdotem ut caput ordinata diſpoſitione complectitur: ergo ſi Petrus, ejuſque Succeſſor Pontifex Romanus maior ſit Eccleſiâ Univerſali, Romanus Pontifex ipſo etiam Chriſto major fiet; quod nō minus abſurdum eſt, quàm ſi ex Creaturarum omnium, & Creatoris com-

plexo creatura aliqua major Creatore dicatur. Ut hoc frivolum ſophiſma detegatur, adverte duobus modis Eccleſiam ſumi poſſe. Primo modo, ut Chriſtum, tanquam totius corporis Eccleſiaſtici, intra quod etiam eſt Petrus, caput complectitur. Secundò modo ſumitur Eccleſia, ut ex omnibus fidelibus Petro, ejuſque Succeſſori Pontifici Romano tamquam capiti ſuo ſubditis coaleſcit. Primò modo Petrus Chriſto ut Supremo Petri etiam capiti rectà ordinatione ſubiicitur. Secundò modo fideles omnes Petro, ejuſque Succeſſori Pontifici Romano, ut ipſorum capiti ſubduntur. Unde ergo deducitur Chriſto Petrum, Pontificemque Romanum majorem eſſe? Nos contendimus Petrũ, ejuſque Succeſſorem Pontificem Romanum ſuper omnes Chriſti-fideles, & non ſupra Chriſtum juriſdictionem habere: ergo Pontificem Romanum in juriſdictione fidelibus omnibus, & non ipſo Chriſto majorem eſſe inferre poteſtis. Illa vero alia conſecutio, videlicet, quòd Petrus Chriſto major ſit; cùm non contineatur in præmiſſis conceſſis, contra Regulas Dialecticas falsò deducitur.

3. Opponunt 3. Ex hac ratione Cõcilium Africanum decidit in cap. Primæ Sedis. diſt. 99. ut primæ Sedis Epiſcopus, nec Summus Sacerdos, nec Sacerdotum Princeps nuncupetur. Quod Gregorius Papa confirmat. in cap. Ecce, eadem diſt. ubi poſcit, ut ipſe ab illis Papa univerſalis non appelletur: ſubiungitque. *Si enim univerſalem me Papam Veſtra Sanctitas dicit, negat ſe hoc eſſe, quo me fatetur univerſum.* Ubi Gloſſa Lit. D. ſic ait. *Negat ſe; idest, eſſe de univerſitate; cum tamen Romana Eccleſia non univerſalis, ſed de uniuerſitate ſit.* Reſp. Baſileenſes illorum Textuum ſenſum non bene calluiſſe. Ad quod intelligendum, duobus modis poteſt intelligi Epiſcopus univerſalis. Primo modo, ut ita ſit univerſalis Epiſcopus, ut reliqui Epiſcopi ſimpliciter Epiſcopi non ſint propriè, in ſenſuque rigoroſo; ſed tantùm ſit unus propriè Epiſcopus omnium totius orbis Eccleſiarum. Secundo modo, ut cæteri ſint quidem particularium Eccleſiarum Epiſcopi, & quilibet ſuum Epiſcopatum habeat, vel Patriarchatum diſtinctum; unus tamen detur, qui ſupremam ſuper omnes totius Orbis Eccleſias juriſdictionem obtineat; qualis eſt Petrus, ejuſque Succeſſor Pontifex Romanus. His ſuppoſitis; Gregorius negavit primum, & non negavit, nec poterat negare ſecundum; cum in multis Sacrorum Canonum locis idem Gregorius Papam Supremum, univerſalem totius Eccleſiæ Paſtorem eſſe profiteatur. Quòd verò illi Textus narrati quo ad primum ſenſum intelligi debeant, patet primò ex verbis D. Gregorii. ibi. *Quia vobis ſubtrabitur, quòd alteri, pluſquàm ratio exigit, præbetur:* vult igitur Gregorius, vt non ita Epiſcopi ipſum Epiſcopum, Papamque univerſalem appellent, ut eiſdem ſubtrahatur dignitas Epiſcopi, & Papæ, ideſt, Patris; quia quilibet illorum eſt verè Epiſcopus, Sacerdos, & Pater; & ita etiam D. Auguſtinus multis in locis, dum ad aliquem Epiſcopum ſcribit, honoris causâ Papam appellat; quamvis hodie nomen Papa pro Supremò Chriſtianorum Patre uſurpetur; ideoque ſolus Romanus Pontifex, qui Chriſtianorum omnium Pater eſt, Papa iure vocetur. Et hoc etiam ſignificare voluit prædictus Gregorius per ea verba à Baſileenſibus allata. *Negat ſe hoc eſſe &c.* ideſt, ſi ſolum me Epiſcopum eſſe dicitis; ergo Epiſcopos vos eſſe negatis. Si autem is Gregorii ſenſus non eſſet; eius conſecutio deducta inanis eſſet.

4. Tandem ſolutio per Gloſſam inducta noſtrum verum ſenſum nõ euertit: quamvis dubium non ſoluat; nec verè quæſtionis ſcopum feriat: quæſtio enim non erat, an Romana Diæceſis eſſet univerſalis Eccleſia; ſed an Epiſcopus illius Diæceſis Romanæ ſolus eſſet propriè Epiſcopus cœterarum totius orbis Eccleſiarum; quæ quæſtio eſt longè diverſa à prima quæſtione; de illaque nihil ventilabatur: unde quamvis Gloſſa veram doctrinam poſuerit; nullam propoſitæ quæſtioni ſolutionem adhibuit. Secundò patet verba Gregorii alium ſenſum habere non poſſe, quam illum à nobis adductum:

quia

quia hîc duo extrema vitioſa poterant eſſe. Primum negare Epiſcopos particularium Eccleſiarùm veros eſſe Epiſcopos; quod Sacræ Scripturæ aduerſatur. Act.20. ibi. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Unde dicere ſolum Pontificem Romanum eſſe propriè Epiſcopum univerſalem; alios vero propriè Epiſcopos non eſſe; manifeſtè contra Sacram Scripturam error erat; ideoque hunc errorem Pontifex Romanus tollere conabatur. Secundum dicere omnes alias totius orbis Eccleſias nullo modo Sedi Apoſtolicæ Petri, eiuſque Succeſſoris Romani Pontificis ſubordinari, ſubdique, foret unitatem Eccleſiæ diſrumpere, quod Symbolo Apoſtolico de unitate Eccleſię repugnat iuxta articulum illum fidei: *Unam Sanctam & Apoſtolicam Eccleſiam.* Credendum ne ſit, Gregorium, dum volebat primum tollere errorem; ad ſecundum impellere voluiſſe? Igitur noſter quidem verus, Baſileenſium verò falſus omnino ſenſus habendus eſt.

5. Dices. Africani Concilii Patres non erant adeo vecordes, dementeſve, ut Romanum Pontificem ſolum eſſe Sacerdotem, & nullum alium in tota Eccleſia ab aliquo Chriſtiano credi poſſe putarent: imo dum prohibent primæ Sedis Epiſcopum Summum Sacerdotem, Sacerdotumque Principem appellari, apertè ſupponunt alios inferiores Sacerdotes, quorum aliquis dicatur Princeps: ergo dum Patres illi Affricani Concilii vetant, ne primæ Sedis Epiſcopus Princeps Sacerdotum appelletur; non intellexere ſolùm in eo ſenſu, ut ſolus Romanus Pontifex ſit Sacerdos propriè, alii verò Sacerdotes propriè non ſint. Cæterùm ego hîc Baſileenſibus totum id, quod volunt; concedo; & bene intelligo non eò tendere illius Africani Concilii Patres, ut præcipere velint, ne ſolum Pontificem Romanum Sacerdotem eſſe dicatur. Sed ab iiſdem Baſileenſibus peto: unde ſciunt ibi Patres Africani de prima Sede Romana locutos? Num dicunt, ibi: *Primæ Sedis Romanæ?* an non poſſent ibi melius intelligi, explicarique, ut de prima Sede Africana loquerentur? an quando in aliqua Natione unus reliquis antiquior Epiſcopatus eſt, hic non dici ſolet in ea Regione, Nationeque prima Sedes, ſeu Primatus, aut Patriarchatus? Præterea Concilium illud Africanum non univerſale fuit, ſed Nationale, conſequenterque particulare: qua igitur ratione poſſet illud particulare Concilium contra primam Sedem Romanam leges præſcribere? ſi Concilium aliquod Nationale ex Gallia leges ferre vellet contra Primatum Hiſpaniæ, vel è contra, nonnè leges illæ in altera Natione riſu exciperentur? quo pacto ergo Concilium illud Nationale Africanum contra primam Sedem Romanam leges ferre cenſendum eſt? Quare Patres Concilii Africani Nationalis, quando dixere, ne primæ Sedis Epiſcopus, Summus Sacerdos, Sacerdotumque Princeps appellaretur; de ſolo Primatu Eccleſiæ Africanæ, ubi illorum iuriſdictio claudebatur, locutos fuiſſe credendum eſt: optimè quippè noverant Patres illi apud Orientales quendam Primatem Epiſcopum per inanem, vanamque iactantiam Summi Sacerdotis, Principiſque Sacerdotum ſibi nomen arrogaſſe; idque fuiſſe ab Eccleſia vetitum; id ipſum in Africa in primæ Sedis Africanæ Epiſcopum vetare voluerunt. Sed quid hæc ad noſtram Quæſtionem de Romani Pontificis ſupra omnes totius orbis Eccleſias poteſtate, ampliſſimaque iuriſdictione? Nonne ipſi Africani Patres ſæpius ad primam Sedem Romanã provocarunt? quo pacto igitur contra Summi Pontificis Romani ſupremam iuriſdictionem Baſileenſes nobis Patres Affricanos opponunt?

6. Opponunt 4. Univerſæ per orbem Catholicæ, & Apoſtolicæ conſtitutæ Eccleſiæ unus thalamus Chriſti eſt; tamen ipſa Romana Eccleſia cæteris eſt prælata: ergo ſolum eſt major aliis Eccleſiis, non verò eâ, quæ & ex aliis, & ſe conflata eſt, ne pars dicatur maior ſuo toto. Confirmatur ex cap. Quamvis. 21. diſt. ex quo colligitur, ſi univerſalis Eccleſia, prout etiam primam Petri Sedem complectitur, eſt ſupra ipſum Petrum, ejuſque Succeſſo-

rem Pontificem Romanum, etiam ſupra eundem Pontificem Romanum generale Concilium debere eſſe; quod totius Eccleſiæ univerſalis vices agit: nam idem honor, & prærogativæ, quæ repræſentato debentur, repræſentanti, ejus viceſgerenti certo iure debentur. cap.finali. 93. diſt. ubi præſcribitur, ne Diaconus ante Presbyterum ſedeat,niſi proprii Patriarchæ, Metropolitanive locum habuerit, & facit cap. 1. 94. diſt. ibi. *Ubi nos præſentes eſſe non poſſumus, noſtra per eum, cui præcipimus, repræſentetur authoritas*. Item cap.Sanè quia, de officio, & poteſtate Judicis delegati. cap.In nouo. 21.diſt.leg. Etſi prætor, ff. de officio ejus, cui demandata eſt iuriſdictio. Quod autem Concilium generale univerſalem Eccleſiam repræſentet, in variis Conciliis definitum eſt, maximè in Concilio Conſtantienſi, & ex Actibus Apoſtol. 1. 6. 8. & 15. comprobatur.

7. Reſp. concedendo totam Eccleſiam univerſalem, etiam prout ex omnibus Eccleſiis, & ex Sede Romana coaleſcit, thalamum Chriſti eſſe; deinde Concilium univerſale univerſam Eccleſiam repræſentare; item quæ debentur repræſentato, repræſentanti deberi ultro concedimus; conſecutionem tamen illam à Baſileenſibus deductam omnino negamus; quæ in præmiſſis illis non continetur; ut ſi quis inferret Petrum ſedere; quia Sol exoritur: poterat enim Petrus ſtare, quando Sol exoritur. Dicitis iſtam conſecutionem vanam eſſe, quia inter ortum Solis, Petrique ſeſſionem nulla connexio datur, quæ omnino, ut àliqua conſecutio rectè deducatur, expoſcitur. Bene. At, quæ inter thalamum Chriſti ex tota Eccleſia tam diſperſa, quàm in Concilium coacta conſtitutum, & inter Petri, Romanique Pontificis iuriſdictionem connexio intercedit? nam poteſt Eccleſia tam repræſentans, quàm repræſentata Chriſti thalamus eſſe; & tamen Petrus ſupra univerſam Eccleſiam, & Concilium illam repræſentans iuriſdictionem habere. Imo contrarium ipſis Baſileenſibus omnino deducitur, nam Thalamus Chriſti, ſeu Sponſa in eo thalamo ſpirituali, ſeu miſtico ordinata eſſe debet; prout loquitur Spiritus Sanctus de ipſa Eccleſia Chriſti Sponſa. *Terribilis ut Caſtrorum acies ordinata*. Cantic.6. eſſet ne bene ordinata Eccleſia, ſi membra capiti ſubordinata non eſſent? Ecce Chriſtus in ſua Eccleſia caput unum viſibile, videlicet Petrum, eiuſque Succeſſorem Pontificem Romanum conſtituit, ſi huic capiti per Chriſtum conſtituto membra recto ordine non ſubdantur, ſed caput pedibus ſubiiciatur; quo pacto erit hæc ſponſa rectè ordinata? quæ pulchritudo in deformi monſtro parebit? Tandem, quod de toto ſemper maiori ſua parte dicitur, non venit ad rem, nec ad noſtram quæſtionem de ſuprema Papæ ſuper omnes totius orbis Eccleſias poteſtate, ut clariſſimè habes in ſolutione primi argumenti num. 1.

8. Opponunt 5. Eccleſia abrogavit Decretum D.Petri nominantis in ſuum Succeſſorem Clementem; & elegit Linum, & poſtea Cletum quod facere non potuiſſet, niſi ſupra Petrum, eiuſque Succeſſores poteſtatem haberet; ut ex Chronicis Clementis colligitur. Nec obſtat, quod aliqui narrant Clementem Papæ dignitati ea ratione renuntiaſſe, ne maneret poſteris exemplum, ut Romani Pontifices per continuatam cujuſque Papæ nominationem imprudenter eligerentur; dicendum enim eſt ideo Clementem renuntiaſſe, quia id Eccleſia tamquam Superior ei præcepit volens in hoc modum ritè eligendi Pontifices reformare: licet autem tunc temporis propter infidelium metum Concilium publicè fieri non poſſet; in loco tamen ſecreto congregabatur; eo modo, quo Eccleſia ſecretè congregata orationem ſine intermiſſione faciebat ad Deum pro Petro in carcerem coniecto, ut conſtat ex Act. 15.

9. Confirmatur, quia Concilium generale Apoſtolorum Petrum, & Joannem in Samariam miſit, ut verbum Dei prædicarent: ergo Concilium erat Petro ſuperius: qui enim iubet, Superior eſt, iuxta illud Luc. 7. ibi. *Nam & ego ſub poteſtate conſtitutus habeo ſub me milites, & dico huic: Vade, & vadit, & alij veni,*

veni, & venit; & ſeruo meo: Fac hoc, & facit. Ubi Magiſter Sententiarum.diſt. 11.& 15.ſic dicit. *In mittente notari authoritatem, & in miſſo ſub authoritatem*, ideſt, ſubiectionem: ergo Concilium generale, maiorem, quam Papa, authoritatem obtinet; & eundem, ſicut Petrum miſit, propria ſibi iuriſdictione mittere valet.

10. Reſp. Baſileenſes caſum Clementis, prout ſibi ſeruit, confingere, & non probare: imo ea omnia, quæ accumulant; neſcierunt veriſimilitudine componere; ut clarè falſitas pateat, veritaſque detegatur: conſtat enim ex Annalibus Eccleſiaſticis, probatiſſimiſque Antiquorum monumentis, nec Clementem ſe Pontificatu abdicaſſe, nec eidem Eccleſiam, ut Pontificatui renuntiaret, præcepiſſe. Certum quidem eſt ex antiquis Eccleſiæ chronicis D. Petrum, dum Clementis egregias dotes, virtutumque decoramenta perſpexerat, eum loco ſui decedentis nominaſſe: certum etiam eſt Clementem; vel ob ſuam virtutem, eximiamque modeſtiam, indignum ſe, qui in Principis Apoſtolorum locum ſuccederet, iudicaſſe; ideoque oblatum ſibi Eccleſiæ totius Imperium acceptare noluiſſe; vel etiam, quia prudenter exiſtimavit, convenientiùs Eccleſiæ fore, ſi eo tempore privatã perſonam ageret ad multa commoda Eccleſiæ procuranda; quæ fortaſsè, ſi tunc Pontifex eſſet, conſequi non poſſet. Modò ex Baſileenſibus peto; unde probant Clementem ſibi à Petro oblatum Pontificatum, ut Pontifex evaderet, acceptaſſe? & ſi acceptando Pontifex maximus eſt factus; quibus oſtendunt argumentis, vel ſaltem indiciis, conjecturiſque ſuadent, Eccleſiam, Clementi Summo Pontifici facto, ut Pontificatui renuntiaret, præcepiſſe? Credendum ne eſt, immo nec probabiliter quidem exiſtimandum, Clerum Romanum eo tempore valdè exiguum, & numero paruum Petri oraculo, cui optimè ſciebant Spiritum Sanctum aſſiſtere, aſſenſurum non eſſe? veriſimile ne prudenti cuique videbitur Clementem, qui adeo Petro, Pauloque placuerat, paucis illis, qui tunc aderant, Clericis non placiturum? quē Pontificem illis tunc plus placiturum nanciſci poſſent? Non erat ille ex Auguſta Imperatorum familia, ſumma authoritate pollens? ſapientia conſpicuus? Apoſtolorum Principibus Petro, Pauloque per maximè charus ab iiſque in Sacris noſtræ fidei myſteriis optimè inſtructus? qua igitur ratione Clementem factum Summum Sacerdotem ad renuntiandum Clerus, plebſque Chriſtiana vi cogeret, compelleretque? Unde Adverſarii hoc ſuum principium ſaltem eſſe valdè fallibile, nutanſque infitiari non poſſunt; ex uno igitur tam fallibili, nutantique principio juriſdictionem, poteſtatemque Eccleſiæ ſupra Pontificem Maximum probare volunt? Quis homo rationis compos ad oſtendendam unam concluſionem tanquam certam, incertum, nutanſque principium aſſumit: idque contra unam veritatem Sacris Canonibus comprobatam, optimis rationibus nixam, Conciliorum præſidiis tectam, munitamque?

11. Ex hac etiam ratione Adverſariorum facta confirmatio, ſeu potiùs infirmatio, ut ſic dicam, reiicitur: nam ſaltem negare non poſſunt, verbum Mittere, aliquando adſignificare motum imperantis, aliquando autem ſolummodò ſuadentis: unde quando Apoſtoli Petrum in Samariam miſerunt, hoc mittere, cur magis intelligendum eſt imperare, quam ſuadere? Supereſt ergo, ut ſaltem eſſe dubium fateantur. Eſt ne igitur bona probatio, qua res tanquam certa per principium incertum probari, oſtendique intenditur? Sed Adverſariis concedamus illud à D. Petro decretum fuiſſe factum; à quo illud decretum fuit abrogatum? Certè non dicent, ibi ab aliqua Synodo generali revocatum fuiſſe: nam eo tempore immediatè poſt mortem Petri, nullum Romæ coactum fuit Concilium generale, quia de tali Concilio prævio ad Lini electionem minimè conſtat; nec Eccleſia tunc ibi ullum factum Concilium generale recognoſcit; reſtat igitur ſi factum fuit ibi tunc temporis, fuiſſe tantummodò Diœceſanum, vel ſaltem

Pro-

Provinciale : & conſequenter ſi Petri Summi Sacerdotis decretum fuit revocatum , nonniſi à Concilio particulari revocatum fuit : ergo ſi ex illius decreti revocatione colligunt poteſtatem Concilii ſupra Pontificem Romanum , neceſsè eſt , illud particulare Concilium revocans Summi Pontificis decretum, poteſtatem habere ſupra Papam ; hoc autem ipſi Adverſarii non concedent, quia neſcio , quomodo abſque hæreſi aſſeri poſſit : ergo eo argumento minimè adiuvantur.

12. Opponunt 6. ex cap. Quæ dignior. 23. q. 9. ubi dicitur; quod non eſt dignior Apoſtolicæ prædicationis ingreſſu Domus, quàm Sancta Eccleſia: igitur Eccleſia eſt dignior,& conſequenter maior ipſo Papa,& quocunque alio, ut ſonat vox *Dignior* . Si enim Papa eſſet dignior , quàm Eccleſia , iam Eccleſia non eſſet dignior quocunque alio ; quod certè huic Sacro Canoni adverſatur. Reſp. S. Ambroſium in eo capite relatum loqui de Eccleſia ſuo capiti unita , quæ quidem omni alia Communitate ab hac Sancta, & Apoſtolica Eccleſia diverſâ dignior eſt : Semper tamen huius corporis Eccleſiaſtici caput membris ſuis Eccleſiaſticis dignius eſt ; ſicut naturale humani corporis caput naturalibus eſt ſuis membris dignius. Quo pacto igitur ex hoc inferunt Adverſarii maiorem , quàm Papæ, qui caput eſt , Eccleſiæ , vel eam repræpræſentantis Concilii poteſtatem ? Argumentum retorqueri poteſt in Adverſarios: ſic: Ex illo Canone:Quæ dignior, infertur Eccleſiam,quę Domus eſt Dei, ſuo capiti unitam (nam non unita ſuo capiti domus Dei non eſt, ſed Synagoga Satanæ) eſſe omni alia digniorem : ergo illius domus præcipua pars , videlicet caput,ideſt,Summus Pontifex,non eſt inferioribus partibus , membriſue dignior? certè digniorem eſſe ex ipſo rationis lumine patet. Proindeque argumentum Baſileenſium vanum eſt.

13. Opponunt 7. Papa eſt Miniſter Chriſti , Eccleſiæque Chriſti Sponſæ,ut patet ex Auguſtino relato in capite. Quodcunque. 24. q. 7. ubi dicit , quòd quando Chriſtus Petro tradidit claves, Petrus Eccleſiam Sanctam ſignificavit ; quod verbum expoſuit ibi Archidiaconus, dicens, *Significavit*, ideſt, ſub ſigno & nomine Eccleſię accepit : unde Eccleſia , ut Domina , medio Petro , ut miniſtro , claves accepit . Et quis Dominam miniſtro , ſeruoque ſuo maiorem eſſe negabit? Hoc ipſum Chriſtus atteſtatus eſt . Luc. 22. dum aſſeruit illum , qui recumbit , eo, qui miniſtrat , maiorem eſſe : quare ex eo, quod Eccleſia ſit, quæ recumbit, & Petrus , qui miniſtrat ; ſequitur , ſi Papa ſit malus miniſter, ab Eccleſia , ut domina, ſuperioreque corrigi , punirique poſſe , ſecundùm aperta iura clamantia miniſtrum inferiorem per maiorem , ſuperioremque corrigi , punirique debere . Confirmant : quia Petro data fuit poteſtas ad ædificationem , & non ad diſſipationem . cap. Remittuntur . 23. q. 5. cum ibi notatis per Archidiaconum explicantem illa verba quodcunque ſolueris &c. ideſt , *iuſtè , & clave non errante* . Quod autem Eccleſia à Chriſto Claves, hoc eſt , ligandi , ſoluendique poteſtatem acceperit , patet ex cap. omnibus . 24. q. 7. Reſp. hoc argumentum nihil roboris habere . An ne Chriſtus, quia Eccleſiæ miniſtrare dicitur, ipsâ Eccleſiâ minor eſſe dicetur? cur ergo Petrus,ejuſque Succeſſor Pontifex Romanus,dum Eccleſiæ miniſtrat; Eccleſiâ minor eſſe putabitur? Sacramēta ſubditis Epiſcopus adminiſtrat : ergo ſubditis minor eſt Epiſcopus? & ratio eſt : quia illud miniſterium non eſt ſervile , ſed paſtorale : eo autem ipſo,quòd paſtor ſit , maiorem eſſe oportet .

14. Minus etiam urget inſtantia de clavibus ; quas à Chriſto Eccleſiæ traditas fuiſſe non negamus : at ex hoc quid contra maiorem Pontificis, quàm Eccleſiæ, Conciliive , poteſtatem poſſit inferri ? nam Eccleſia conſtat ex Summo Sacerdote , Patriarchis, Primatibus,Archiepiſcopis, Epiſcopis, Præsbyteris , minoribus Clericis, & tandem Laicis Chriſtianis. In primis claves, quæ non ex ferro materiali modo ; ſed ſpirituali pro iuriſdictione ſumuntur, dum Eccleſiæ tradi dicuntur, peto , cui ex illis partibus dantur ? Laicis? hoc non dicicent Baſileenſes, quia manifeſta hæreſis eſt.

eſt. Minoribus Clericis, qui Sacerdotes non ſunt? eodem modo negandum. Presbyteris? & cur non etiam Epiſcopis, aliiſque maioribus prælatis? & ſi his, cur non etiam ſummo Sacerdoti, quem Deus inter Sacerdotes, Pontificeſque Summũ Sacerdotem, Summumque Pontificem, videlicet Petrum, eiuſque Succeſſorem Pontificem Romanum diſertis verbis conſtituit; dicens: *Paſce oves meas, paſce agnos meos?* oportet igitur concedi ratione Petri, vel eius Succeſſoris Pontificis Romani Iuriſdictionis claves Eccleſię tradi, & quod idem eſt, in ipſam Eccleſiam iuriſdictionem à Petro, Romanoque Pontifice derivari. Quo pacto ergo ab Eccleſia in Romanum Pontificem iuriſdictio derivari poteſt? nunquid à Laicis? à Clericis non Sacerdotibus illam non habentibus? à particularibus Præſulibus illam ſolùm pro ſuo territorio poſſidentibus, in ſupremum pro toto orbe Pontificem à Chriſto conſtitutum transferri poſſit? quòd, ſi dicant quemlibet Epiſcopum in ſuo territorio caput eſſe ſufficiens; an hoc ad ſaluandam Eccleſiæ viſibilis unitatem ſufficeret? ſi ea ſingularium Eccleſiarum capita ad unum viſibile caput non ſubordinarentur (neque enim hîc loquimur de capite inuiſibili Chriſti) certè eſſent tot ſuprema capita, quot Epiſcopi, eſſetque Eccleſia Dei deforme multorum capitum monſtrum; neque tunc poſſet Pontifex reſervare ſibi caſus, votorumque diſpenſationes; ut de facto reſervat: ergo vel dicendum eſt hactenus erraſſe Eccleſiam; vel neceſſariò concedendum eſt, Pontificem Romanum ſupra totam Eccleſiam poteſtatem habere; & omnes ad illum tanquam ad univerſale caput ſubordinari; aliter articulus fidei de unitate Eccleſiæ ſub uno viſibili capite tolleretur.

15. Reſpondent Baſileenſes non negare ſe unitatem Eccleſiæ, ſubordinationemque ſingularium omnium Eccleſiarum ad unum Chriſti in terris Vicarium Petrum, ejuſque Succeſſorem Pontificem Romanum; ſolum verò negare juriſdictionem à Petro in Eccleſiam, & non ab Eccleſia in Petrum, ejuſque Succeſſorem Romanum Pontificem derivari: quia ſtare optimè poteſt quod multa toti collectim ſumpto conveniant; quæ partibus omnibus diſtributivè ſumptis convenire non poſſint: an negari poteſt ſingulos religioſos rerum dominio carere, quod tamen tota Religioſorum communitas dominii capax obtinet? Cur ergo Eccleſia univerſalis iuriſdictionem habere nequeat? cur illam partibus diſtributivè ſumptis communicare non poſſit? quòd verò illam habeat Eccleſia, patet, quia Chriſtus non Petro, ut Petro; ſed Petro ut Eccleſiam repræſentanti claves tradidit, ut inquit Textus citatus. ibi. *Quando Chriſtus Petro tradidit claves, Petrus Eccleſiam Sanctam ſignificavit.* Huic Baſileenſium obiectioni, qua etiam hæretici utuntur, infra latius, abundeque ſatisfaciemus; interim dico breviter, ſicut non repugnare, quòd Chriſtus immediatè contulerit Eccleſiæ iuriſdictionem Eccleſiaſticam; ut Pontifex, atque alii particularium Eccleſiarum Antiſtites eam ab Eccleſia acciperent; ita è contrario nõ repugnare, quòd Chriſtus Petro, Romanoque Pontifici iuriſdictionem immediatè contulerit, ut ipſe toti Eccleſiæ illam communicaret: magis autem conſtat, maioribuſque argumentis evincitur Chriſtum feciſſe hoc ſecundum, ut ex dictis liquet; inferiuſque magis confirmabitur: unde, quando dicitur in Petro claves accipienti ſignificari Eccleſiam; intelligendum eſt de Eccleſia rectè ordinata; ideſt, capiti ſuo unita: atque ita dum Petro iuriſdictio confertur, Eccleſiæ etiam ſervato ſuo ordine confertur, videlicet, ut iuriſdictio conferatur capiti; à quo illam reliqua totius Eccleſiaſtici corporis membra participent. Ad confirmationem ſupra poſitam; nihil contra nos facere reſpondemus: nam Petrum non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem claves accipere ultro concedimus: ſed hoc quid ad noſtram quæſtionem ſpectat?

16. Dices. Textus loquitur hîc de Eccleſia, prout quid diſtinctum, diverſumque à Petro conſideratur: ſiquidem loquitur de Petro ut Eccleſiam repræſentante; repræſentans verò à repræſen-

ſentato diſtingui oportet: ergo ſi claves Petro ſolum ut Eccleſiam repræſentanti conceſſæ ſunt, utique Eccleſiæ, ut à Petro diſtinctæ, traduntur: quòd ſi Eccleſiæ, ut à Petro diſtinctę, conceduntur; quis dubitet, independenter à Petro, poſſe Eccleſiam illis clavibus uti? An quando Procuratori unius Conventus, ut ipſum Conventum repræſentanti, bona aliqua traduntur; Conventus ille nō poterit independenter à Procuratore diſpendere? Hæc tamen objectio nullius eſt momenti: nam quidquid ſit, quòd Petrus, ut repræſentans, ſit quid diſtinctum ab Eccleſia à ſe repræſentata; an ipſa Eccleſia repræſentata Eccleſia Chriſti eſt, necne? Si Eccleſia Chriſti non eſt; tali Eccleſiæ, ſeu potius Satanæ Synagogæ claves Chriſti non dantur: debent igitur fateri Eccleſiam Chriſti eſſe: ſi eſt Eccleſia Chriſti, ordinata eſſe debet: quo pacto igitur ordinata erit; ſi membra capiti ſuo viſibili non ſubſint? dicetur ne corpus rectè diſpoſitum, ſi caput ſubſit brachiis, humeris, cruribus, pedibuſque? non erit potiùs monſtrum? Deinde quid per claves niſi iuriſdictio intelligatur? qua ratione iuriſdictio rectè ordinabitur; ſi inferiores ſupra ſuum Superiorem iuriſdictionem obtineant; non erit corpus myſticum monſtrum politicum; ſicut aliud monſtrum phyſicum eſt?

17. Opponunt 8. ex D. Gregorio relato in cap. Sicut Sancti. 15. diſt. ubi dicit venerari Sacra illa Concilia generalia, ſicut Euangelium: quia dum univerſali ſunt conſtituta conſenſu, ſe, & non illa deſtruit, ſi quis præſumit abſoluere, quod ligant, aut ligare, quod abſoluunt. Sed Euangelium eſt ſupra Papam; & is, qui alium veneratur, eſt illo inferior: ergo Papa univerſali Concilio ſemper inferior eſt. Confirmatur 1. ex cap. 51. duo contra fas. 25. diſt. ubi dicitur, ſi ſint duo de Summo Pontificatu contendentes, quæſtionis definitionem ad generale Concilium ſpectare ſecundum Gloſſam ibi: & hoc exprimit Textus, dum dicit: Si duo contra fas fuerint electi, nullus eorum debet recipi, ſed ille, quem univerſalis conſenſus elegit. 2. ex cap. 1. de Renuntiat. in 6. Ubi Joan. Andr. in ſua Novella dicit, quod ſi Papa in Conſiſtorio ſecreto coram Cardinalibus abſque aliorum teſtium præſentia Summo Pontificatui renuntiet; & poſtea ſe non renuntiaſſe dicat, Concilium generale Judex ſit, quod non eſſet, ſi ſupra Papam poteſtatem, iuriſdictionemque non haberet. 3. ex cap. ſi Papa. 40. diſt. & ibi Gloſſa aſſerens non ſolùm in cauſa hæreſis, ſed in quocunque alio caſu, in quo Summus Pontifex exceſſum Eccleſiæ ſcandalum moventem commiſerit, ſi incorrigibilis exiſtat, accuſari, puniri ve poſſe; ſed non ab alio, quàm à Concilio Generali: ergo illud ſaltem in his caſibus ſupra Romanum Pontificem poteſtatem obtinet.

18. Reſp. duobus modis Concilia illa, vel quæcunque alia legitima generalia conſiderari poſſe. Primò, quo ad dogmata fidei in eis Conciliis definita. Secundò quoad alias res fidem non ſpectantes, ita ut ſolùm ſint leges, diſpoſitioneſque ad ordinarium regimen conſtitutæ. Quoad fidei dogmata, nulla eſt, nec eſſe poteſt controverſia: nam dogmata fidei, ſive in Sacro Euangelio, ſive in Sacris Conciliis definita à nullo quidem homine, licet Summus Pontifex ſit, variari, mutarive poſſunt: ſed ex hoc inferri non poteſt Concilium maiorem, quàm Papam, poteſtatem habere: aliter, cùm quæ in uno Concilio Generali de fide ſunt definita, ab alio ſequenti generali, legitimoque Concilio mutari non poſſint, majorem unius Concilii generalis legitimi, quàm alterius ejuſdem valoris, eſſe, poſſet inferri; quod Adverſarii non concedent. Quoad leges, Conſtitutioneſque fidem non ſpectantes, cùm leges Concilii, leges quidem ſint Pontificis, ſine cujus approbatione nihil roboris habeant; illis Pontifex non coactivè; ſed directivè ſubiicitur: ſicut legibus Imperatoriis directivè tantum; non verò coactivè ſubiicitur Imperator: Ut autem major eſſet Concilii, quàm Pontificis, poteſtas, legibus Concilii Pontifex ſubdi coactivè deberet; quod Adverſarii non probant. Ad alios textus in confirmationem allatos, dicimus ad propoſi-

tum

tum non venire; loquuntur enim de Papa dubio: nos verò ſolum hîc de Papa indubitato quæſtionem tractamus. Ad Gloſſam aſſerentem Pontificem Romanum, certum, & indubitatum etiam extra caſum fidei poſſe à Concilio iudicari, punirique dicimus eam gloſſam, ſi de Papa indubitato etiam loquatur, cùm ſit contra Sacros Canones, & Conciliorum Decreta, ut ſupra vidimus, & infra latiùs videbimus, non eſſe admittendam, ſed penitus improbandam, reiiciendamque.

19. Opp. 9. Cap. 1. de Renuntiat. ubi Bonifacius VIII. definit Papam Pontificiæ dignitati renuntiare poſſe: id verò ſolùm apud Eccleſiam facere poteſt: non enim apparet alius, apud quem renunciet, niſi apud Superiorem, per text. in cap. Admonet, de Renuntiat. gloſs. in cap. Quoniam, eodem tit. in 6. verbo videbantur. cap. Epiſcopus. 7. q. 1. Igitur Eccleſia, ſive eam repræſentans Concilium majorem, quàm Papa, ſibi poteſtatem vendicat. Reſp. verum eſſe Summum Pontificem Pontificiæ dignitati renuntiare poſſe. Ad textus autem illos. Reſp. cum gloſſa ibi renuntiationem apud Superiorem, quando datur, fieri debere. Pontifex verò Maximus, nonniſi Deum, cujus immediatus eſt Vicarius, vt fides docet, Superiorem habet: vnde renuntiatio apud Eccleſiam fit, ut per eandem conſtet authenticè, in manibus Chriſti Domini factam fuiſſe; ſicut Pontificis Maximi electio ab Eccleſia facta eſt, ut Summum Pontificem fuiſſe à Chriſto factam authenticè, ac viſibiliter conſtet.

20. Opp. 10. Certum quidem eſt Summum Pontificem Romanum etiam contra fidem errare poſſe, ut de multis Pontificibus Romanis erraſſe, multaque peccata Eccleſiæ ſcandalum gignentia commiſiſſe conſtat: ſed Univerſalis Eccleſia errare non poteſt, ut probat Textus in cap. A recta. 24. q. 5. cap. Memor. eadem cauſa, & quæſtione: ergo Papa errans, Eccleſiamque ſcandalizans corrigi, punirique debet; ſed non ab alio, quàm ab Eccleſia, vel à Concilio eam repræſentante: quod quidem, niſi Concilium, vel Eccleſia ſupra Romanum Pontificem poteſtatem haberet, nullo modo fieri poſſet. Reſp. dato, quòd Pontifex Romanus in fide poſſit errare, quando pro Cathedra non definit; ſed ut homo privatus, fragilis, erroribuſque obnoxius; tunc ſi contumaciam non deponat, in ſuoque errore perſiſtat juxta dicenda infra Diſceptat. 8. ſect. 1. per totam, iam Papam eſſe deſinere; proindeque iam ut quilibet homo Chriſtianus Eccleſiæ ſubditus poteſt ab Eccleſia iudicari, punirique: ſed ex hoc quid inferri poteſt contra nos, qui ſolùm loquimur de punitione Pontifici ut Pontifici exiſtenti, non autem iam à Pontificis dignitate deiecto facta? Verùm, ſi extra caſum fidei multa ſcelera quamvis enormia perpetret; poſſet quidem à ſubditis, tanquam à filiis pater, moneri; puniri tamen, ac iudicari non niſi à ſolo Deo poteſt; quia in terris nullum ſupra ſe Judicem ſuperiorem cognoſcit. Ad id autem, quod dicitur Eccleſiam errare non poſſe: certum eſt errare non poſſe, quando ſit ſuo capiti colligata, videlicèt, Romano Pontifici, pro cathedra loquenti, ideſt, pro tota Eccleſia docendo; ſi autem Eccleſia, ſeu Concilium etiam generale capiti ſuo non ſit unitum, errare poſſe, & de facto ſæpius erraſſe ex ſupradictis perſpicuū eſt. Vnde patet præfatum argumentum nihil roboris habere. Vide tamen infra Diſceptat. 8. ſect. 1. nu. 20.

21. Opp. 11. Cap. Pro humani, de homicid. in 6. & ex ibi per Gloſſam notatis. Ubi Innocentius IV. definit Chriſtum, antequam in cælum aſcenderit, ne gregem ſuum ſine Paſtore relinqueret, ipſius curam Petro, & eo mortuo, ne derelicta maneret Eccleſia, Petri Succeſſoribus, videlicèt Romanis Pontificibus commiſiſſe: ergo etiam, ne maneret Eccleſia derelicta, Petro, ejuſque Succeſſoribus deficientibus, ipſi Eccleſiæ ſuper quemlibet Petri Succeſſorem poteſtatem, iuriſdictionemque Chriſtus Dominus contuliſſe putandus eſt: nam magnū inconveniens foret, ſi moriente Petro, remedium in eius Succeſſoribus, ad bonum Eccleſiæ regimen non maneret, & errante Petro, eiuſque Succeſſore, non eſſet ullum inconveniens, ſi in

ipſa Eccleſia, & Concilio generali eam repræſentante remedium non reſtaret? ergo ſicut, ne pereat Eccleſia, Petri morte, in Petri Succeſſoribus eandem iuriſdictionem infallibiliter ineſſe creditur; ita ne pereat Eccleſia, deficiente, ac errante Petri Succeſſore, in ipſa Eccleſia, generalique Synodo eam repræſentante iuriſdictionem infallibiliter manere credendum eſt.

22. Reſp. omnes DD. Concilia, Sanctoſq; Patres verba illa Chriſti Domini: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meã. Tibi dabo claves. Paſce oves meas,* ita accipere, ut non ſolùm de Petro, ſed de illius Succeſſoribus Pontificibus Romanis prolata eſſe intelligantur: Chriſtus enim Eccleſiam ſuam ad finem uſque mundi permanſuram in ſolida petra fundatam, item Petrum non multo temporis intervallo in terris victurum certiſſimè cognoſcebat; quo pacto ergo Eccleſiam in perpetuum, non continuato in Petri Succeſſoribus fundamento, ſtabiliret, firmaretque? Neceſsè igitur fuit, ut immobilis Petri lapis in eius Succeſſoribus perpetuò foret; hoc eſt; ut ea, quæ in Petro, in Petri Succeſſoribus poteſtas eſſet: aliter deſtructo primo, quo nitebatur, fundamento; moles tota corrueret; at verò errante Petro, eiuſque Succeſſoribus deficientibus; adhuc Eccleſiæ remedium ſupererat; nam vel Eccleſia ipſa fuit capite ſpoliata, vel non; ſi hoc ſecundum ſemper capiti ſuo parere debet; proindeque non poteſt in ſuperiorem poteſtatem, iuriſdictionemque ſibi arrogare. Si primum; poteſt caput eligere; cui Deus ipſe immediatè in omnes conferat poteſtatem: ergo aliud remedium Eccleſiæ neceſſarium non erat, ut ipſa in perpetuum duraret.

23. Opponunt ultimò claram definitionem Concilii generalis Conſtantienſis legitimè congregati, ab Eccleſiaque approbati; in quo generale Concilium ſupra Romanum Pontificem poteſtatem, iuriſdictionemque obtinere clariſſimè definitur: Definitio tom. 3. Conciliorum ſeſſ. 4. ſic habet: *Hæc Sancta Synodus Conſtantienſis generale Concilium faciens pro extirpatione præſentis Schiſmatis, & unione, ac reformatione Eccleſiæ Dei in capite, & in membris fienda ad laudem Omnipotentis Dei, in Spiritu Sancto legitimè congregata ad conſequendum faciliùs, & ſecuriùs, liberiùs, & uberiùs unionem, & reformationem Eccleſiæ Dei, ordinat, diffinit, diſponit, ſtatuit, decernit, & declarat, ut ſequitur: Et primò, quod ipſa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitimè, generale Concilium faciens Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cuiuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem prædicti Schiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris.* Ergo qui negat maiorem Concilii generalis, quàm Papæ, poteſtatem; huic Concilii generalis apertæ definitioni adverſatur.

24. Reſp. Hanc Concilii definitionem non venire ad rem; neque ſcopum noſtræ quæſtionis attingere: nam quæſtio noſtra eſt, utrùm Concilium etiam generale legitimum, à Sedeque Romana approbatum poteſtatem habeat ſupra Papam verum, & indubitatum; in hac verò definitione ſolùm eam poteſtatem ſupra Papam dubium habere definitur: ergo ad rem non venit, neque quæſtionis noſtræ ſcopum collimat, ſicut, ſi alicui de cœlo quæſtio proponeretur, ipſe de terra, marique probationes attexeret. Quòd verò definitio illa de ſolo Papa dubio ſit intelligenda; patet primò ex fine, quem ad id definiendum Concilium ſpectavit; videlicet, ut eos Pontifices, qui aderant, dubios, Gregorium, Benedictum, & Joannem, Schiſmatis delendi cauſâ deponeret: ad hunc autem finem ſatis erat oſtendere ſupra Papam dubium Concilio generali poteſtatem ineſſe. Ad quid ergo neceſsùm fuit ad aliam, de qua non agebatur, quæſtionem diuertere? Præterea ſi Concilium vellet poteſtatem Concilii ſupra Papam indubitatum definire; cur univerſas totius Europæ Academias de poteſtate Concilii Generalis ſupra eos Pontifices dubios duntaxat conſuluit? intenderent ne Concilii Patres unum definire,

& Do-

& Doctores de alio longè diuerſo conſulerent? Patet ſecundò ex ipſis verbis Concilii, quod in ea definitione poteſtatis Concilii ſupra Papam ſemper caſum præſentis Schiſmatis, in quo Pontifices erant dubii, reſpiciebat, ut legenti verba Concilii perſpicuum erit; tertiò quia evidens eſt unam definitionem de fide alteri definitioni in diverſis etiam Conciliis, & multò minùs in eodem Concilio contrariam eſſe non poſſe: ſed in eodem Concilio, præſentibus adhuc iiſdem Concilii Patribus, Martinus V. anno 1. ſui Pontificatus 16. Idus Martii oppoſitum definivit, ſic: ***Tam jure divino, quàm etiam humano, quibus Sacrorum Canonum Authoritas innititur, nulli fas eſt à Supremo Judice, videlicèt, Apoſtolica Sede, ſeu Romano Pontifice JESU Chriſti Vicario in terris appellare; aut illius judicium in cauſis fidei, quæ tamquam majores ad ipſum, & Sedem Apoſtolicam deferendæ ſunt, declinare, &c.*** Unde vel prima illa Concilii Conſtantienſis definitio de Papa dubio, qualis tunc erat in præſenti materia, intelligenda eſt; vel ſi etiam de Papa indubitato intelligatur, ſecundæ definitioni ſub eodem Concilio à Martino V. recèns electo factæ oppoſita eſt, quod ex ipſis terminis repugnare ipſi etiam Adverſarii non negabunt: nam nec fides fidei, nec veritas veritati opponitur. Euidens igitur eſt Conſtantienſe Concilium in ea præfata definitione de Papa dubio, non de indubitato intelligi; proindeque nobis minimè nocere; qui dumtaxat ſupra Papam verum, indubitatumque nullam Concilii poteſtatem extra caſum hæreſis eſſe contendimus. De hoc tamen infra copioſiùs à nobis agendum eſt; dum de vero Conſtantienſis Concilii ſenſu diſceptabimus.

SECTIO II.

Alia eorumdem Baſileenſium argumenta diluuntur.

25. OPponunt adhuc Baſileenſes. Primò. Papa non poteſt Concilium univerſale legitimè congregatum diſſoluere; ipſum verò Concilium, exa- minata cauſa, & ſe diſſoluere, & aliò transferre poteſt: ergo multo maiorem, quàm Papa, poteſtatem habet. Antecedens eſt certum: nam Baſileenſe Concilium ſeſs. 33. pag. 103. ita habet: ***Veritas hæc, quòd Papa Concilium generale Univerſalem Eccleſiam repræſentans actu legitimè congregatum ſuper declaratis in præfata veritate, aut aliquo eorum ſine eius conſenſu nullatenus authoritate poteſt diſſoluere; aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, eſt veritas fidei Catholicæ:*** & in eodem loco ſic definit. ***Veritas de poteſtate Concilij generalis univerſalem Eccleſiam repræſentantis ſupra Papam, & quemlibet alterum declarata per Concilium Conſtantienſe, & hoc Baſileenſe, eſt veritas fidei Catholicæ.***

26. In primis has à Baſileenſibus putatas veritates fidei Eugenius IV. reprobavit; ut notatur ad marginem Concilii Baſileenſis in reſponſione Synodali. pag. mihi 177. & habetur ſeſs. 38. eiuſdem Concilii. Præterea Baſileenſes Conſtantienſe Concilium parum ſyncerè allegant, quod quidem de Papa dubio, ut erant tres illi tunc, Eccleſiâ in tres partes diviſa, dumtaxat loquitur, in quo eventu Conſtantienſe Concilium Papam dubium Eccleſiæ univerſali, ſeu Concilio eam repræſentanti ſubjici debere rectiſſimè diffinivit; aliter Schiſma continuaretur; ſiquidem, qualis tunc eſſet legitimus Papa, certò ſciri non poterat. At Eugenius Papa legitimus, indubitatuſque erat: & ideo ſubditi ſupra ſuum legitimum Superiorem, ſupremumque totius Univerſalis Eccleſiæ Paſtorem, Judicemque iuriſdictionem uſurpare non debuerant; vel illius manus ligare, ne Concilium transferre, vel, ſi opus eſſet, diſſolvere poſſet. Et confirmatur ad hominem contra ipſos Baſileenſes, qui in Concilio Baſileenſi ſeſs. 1. p. 4. Martinum V. allegant ſeſs. 39. ad ſuos Legatos ita dicentem: ***Opportunè providere volentes, diſcretioni veſtræ, ubi legitima cauſa ſubſiſtat; ipſum Concilium de Civitate prædicta, ad quamcumque Civitatem aliam eiuſdem Nationis ad hoc liberam, habilem, & ſufficientem, de qua vobis videbitur, authoritate noſtra transferen-***

ferendi, illudque prorogandi, mutandi, & diſſoluendi. Quomodo igitur non poſſe Papam Concilium Univerſale mutare, transferre, prorogare, diſſoluereque eſt veritas fidei: quando ipſi Martinum Papam authoritatem mutandi, prorogandi, diſſoluendique habere fatentur? Dicent ne Baſileenſes Martinum Papam, cuius diſpoſitionem amplectuntur, hæreticum in ea ſic facta diſpoſitione putandum? En quales erant iſti homines; ſui dicti prorſus immemores; ſibique ipſis adverſantes eamdem rem in eadem charta hæreſim, & ſimul veritatem Catholicam eſſe, dum illam in Martino commendant, aſſerere auſi ſunt!

27. Ut tamen claram huiuſce doctrinæ lucem obtineas; obſeruare oportet in transferendo, prorogando, diſſoluendoque Concilio duobus modis Pontificem ſpectari poſſe. Primo, ſi iuſta prorogandi, diſſoluendiue cauſa non adſit. Secundo, ſi iuſta cauſa detur; quo ad primum citra dubium eſt, ſi Papa Concilium abſque ulla iuſta cauſa diſſoluat; quod tanto labore, tantiſque expenſis coactum fuit, & ex illius abſque cauſa diſſolutione multa Chriſtianæ Reipublicæ damna emergant, quæ Pontifex Maximus ex ſtricto Eccleſiam regendi munere impedire tenetur, lethaliter peccare poſſe: adhuc tamen ea diſſolutio quamvis illicita valida quidem eſt: multa enim illicitè ſæpè fiunt, quæ tamen facta valent: ut *Summuliſtæ* oſtendunt. Sic mortali labe turpatus illicitè Euchariſtiam conſecrat; contrahens matrimonium cum impedimento impediente illicitè contrahit: & tamen utrumque Sacramentum validum eſt: ergo diſſolutio illa Concilii valida eſſe poteſt; licèt illicita, culpabiliſue ſit. Et ratio huius eſt; quia talis diſſolutionis validitas in eo conſiſtit, quòd, illa facta, iam Concilium non maneat; & certè quovis modo caput diviſum ſit à Concilio, iam non Concilium, ſed Conciliabulum eſt; ſicut homo capite truncatus non eſt homo, ſed cadauer. Quò ad ſecundum plures mutandi, prorogandi, diſſoluendique Concilium cauſæ intervenire poſſunt. Una eſſe poteſt inopia, ſterilitaſque loci. Secunda contagio, ſive peſtis: qua ex cauſa Concilium ex Ferrara Florentiam commigravit, Eugenio IV. authore. Tertia, ſi ex diſſidentibus Patribus pernicioſum aliquod Schiſma prudenter timeri poſſit: plures aliæ cauſæ eſſe poſſunt, quibus non ſolùm Papa poſſit, ſed teneatur Concilium diſſoluere. Semper tamen conveniens erit, ut cauſæ illæ in Concilio approbentur; repugnante autem Concilio, ſi cauſæ ſint evidenter iuſtæ, rationabiles, maximèque urgentes, tunc, ut fecit Eugenius IV. poterit de conſenſu Cardinalium, virorum prudentum, ac doctiorum Concilium etiam reluctans diſſolvere. Et quidem habuiſſe Eugenium iuſtas cauſas diſſoluendi Cōcilium expreſſit Eugenius in ſua Bulla; & Pius II. in Bulla Retractationis.

28. Urgent Adverſarii: Eugenius IV. Bullas de Diſſolutione Concilii editas revocavit; eas ut irritas, & nihil roboris contra voluntatem Concilii generalis habentes declarando; ut conſtat ex Epiſt. Synodali in eodem Concilio. pag. mihi 178. ergo id fecit Eugenius, quia in ſe poteſtatem ſupra Concilium non agnouit. Reſp. omiſſa Platinæ ſolutione, & quidem veriùs, decentiùſque Pontificiæ dignitati; non metu coactum eas Bullas primo edidiſſe; in circumſtantiis id tunc prudenter poſcentibus; poſtea rebus Concilii in peius prolabentibus, aliud decrevit, Conciliumque Ferrariam tranſtulit.

29. Opp. 2. Concilium Univerſale legitimè congregatum habet iuriſdictionem immediatè à Chriſto Domino, ut Conſtantienſe Concilium tom. 3. Conciliorum ſeſs. 4. definit. & conſtat ex dictis nu. 23. quæ definitio ex clariſſimis Divinæ Scripturæ arcanis deſumpta eſt, videlicèt ex Joan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum*: & infra. *Apud vos manebit, & in vobis erit*: & Matth. 18. *Ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum*. Item Matth. 27. *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. & Matth. 18. *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo*. In

quo

quo ultimo Textu Eccleſiæ Univerſali, Concilioque generali eam repræſentanti ſuper omnes fideles, & conſequenter ſuper Petrum, & illius Succeſſorem Pontificem Romanum, qui unus ex fidelibus eſt, plena iuriſdictionis poteſtas confertur: quæ poteſtas per claues tam ſcientiæ ad veritates fidei definiendas, quàm iudicii, ad omnes omnino fideles, nullo, etiam Papalem dignitatem habente, excepto, generatim exprimitur, declaraturque. Si ergo Eccleſia, Conciliumque univerſale illam repræſentans à Chriſto ſuper omnes omnino fideles iuriſdictionem immediatè habet, talis poteſtas de iure Divino ipſi competit: ſed Pontifex ſupra ius Divinum non eſt: qua ratione igitur poteſtatem de iure Divino Eccleſiæ conceſſam tollere poſſit? Poteſt ne Sacerdoti validè conſecrandi poteſtatem iure Divino conceſſam tollere? Cur ergo Eccleſiæ conceſſam de iure Divino iuriſdictionem tollere poſſit?

30. Hoc argumentum nihil nerui, roborisve habere ex mox dicendis patebit. Et in primis eam Concilii Conſtantienſis definitionem libenter amplectimur, videlicèt, quòd Concilium generele ſuper Papam dubium tamen, non ſupra verum, indubitatumque iuriſdictionem immediatè à Chriſto habeat, & conſequenter à iure Divino, quod ius, utpotè ſuperius à Pontifice, qui Chriſto inferior eſt, tolli non poteſt: atque adeo Pontifex Romanus, ne Concilium hanc ſuper Papam dubium iuriſdictionem habeat, nullum decretum, legemque conſtituere valet; quia ſicut Epiſcopus legem Papæ Epiſcopo ſuperioris, ita nec Papa legem Chriſti ſuperioris Papà tollere poſſunt. Baſileenſes verò illam definitionem de Papa dubio, indubitato, qualis erat Eugenius, applicantes errarunt; & ita eos erraſſe affirmat Pius II. in ſua Bulla; & ideo univerſa Eccleſia, Baſileenſibus derelictis, Eugenium ſecuta eſt, ut notatur ad marginem Epiſtolæ Synodalis Baſileenſis Concilii pag. 152. col. 2. ibi: *Pius Secundus ſcribit Cardinales, qui Baſileam venerant ob privatas inimicitias bono, & Sancto viro Eugenio notam inurere voluiſſe, & eoſdem tamen poſtea ad eum rediſſe, & veniam petiiſſe.* Ipſe verò Pius, ante Æneas Syluius, fatetur non ſequendo Eugeniū, ſed Baſileenſes erraſſe, ſuique erroris valde pænituiſſe multo ante, quàm ad Pontificatum aſſumptus eſſet, & hoc declarauit, dum in eadem Epiſtola ſcribit: *Ne putetis me cum mutatione ſtatus mutaſſe ſententiam.*

31. Ex quo iam ad Sacros illos textus patet reſponſio: Chriſtus enim Eccleſiæ ſuæ ſupremo capiti vnitæ (quando quippe unita illi non eſt, Eccleſia ſua non eſt, ſed Synagoga Satanæ) iuriſdictionem contulit; quando autem vel nullum habet caput, ſive per mortem naturalem, ſive per moralem propter hæreſim, vel illud habet dubium, nutanſque, illi tunc, ut caput acquirat, iuriſdictionem, poteſtatemque concedit, aliter omni remedio deſtituta maneret: Unde ergo Adverſarii Eccleſiam ſupra Papam verum, indubitatumque poteſtatem ſibi arrogare deducunt? Ex ea definitione? non comprehendere Papam verum iam ſatis comprobatum eſt: & ex Sacris textibus allegatis conſtat jam illos de Eccleſia capiti vnita loqui. Adverſarii verò volunt, ut Eccleſia, tamquam Judex diviſus, diſtinctuſque Pontificem coactè iudicet, damnetque: ergo vanè, inutiliterque pro ſe Sacros illos textus adducunt. Advertendum tamen eſt nos cum Adverſariis in uno convenire, videlicèt, ſi Eccleſia ſuper omnes omninò fideles iuriſdictionem Petro, eiuſque Succeſſorem Pontifici Romano haud ſubordinatam habeat, Petrum, eiuſque Succeſſori Pontificem Romanum iudicare poteſt. Si autem Eccleſia iuriſdictionem à Chriſto, dependenter tamen à Petro, ac Pontifice Romano, eique omnino ſubordinatam habeat; Petrus, eiuſque Succeſſor Pontifex Romanus ab Eccleſia iudicari non poteſt.

32. Tota modò lis eſt; quonam ex his modis Eccleſia à Chriſto Domino iuriſdictionem acceperit? Certiſſimum omninò eſt Eccleſiam Juriſdictionem ſemper Petro, ejuſque Succeſſori Romano Pontifici ſubordinatam habere: ergo ex mente etiam Adverſariorum Petrus, ſive Romanus Pontifex ab Eccleſia iudicari

cari non valet, nec eius poteſtati ſubeſse poteſt. Quod verò Eccleſia hoc ſecundo modo, videlicèt quòd eam iuriſdictionem à Chriſto Petro, Romanoque Pontifici ſubordinatam habeat, negari non poteſt, niſi Sacris Canonibus apertè contradicendo, ut ex dictis diſceptat. 1. per totam clariſſimè demonſtratum eſt, & deindè confirmatur. Primò, ſi Eccleſia juriſdictionem à Chriſto independenter à Petro, ejuſque Succeſſore Pontifice Romano accepiſſet; quando Eccleſia ſolveret, & ligaret, Petrus ligare, ſolvere ue non diceretur: nam quomodo ligaret, ſolveretque Petrus; ſi Eccleſia independenter à Petro ſolveret, & ligaret? Aſſerere autem, Eccleſia ligante, vel ſolvente, Petrum non ligare, vel ſolvere, adverſatur apertè Canoni in cap. Patet. 24. q. 1. ubi ſic dicitur. *Nihil erit ligatum, aut ſolutum, niſi quod Beatus Petrus aut ligaverit, aut ſolverit.* Quod Theologi, Canoniſtęque cum gloſa ibi, ut nihil ligetur, aut ſolvatur ſine Petri authoritate, juriſdictioneque intelligunt, ut ex citata diſceptatione conſtat.

33. Confirmatur 2. Si independenter à Petro, ejuſque Succeſſore Pontifice Romano Eccleſia jus ligandi, ſolvendi, definiendique poteſtatem ſibi arrogaret; Concilia ipſa etiam generalia à Romano Pontifice confirmari, roborarique tantopere non procurarent, expoſcerentq; nam aliter ea, quæ Concilium univerſale diſpoſuiſſet, abſque Pontificis Romani approbatione, rata, firmaque manerent: hoc autem communi Eccleſię ſenſui, ſacriſq; canonibus aduerſatur; ut late vidimus 1. diſcept. ſect. 2. prob. 4. & ex cap. Bene quidem 95. diſt. ubi ſine authoritate Papæ nullum Concilium valere definitur, & notatur etiam ad marginem Epiſtol. Synodalis Concilii Baſil. p. 145. ibi. *Synodus Chalcedonenſis ampliſſima petiit ſua decreta à Leone Papa confirmari, qui cæteris probatis, decretum de Epiſcopo Conſtantinopolitano reſcindit.* Et ſic de aliis Conciliis, & noviſſimè de Concilio Tridentino; quod à Pio IV. à quo Concilium approbatum fuit, petiit ſua decreta approbari, confirmarique.

34 Confirmatur 3. Si Eccleſia, vel Concilium eam repræſentans independenter à Petro, à Pontificeque Romano Petri Succeſſore juriſdictionem haberet; & è contra Petrus, ejuſque Succeſſor Pontifex Romanus ab Eccleſia, vel generali Concilio illum repræſentante juriſdictionem acciperet; non Petrus Eccleſiæ, ſed Eccleſiæ Petri caput exiſteret; namque ille, à quo juriſdictio manat, caput eſſe dicitur: hoc autem canoni in cap. Dudum 3. q. 6. ab univerſali Eccleſia recepto maximè aduerſatur; ut in citato loco vidimus. Conſtat igitur Eccleſiam de facto ſuam omnem juriſdictionem dependenter à Petro, ejuſque Succeſſore Pontifice Romano certiſſimè accepiſſe: & conſequenter juxta præfatam demonſtrationem non poſſe Romanum Pontificem verum, indubitatumque ab Eccleſia, Conciliòve eam repræſentante judicari. Et, quod inde deducitur, definitionem Concilii Conſtantienſis, qua Eccleſiæ poteſtas ſupra Papam etiam definitur, ſolùm ad Papam dubium reſtringi, & indubitatum minimè complecti.

35 Dices. Si tunc Concilio nullus aderat Summus Pontifex verus, ſed vel nullus, vel ſaltem dubius; quo pacto verum eſſe poſſit, Concilium juriſdictionem ſuam Pontifici Romano ſubordinatam habere? verane juriſdictio à Pontifice, qui verus non eſt, ſed vel falſus, vel ſaltem dubius, pendere poteſt? Vel igitur tunc Concilium dubiam, ſicut dubiam Pontifex habet, juriſdictionem dumtaxat obtinet: vel ſi eam, vt certè habere debent ad infallibiliter diſponendum, certam, infallibilemque habuit; non ſub ordinatam, ſed ad ſolutã, independentemque habuit. Reſp. in primis Concilium certam etiam in eo caſu Pontificis dubii, nutantiſq; juriſdictionẽ Petro ſubordinatam habere: quia ex ſacris Canonibus, Conciliorumque generalium decretis conſtat nullam, niſi à Petro dependentem juriſdictionem Concilium ſibi arrogare. Ad hoc intelligendum Theologi, Canonicique juris Doctores duos quidem modos conſiderant. Primò, quòd Concilium ratione Epiſcoporum, ex quibus coaleſcit, juriſdictio-

ctionem per modum habitùs habeat: quia, videlicèt, Epiſcopi in ſua inſtitutione juriſdictionem, pro ſua quiſque Diæceſi, ſive immediatè à Papa, ſive immediatè à Chriſto, Summo Pontifici tamen ſubordinatam accipiat; & hanc juriſdictionem Epiſcopi adhuc in Concilio congregati retinent: & hæc juriſdictio veluti habitualis dici poteſt; & cùm in Epiſcopis conſervetur, per modum habitùs illis ineſſe dicitur: Secundo modo, quòd Concilio jam congregato, ad Pontificem verum eligendum, hìc, & nunc à Chriſto immediatè ſit juriſdictio; quæ quidem, diſſoluto Concilio, vel Papâ legitimè facto, ceſſat; totaq; juriſdictio in novum jam electum Pontificem devolvitur: in hoc ſecundò modo juriſdictionis tria notari debent. Primum, quòd Epiſcopis, non habitualiter, ſed per modum actus tranſeuntis inſit, ideſt, quandiu durat Concilium, & Papa novus non eſt factus. Secundum, quòd quandiu novus Papa non fit, Concilium in omnes Chriſti fideles tàm Eccleſiaſticos, quàm Sæculares plenam juriſdictionem ſpiritualem obtineat; quò ad ligandum per excommunicationem, aliaſque pœnas; vel ſolvendum per abſolutionem; quia ad omnia hæc Chriſtus Dominus ampliſſimam Concilio poteſtatem ad bonum ſuæ Eccleſiæ regimen tribuit. Tertium, omnia, quæ ante novi Pontificis electionem Concilium agit, videlicèt, Decreta, Conſtitutiones, Diſpoſitiones, Definitiones, & ſimilia, futuro Pontifici ſubordinari, ab eodem poſtea vel approbanda, vel reſcindenda: atque ita evenit in Concilio Conſtantienſi, cuius diſpoſitiones poſtea Martinus partim approbavit, partim verò reprobavit; & ſolùm ea, quæ Martinus approbavit, ſoliditatem, vigoremque obtinuere; vt infra ſuo loco videbimus. Si autem Concilium hanc ad novum mox eligendum Pontificem ſubordinationem habere renueret, unitatem non haberet, nec verè eſſet Concilium: quod, ut tale ſit, Chriſto capiti inviſibili unitum eſſe debet: non unitur autem Chriſto capiti inviſibili, niſi ſimul unitum ſit viſibili capiti, videlicèt, Pontifici Romano, vel actu ipſo, ſi jam detur, exiſtatque Pontifex, vel in voto, ſeu deſiderio, quando futurus mox ſperatur.

36 His ergo ſuppoſitis facilis eſt obiectioni factæ reſponſio. Nam vel juriſdictio Concilii primo modo, ſcilicèt habitualiter, ſpectatur; & tunc quam juriſdictionem habebant Epiſcopi diſperſi; eandem quoque congregati retinent; hanc tamen juriſdictionem conciliarem appellare propriè non poſſumus: Si quidem Conciliaris juriſdictio eſt etiam ſuper omnes Patriarchas, & Epiſcopos: qua ratione non poteſt prima illa juriſdictio conſiderari; cùm vnus Patriarcha non habet ſuper alium juriſdictionem; & ſic de Epiſcopis, niſi in caſibus jure expreſſis: omnes enim ſunt Papæ immediate ſubiecti: at vero; quando omnes ſunt legitimè congregati, ſuper omnes Epiſcopos, & Patriarchas Concilium juriſdictionem obtinet; ex clavibus in eo caſu eidem à Chriſto datis Pontifici ſubordinatis: vt mox futurus Pontifex reſcindat, vel approbet, quę reſcindenda, vel approbanda eſſe judicaverit: vnde in hoc modo juriſdictio habet tres effectus. Primum, adjudicandos cujuſcunque ſint Dignitatis, Patriarchalis, & ab aliquibus exiſtimatæ Papalis. Secundum, ad eligendum nouum, Sede tunc vacante, vel dubia exiſtente, Pontificem juxta modum ab Eccleſia præſcriptum. Tertium ad facienda, provt judicaverint, decreta confirmanda, vel reſcindenda poſtea per Pontificem ritè electum. Hæc eſt Catholicæ doctrinæ veritas, & vera definitionis Conſtantienſis intelligentia.

37 Sed urgent Baſileenſes. Conſtantienſe Concilium poſuit abſolutè. *Cujuſcumque ſint dignitatis etiam Papalis*, & non poſuit limitatè, *dignitatis Papalis dubiæ*: ergo, quod illud non diſtinxit, nos diſtinguere non debemus. Reſp. facilè duplicem dari diſtinctionem ad explicandum aliquem Sanctæ Scripturæ, vel ſacri Canonis nodum. Prima eſt ex ipſa lege. Secunda ex Legiſlatore: ex ipſa lege, ut quando Chriſtus dixit: Ego ſum vitis vera; licèt non poſuerit limitatè, *Sum vitis vera figuratiuè*; ſemper intelligitur

tur loqui ſe figurativè; quia aliter opponeretur veritati de fide, qua credimus Chriſtum hominem realiter, & iſta dicitur diſtinctio ex ipſa lege divina: ſimiliter ergo, quando Concilium Conſtantienſe definivit, ponendo, *Cujuſcunque dignitatis etiam Papalis*, ſemper intelligitur de dignitate Papali dubia; quia aliter opponeretur ſacris canonibus ſupra expreſsè decidentibus Papam legitimum, & minimè dubium nulli hominum interris tribunali eſſe ſubiectum: & idem Martinus V. confirmavit Conſtantienſem diffinitionem ſolùm in ſenſu Papalis dignitatis dubiæ; tum quia videbat illam procedere circa ſubiectam materiam, ſcilicèt, de Papa dubio; de quo tunc erat controverſia; tum quia videbat PP. Conſtantienſes nolle ſe opponere antiquis Sacrorum Canonum Decretis: vnde non opus fuit, in confirmatione diſtinguere de dignitate Papali dubia; quia jam illa diſtinctio ſufficientiſſimè probabatur tum ex lege oppoſita, tum ex materia ſubiecta: quod ſi Conſtantienſes ponerent ſic: *Cujuſcumque dignitatis etiam Papalis, & minimè dubiæ*, ut poſuerunt Baſilenſes contra Sacros Canones; id reprobaret Martinus, ſicut id reprobauit Eugenius; ut patet ex dictis ſect. 1. probatione 2. Ex quo manifeſtum eſt ex diſfinitione Concilii Conſtantienſis nihil inferri pro juriſdictione Concilii ſupra Papam legitimè in Uniuerſali Eccleſia receptum; imò oppoſitum omnino ſequitur, rebus bene explicatis, & diſtinctis,

38 Vnde ad tres illos Sacræ Scrituræ textus in argumento ſecundo poſitos; in quibus promittitur Eccleſiæ ſpecialis aſſiſtentia Spiritus Sancti, & Verbi Incarnati, dicendum eſt ita eam ſpecialem aſſiſtentiam promitti Eccleſiæ, ſed ut unitæ ſuo capiti viſibili Petro, ejuſque Succeſſori Romano Pontifici: nam ſicut non communicatur ſpiritus Petri corpori naturali Petri, ſi corpus non eſt unitum capiti; ita non commucatur Spiritus Chriſti corpori ſuo myſtico, quod eſt Eccleſia, niſi unitũ capiti ſuo myſtico, quod eſt Petrus, & Pontifex Romanus, in Petri locum ſuccedens. Ad ultimum textum, in quo Chriſtus dat Eccleſiæ juriſdictionem, ſivè claves ligandi, atque ſolvendi, dicendum eſt ita eam juriſdictionem Eccleſiæ à Chriſto dari, ſed eo modo, quo ipſe voluit dare, nimirum ſubordinatam Petro; ejuſque legitimo Succeſſori Pontifici Romano, vt hucuſque probatum eſt.

29 Opponunt tertiò ex eo, quòd Concilium ſit ſupra Papam, plurima commoda ſequuntur Eccleſiæ. Primum, quòd ſic meliùs, & vigilantiùs Papa Eccleſiam gubernabit; timens, ne deponatur, aut puniatur à ſuo Superiore Concilio. Secundum, quòd ſalubria Conciliorum decreta meliùs obſervarentur, dum illa tanquam ſuperioris maioris præcepto non auderet tam facilè relaxare, & revocare. Tertium, ipſa Concilia non tanto tempore durarent, dùm Pontifex, utpote ſubditus, tam longas moras non faceret, id prohibente Concilio Superiore ſuo. Quartum, quòd Patres Concilii majori cum libertate ſuas proferrent ſententias tanquam Papæ Superiores; quorum manus à Papa, utpote inferiore, & ſubdito minimè ligarentur: ergo &c. Reſp. hæc convenientia oſtendere potuiſſe quidem Chriſtum Concilio dare eam ſuper Papam poteſtatem de poſſibili, non tamen datam eſſe de facto; de quo tantùm eſt noſtra quæſtio. Imo multo maiora commoda ſequuntur; ſi Papa ſit ſuperior Concilio. Primò, quia ſic multa ſchiſmata evitantur: ſiquidem poſſent multi Papæ inimici, & infeſtiſſimi hoſtes illum calumniare, & falſis teſtimoniis illum accuſare apud Concilium, multique reperiri Epiſcopi ob aliquam privatam inimicitiam contra Papam, qui procurarent illum deponere, & alium ſubſtituere, qui certè eſt Antipapa, & ſic inſurgeret pernicioſum in Eccleſia Schiſma, ut evenit Concilio Baſileenſi deponēdo iniquè, & invalidè Sanctiſſimum Papam Eugenium IV. & eligendo in novum Antipapam Ducem Subaudiæ; ex quo natum fuit Schiſma, & certè continuatum fuiſſet cum graviſſimo totius Chriſtianæ Reipublicæ damno, niſi fideles, relicto concinabulo illo, & Felici appellato Antipapa Subaudiæ

Digitized by Google

audiæ Duce, ac legitimum Paſtorem ſuum ſequi maluiſſent.

40 Secundò, quia ex Superioritate Concilii ſupra Papam, unuſquiſque, maximè, ſi eſſet Princeps aliquis, tam Sæcularis, quàm Eccleſiaſticus, ex ſuis graviſſimis delictis appellando ad futurum Concilium; cùm hoc non niſi tardiſſimè convocatur, toto illo tempore eſſet ſine Superiore, qui poſſet coercere, impedire, & punire ſcandala, ac immania ſcelera, expectando futurum Concilium, quod tardè, aut nunquam congregaretur, & ſic Chriſtus videretur non adhibuiſſe perfectiſſimam providentiam ad regendam ſuam Eccleſiam: & ideò meritiſſimè Chriſtus Dominus dedit ſuo Vicario in terris ſupremam in fideles tam toto orbe diſperſos, quàm in Concilio congregatos juriſdictionem, reſervando ſuo divino tribunali omnia ſui Vicarij peccata, iuxta omnes probationes ſupra in prima ſectione expoſitas.

41 Opponunt quartò, Eſt certè maxima imprudētia, ſi omnes omnino ſint pro una parte; & unus tantùm homo pro alia oppoſita in aliquare controverſa, ſequi unum, contemptis omnibus: ergo ſi pro una parte ſit ſolus Papa, magna erit imprudentia ſequi Papam, relicta tota uniuerſali Eccleſia. Hoc argumentum ſatis eſt debile, imo futile ſophiſma: ad quod diluendum ſupponeneſt duobus modis poſſe Papā conſiderari. Primò, ut eſt quædam perſona privata, & privatus Doctor. Secundò, ut perſona publica, & ut communis Doctor Univerſalis Eccleſiæ cum clauibus à Chriſto illi datis tam ſcientiæ ad diffiniendum verum, quàm juriſdictionis ad condemnandum reos, & liberandum innocentes. Primo modo erit imprudentia in re controverſa ſequi unum privatum doctorem, relictis omnibus. Secundo modo erit enormiſſima imprudentia ſequi multitudinem errori expoſitam, & relinquere illum à Deo datum ut infallibilis veritatis Doctorem; cui Deus in Sacris Scripturis promiſit infallibilem aſſiſtentiam, ne doceat errorem; & nonita promiſit multitudini erraticæ diſiunctæ à ſuo capite, & veluti ſine Paſtore ſuo, erratico gregi.

42 Opponunt. Quintò, Univerſalis Eccleſia, quæ in Concilio univerſali repræſentatur, errare non poteſt: ſed Papa poteſt errare; ut conſtat de Anaſtaſio, Liberio, & aliis: ergo ſequendum omnino eſt Concilium, relicto Papa. Confirmatur, quia ſi Concilium poteſt errare, cùm etiam conſtet poſſe errare Papam; iam totum conflatum ex Concilio, & Papa poſſet errare: nam ſi omnes partes errent, totum errare neceſſe eſt: ergo noſtra Religio nihil certi haberet; ſiquidem cùm ex ſola Eccleſia habeamus, qualis ſit Canonica Scriptura; poſſet errare proponendo Canonicam pro apocrypha, & apocrypham pro Canonica; & ſic noſtra fides inſtabilis eſſet, & fallibilis; quod dicere eſt hæreticum: ergo ne hoc ſequatur; cum conſtet exemplo Liberii, & aliorum poſſe errare Papam; dicendum eſt Concilium errare non poſſe. Reſp. ad argumentum, Concilium errare non poſſe, ſi ſit unitum authoritati Papæ; ſi autem à Papa ſit ſeparatum, poſſe errare, & ſæpè erraſſe; ut conſtat de multis Conciliis, quæ fuerunt damnata à Summis Pontificibus, vt ſupra vidimus diſcep. 1. ſect. 6. n. 11. Imò & ipſum Concilium Baſileenſe ſeparatum à Papa Eugenio in multis ſpectantibus ad Summum Pontificem errauit: nam in Epiſt. Synodali, pag. 145. dixit Papam nunquam exercuiſſe juriſdictionem in totam Eccleſiam, ibi. *Licèt tam Papa, quâm Eccleſia claues habeant ligandi, atque ſoluendi; Papa tamen nunquam in totam Eccleſiam claues ligandi, atque ſoluendi exercuit*. Item in Appendice, pag. 307. verſ. *Item allegant*, neque Papam eſſe Summum Pontificem. De multis alijs erroribus teſtatur Pius 2. in Bulla Retractationis inſerta in tomo 4. Conciliorum. Deinde Papa prout communis Eccleſiæ Doctor definiens pro Cathedra Apoſtolica non poteſt errare, neque Anaſtaſius, aut Liberius, aut quicunque alius, docuit pro tota Eccleſia aliquem errorem: quidquid ſit de Papa, vt Doctore priuato, de quo ſuo loco.

43 Ad confirmationem Reſp. neque Concilium Uniuerſale unitum ſuo capiti Summo Pontifici, neque Summum

H Ponti-

Pontificem cum Concilio, vel extra deffiniendo pro Cathedra, ideſt, facta matura examinatione cauſæ pro tota Eccleſia conſultis Doctoribus,& Magiſtris, Eminentiſſimis Cardinalibus, alijſque viris Sapientiſſimis; precibuſque ad ad Deum effuſis, & implorata Spiritus Sancti aſſiſtentia, factiſque alijs de jure conſuetis, errare poſſe: ac proinde non ſequi illud inconveniens: nam ſic declarando, definiendoque has Scripturas eſſe Sacras, Diuinas, Canonicas, amplectendaſque eſſe ab Uniuerſa Eccleſia; jam noſtra Religio in illis fundata eſt omnino infallibilis, firma, & indubitabilis.

SECTIO III.

Diſſolvuntur alia Sophiſmata PP. Baſileenſium.

44 Opponunt adhuc PP. Baſileenſes. Primò, Illud Matthæi 18. *Si peccaverit in te frater tuus, dic Eccleſiæ, & ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*, omnes homines compræhendit;& quòd Petrus, eiuſque Succeſſores Pontifices Romani compræhendantur, oſtendit Paulus, qui ad Galat. 2. reſtitit in faciem Petri: & ideò multa Pontificum Romanorum peccata fuerunt dicta Eccleſiæ, & ab eadem judicata, & punita, ergo non poteſt negari Eccleſiæ, & Concilio illam repræſentanti juriſdictio ſupra Papam, quin fiat aperta Sacræ Scripturæ violentia. Reſp. ex illo textu nihil inferri contra doctrinam Catholicam hactenus explicatam: nam in eo textu præcipitur à Chriſto Petro, & omnibus correctio fraterna, quando aliquis peccaverit; & ſi non ſufficiat fraterna illa correctio, conuenire, ut fiant proceſſus per Prælatos Eccleſiaſticos; ſi verò delinquens adhuc permaneat incorregibilis, & contumax, conuenire, ut extra Eccleſiam ſit;ideſt,ut excommunicetur: hic verò ſecundus modus, vult Chriſtus, ut fiat per Judicem competentem: Petrus autem, & ejus Succeſſor Pontifex Romanus non habet in terris Judicem competentem ſupra ſe, vt demonſtrant Concilia, diſponùntque Sacri Canones ſupra relati: unde in Petro, & ejus Succeſſore Romano Pontifice ceſſat hic ſecundus modus defectu judicis ſupra ipſum: nam ſicut perſona infima, ideſt, nulla dignitate Eccleſiaſtica præfulgens ſolùm eſt capax corripiendi fraternè fratrem ſuum; non autem excommunicandi, corrigendiq; judicialiter, quia non habet juriſdictionem, nec ſubditos, cujus ſit Judex; ita Perſona illa ſuprema, ideſt, Petrus, & ejus Succeſſor Pontifex Romanus non eſt capax, ut ſecundo illo modo judicialiter corrigatur, quia non habet in terris judicem, cujus ſit ſubditus. Ad locum Pauli, Reſp. id proceſſiſſe non ex poteſtate juridica, ſed ex monitione filiali; quia etiam filius poteſt monere ſuum patrem, non tamen judicare. Et fatemur poſſe Summum Pontificem à ſuis ſubditis moneri, non tamen judicari:quia judicium de illo ſpectat ad Deum, & non ad homines: nec verum eſt, quod illi Pontifices fuerint ab alio judicati, & ſolùm in caſu, quo aliquis fuiſſet hæreticus pertinax,poſſet ab Eccleſia judicari, & puniri; ſed ideo hoc eſſet, quia per hæreſim manifeſtam, & inexcuſabilem, jam delineret eſſe Papa, & caput Eccleſiæ, de quo infra.

45 Opponunt. Secundò. Summus Pontifex non poteſt mutarc Officiarios Concilii, nec illos vocare de Ciuitate Concilii, ut diſponit Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 3. ipſum tamen Concilium poteſt: ergo poteſtas Concilii major eſt Papæ poteſtate. Reſp. in primis ea verba, provt illa referunt PP. Baſileenſes non reperiri in illa 3. ſeſſ. citata; ſed tantùm ibi diſponi, ut per receſſum Papæ, non cenſeatur Concilium diſſolutum; item quòd Prælati non recedant à Concilio ſine expreſſa licentia ipſius Concilii, examinata, & approbata cauſà ab eodem Concilio; & nihil ibi dici de poteſtate Papæ. Reſp. Secundò Papam, ſi loquamur etiam de vero, & indubitato, non poſſe mutare Officiarios Concilii, nec illos vocare de Civitate Concilii, non defectu poteſtatis, ſed convenientiæ; quia non convenit facile mutare Officiarios Concilii ſine rationabi-

li cau-

li cauſa; cujus examen prudentius quidem eſt committi Concilio; quod poteſt bene ſcire, an expediat, vel privari his, vel illis officialibus illius Synodi. Reſp. Tertiò. Si Papa ſit dubius, ut erat ille, de quo tractabatur in Concilio, non poſſe diſſolvere Concilium; nec ejus Officiarios mutare: ex quo non fit argumentum ad poteſtatem Papæ veri, & indubitati.

46 Opponunt Tertiò. Tota ratio, cur Petrus, eiuſque Succeſſor Pontifex Romanus dicatur primum fundamentum viſibile, ſupremumque caput viſibile totius Eccleſiæ Catholicæ, ſunt illa verba: *Tu es Petrus, & ſuper banc Petrã ædificabo Eccleſiam meam*: ſed petra illa, de qua Dominus loquebatur, erat Chriſtus, & non ipſe Petrus: ergo ſolus Chriſtus eſt fundamentum, & caput Eccleſiæ, & non Petrus. Probatur minor ex S. Auguſt. lib. 1. Retractat. cap. 21. Vbi ſi ait: *Dixi in quodam loco, de Apoſtolo Petro, quòd in eo, tanquàm in Petra fundata ſit Eccleſia, qui ſenſus etiam cantatur ore multorum in verſibus Beatiſſimi Ambroſii, ubi de gallo gallinaceo ait: Hoc, ipſa Petra Eccleſiæ, gallo canente, culpam diluit. Sed ſcio me poſtea ſepiſſimè expoſuiſſe, ut ſuper banc Petram intelligeretur, quem confeſſus eſt Petrus: non enim dictum eſt. Tu es Petrus: petra autem erat Chriſtus*, & ſubjunxit mox Sanctus Doctor. *Harum autem duarum ſententiarum, quæ ſit probabilior, eligat lector*. Reſp. in primis D. Auguſtinum non improbare ſenſum D. Ambroſii: nimirùm, ut intelligatur Eccleſiam fundatam eſſe in Petro tanquàm in Petra; & hic eſt verus, & legitimus ſenſus; ut expoſuit D. Hieronymus in ſacris Scripturis interpretandis Doctor maximus, ut ait Eccleſia: qui Doctor ſanctiſſimus ita interpretatur verba Chriſti. *Et ego dico tibi: tu es Petrus, & ſuper banc petram ædificabo Eccleſiam meam; Sicut tu dixiſti mibi Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*: & hunc etiam ſenſum tenet communiter Eccleſia, & Sancti PP. ac Doctores, ut conſtat ex ſacris canonibus ſupra allatis in prima ſectiobe, diſcept. 1.

47 Ratio verò, cur Sanctus Auguſtinus inclinavit etiam in priorem ſenſum, indicat Cardinalis Bellarminus de Summo Pontifice lib. 1. cap. 10. Ut verò id bene intelligas, ſupponendum eſt textum Hebraicum habere: *Tu es Cephas*, quod nomen ſignificat Petram: textus verò Græcus, ut rem accomodaret generi maſculino, poſuit πετρος, textus autem Latinus poſuit, *Tu es Petrus*: quia nomina Græca in *os* vertunt Latini in *us*: ut docent gramatici. Unde S. Auguſtinus, qui ſanè idiomatis Hebraici notitiam non habuerat, ut ipſe de ſe ſatetur tom. 2. Epiſt. 131. lit. A. nomen Petrus à Petra, derivatum eſſe exiſtimavit, quaſi Petrus idem foret, atque petreus; & ideò non dici Apoſtolum petram, ſed petreum, quo poſito, S. Auguſtinus benè diſcurrebat: Si Apoſtolus non dicitur Petra, ſed Petrus, ſiuè Petreus, & & Chriſtus non dicitur Petreus, ſed petera: petra autem erat Chriſtus: ergò quando Chriſtus dixit; *Super banc petram ædificabo*; ædificari intelligebatur Eccleſiam ſolùm ſuper Chriſtum; qui ſolus dicitur Petra, unde argumentatio Auguſtini erat vera; ſed ſuppoſitio nominis falſa: quare ſi D. Auguſtinus intellexiſſet Apoſtolum dici in Scripturis Petram, & non Petreum, ſeu aliquid de petra, profectò Apoſtolum Eccleſiæ eſſe diceret fundamentum: quia Petrus erat Petra; ſicut Chriſtum fundamentum eſſe dixerat: quia Chriſtus petra erat: & quòd iſte ſit verus ſenſus verborum Chriſti: ut ſcilicèt intelligantur de Petro, quando dixit *Super banc petram* &c. patet primo ex ſacris canonibus, & & ex Sanctis PP. ſupra adductis. Secundò ex ipſa ratione: nam Chriſtus per illa verba voluit dicere aliquid de nouo, quod latebat Apoſtolos; & quòd Chriſtus eſſet primum Eccleſiæ fundamentum, & origo, jam erat manifeſtum Apoſtolis; deinde volebat remunerari primam Petri confeſſionem primo Eccleſiæ principatu; ac juxta citatum Hieronymum; *Sicut tu mibi dixiſti: Tu es Chriſtus* &c. Sic ego tibi dico: *Tu es petra, & ſuper banc petram ædificabo Eccleſiam meam*, ex quo patet, quàm debile fuit Baſileenſium fundamentum, ad negandum Petrum ſtabile, firmumque eſſe totius Eccleſiæ

fundamentum, & viſibile corporis miſtici Eccleſiaſtici caput.

43 Opponunt Quartò, quandam ſimilitudinem, qua Baſileenſes exiſtimant totam rem conficere. Supponamus, inquiunt, quòd Rex unus diſcedat ad aliquam Regionem longiſſimam; & relinquat interim Regni gubernatricem Reginam Sponſam ſuam, cui coadiutorem adiungat pro regimine nobilem ſubditum, quem Rex ipſe prudentem exiſtimat, ad gubernandumque aptiſſimum: Si iſte poſteà Subditus ſuperbia elatus Reginam Dominam ſuam contemnat, rempublicam evertat; bona Regis diſſipet, & diripiat, ſcandaloſus fiat, & in multa paſſim ſcelera ſe præcipitet; quis Reginam, aliàs dominam, Sponſam Regis abſentis, Regnique ſui moderatricem, ſi ſceleratum illum in carcerem coniiciat, & puniat pro Reipublicę pace, & tranquillitate, incuſabit? en, inquiunt, caſus noſter. Rex iſte eſt Chriſtus, qui à terris in longiſſimum locum, ideſt, in cælum diſceſſit: Regina iſta Sponſa Regis eſt Eccleſia, de qua dicitur; *Sponſa mea* &c. *Aſtitit Regina*, Subditus iſte, ſeu miniſter eſt Petrus, ejuſque Succeſſor Pontifex Romanus, quem Chriſtus reliquit in terris, vt adjuvaret Eccleſiam, & cum illa regnum adminiſtraret; ſi iſte miniſter multa peccata committat, multa perpetret ſcandala, bona Eccleſiaſtica diſſipet, & potiùs regnum deſtruat, quàm conſervet; quis Reginam iſtam Sponſam Regis Chriſti, & idcircò dominam Sanctam Eccleſiam; ſi Gubernatorem hunc perperam ſe habentem, omnes ſcandalizantem puniat, corrigat, & emendet, incuſare audeat?

49 Mira hæc, fateor, ſimilitudinis elegantia faciem quandam veritatis præfert. Sed Baſileenſes rem ſuo modo depingunt: *& Pictoribus, atque Poetis quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas*. Vt bene intelligas futilitatem hujus exempli, & quàm debile ſit ad probandam iuriſdictionem Concilii ſupra Papam; ſupponendum eſt tribus modis potuiſſe prædictum Regem reliquiſſe illum Subditum vt Coadminiſtratorem Regni ſimul cum Regina. Primo modo; expreſsè, ut, ſi talis Subditus perperam gubernet, & gravia committat crimina, puniatur à Regina. Secundò, non dicendo expreſsè, ut puniatur; ſed nec expreſsè, ut non puniatur, ſed ab utroque præſcindendo. Tertio modo expreſsè, ſe crimina forſan ab eo ſubdito patrata ad ſe, ſuumque tribunal omninò reſervare; vel quia poteſt conjectare, poſſe eum populi ſemper inſtabilis invidiam ſibi conflare, ab eodemque populo calumniis divexari; vel quia Rex ipſe prudentiſſimus habet juſtiſſimas cauſas; ut Subditus ille potiùs à ſe, quam ab ullo alio judicetur. Hoc ſuppoſito. In primò caſu poſſet ille ſceleratus à Regina puniri; quia hæc eſt Regis voluntas. In ſecundo, ſimiliter: quia hæc eſt Regis voluntas tacita, ſeu rationabiliter præſumpta. At nullus ex his eſt caſus noſter. In tertio caſu, dico Reginam illam non poſſe punire Subditum illum; quia illum Rex ſuo judicio reſervavit: & hic ſolùm eſt caſus noſter: & ideò dico non poſſe Eccleſiam figurativam Reginam Summum Pontificem, perſeverantem ut Summum Pontificem judicare; quia ejus delicta voluit Rex ſapientiſſimus Chriſtus ſuo tantùm judicio reſervare propter juſtiſſimas cauſas, quas ipſe utpotè Sapientia infinita optimè ſcit; & nos aliquas etiam noſtra tenuitate deprehendimus; quia aperiretur janua multis Schiſmatibus, dum propter Summum Pontificatum multorum ſibi poſſet conflare invidiam, multos acquirere inimicos; multis falſis calumnijs laceſſi; & ſic poſſet iniquè deponi Pontifex verus, & induci falſus; & tota turbari Eccleſia; & pars unum ſequi; & pars alium, cum diſtructione unitatis Eccleſiæ, quæ ſi eſt intima veſtis Chriſti, oportet, ſit inconſutilis, & impartibilis. Quòd verò Chriſtus ad ſuum tantùm divinum tribunal omnes expreſsè reſervarit Romani Pontificis cauſas, ſatis manet expreſſum ſupra ſectione 1. per totam. Unde Baſileenſes hoc ſuo picturato exemplo tanquàm pulchro ſe ipſos jugulant pugione: ſi enim loquuntur de primo, & ſecundo caſu, nullus ex his eſt caſus noſter; & ſic nihil evincunt; ſi de tertio loquuntur

tur

tur; illo certè exemplo clariſſimè convincuntur.

50 Opponunt Quintò, omnia illa argumenta, quæ congerit Nilus Græcus Schiſmaticus, qui etiam ſupremam de medio tollere conabatur Romani Pōtificis ſuper omnes Epiſcopos poteſtatem. Primum eſt. Honorius Papa Romanus à Sexta Synodo non ſolùm judicatus, ſed etiam damnatus eſt: ergò Concilium eſt ſupra Papam. Reſp. Circa Honorium duas eſſe ſententias Antiquorum. Prima eſt illum fuiſſe hæreticum: Secunda hæreſim ad tempus permiſiſſe, quandiu illi non ſuppetebat occaſio veritatem examinandi, ac definiendi: illum tamen errorem nunquam tenuiſſe: has duas ſententias infra examinabimus, circa primam ſententiam dico, illam Honorii damnationem per Concilium factam, partim fuiſſe abſolutam, partim conditionatam; abſolutam quidem, quo ad ipſam hæreſim; quia abſolutè ab Eccleſia damnabatur; conditionatam quo ad ipſum Honorium; ſi illã habuit hęreſim: & infrà dicemus Papam per hæreſim deſinere eſſe Papam; proindeque ut jam perſonam privatam ſubiici Concilio.

Vnde illa ſententia Concilii, quò ad ſubditos fuit quidem authoritativè; quò ad non Subditum, ſcilicèt, Honorium, fuit doctrinaliter; ſicut ſi una Academia damnaret aliquam hæreſim; illa quidem damnatio foret declaratio doctrinæ, non exercitium poteſtatis, ſed de hoc infra.

51 Secundum argumentum. Multæ ſunt leges tum latæ ab Apoſtolis, tum ab univerſalibus Conciliis, quæ omnes obligant Epiſcopos; ſed Romanus Pontifex eſt etiam Epiſcopus: ergo ſubiicitur legibus cujuslibet Generalis Concilii, ut Subditus illi. Reſp. leges Eccleſiaſticas obligare omnes Epiſcopos inferiores Papâ, coactivè; ipſum verò Papam ſolùm directivè. Et ratio eſt; quia leges Conciliares manant à poteſtate ſuprema Principis Eccleſiaſtici ſupremi, ideſt, Summi Pontificis; ſicut leges civiles emanant à poteſtate ſupremà Principis Sæcularis ſupremi, ideſt, Regis, vel Imperatoris; vndè ſicut Juriſconſulti docent ſupremum Legiſlatorem ſæcularem non teneri legibus civilibus coactiuè, quia non habet alium Superiorem, à quo cogatur; ſed ſolùm directiuè; quia reſpectu illius Principis Supremi leges illæ ſunt optimæ directiones, quibus ille bene dirigatur, & conformetur cum ſua Republica, ſicut caput cum ſuo corpore; ita ſimiliter dicendum eſt de Supremo Principe Eccleſiaſtico totius Reipublicæ Eccleſiaſticæ, qualis eſt Papa.

52 Tertium argumentum. Sexta Synodus generalis nominatim cogit Eccleſiam Romanam per duas leges à ſe latas. Prima eſt, ut Presbyteris, Diaconis, Subdiaconiſque uſum uxorum liberè permittat. Secunda, quòd non permittat ſabbato jejunare. Ita habetur can. 13. & can. 55. Reſp. hos duos canones non reperiri in ſexta Synodo; ſed in nova alia falsò aſcribi ſextæ Synodo: illa verò nova Synodus nullius eſt vigoris. Primò, quia à Romano Pontifice fuit reprobata, de quo vide Turrian. libro de ſexta Synodo, & Can. de locis lib. 5. cap. vlt. in ſolutione argumenti ſexti. Bellarmin. de Summo Pontifice lib. 2. cap. 27. Secundò, quia prædicta nova Synodus falsò aſſerit illos 2. Canones eſſe Apoſtolorum: cùm tamen contrarium dicat Concilium Carthaginenſe longè antiquius, & celebrius falsâ illa Synodo: ſic enim ait Canone 2. *Omnibus placuit, ut Epiſcopi, Præsbyteri, & Diaconi, vel, qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes, etiam ab uxoribus ſe abſtineant, ut quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit Antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.* Tertiò, ex Epiphanio antiquiſſimo, & probatiſſimo Authore hæres. 19. ubi ſic ait: *Adbuc viventem, & liberos gignentem unius uxoris virum non ſuſcepit* (Eccleſia) *ſed eum, qui ſe ab una continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, Præsbyterum, Epiſcopum, & Hypodiaconum; maximè ubi ſinceri ſunt Canones Eccleſiaſtici*, & addit, Si contrarium in aliquibus locis factum invenitur; id abuſiuum eſſe, non canonicum.

53 Dices. Sexta Synodus citat 6. canonem Apoſtolorum; qui præcipit, ne Clerici uxores prætextu Religionis abiiciant.

ciant. Reſp. id intelligi, ut eas non abiiciant, quo ad victum neceſſariũ, non quò ad uſum matrimonialem; ſi enim quò ad matrimonii uſum id etiam intelligeretur; cùm canon Apoſtolorum de Epiſcopis etiam loquatur; eis matrimonii uſus permitteretur; quod pugnat cum ipſamet Synodo; quæ ſolùm minoribus Clericis uxoris uſum concedit.

54 Ex quo etiam ſequitur nihil valere legem illam non jeiunandi in Sabbato utpotè latam à Synodo falſa, & reprobata ab Eccleſia. Accedit, quòd Innocentius I. in Epiſt. 1. docet Sabbato jejunandum eſſe; item Epiphanius Antiquiſſimus, probatiſſimuſque Author Græcus in compendiaria doctrina ſolùm in Quadrageſima excipit Dominicam à jejunio. Dices Canon 65. Apoſtolorum vetat jejunare in Sabbatis. Sed neque hæc urget objectio: ſiquidem ſolùm 59. canones Apoſtolorum ab Eccleſia recepti ſunt, ut habetur apud Gratianum diſt. 16. Si tamen verum eſt Apoſtolos prohibuiſſe Sabbato jejunare; id fuit, propter hæreticos, qui Deũ negabant mundi viſibilis creatorem, & ne omittendo illo die jejunium illum, qui ſeptimo requieverat die, honorare viderentur; ideò ſeptimo die volebant jejunare: at verò cùm iam ceſſaverit hereſis, jam licitum, pium, & laudabile eſt Sabbato jejunare, tùm, ut à Judaiſmo magis recedamus, tùm ob memoriam Dominicæ ſepulturæ; tùm denique ob honorem Beatæ Virginis Deiparæ; cui à fidelibus Sabbatum dedicatur.

55 Sed urgebis illos canones, inquibus Pontifici Romano Leges imponuntur, legitimos eſſe negari nõ poteſt; primò: quia Synodus, quę ipſos condidit canones, eſt ipſa ſexta Synodus inſtaurata; ſiquidem iidem Patres, qui primò convenerant ad fidem ſtabiliendam, ad canones condendos poſtea convenere. Secundò, quia illis præfuit Pontifex Romanus per ſuum Legatum Epiſcopum Gortynæ in Creta, ut ex Baſilii conſtat hiſtoria. Tertiò, quia Synodus ipſa generalem ſe eſſe dicit; & tot, tamq; graves Patres mentiri præſumendum non eſt. Quartò, quia ſeptima Synodus canone 1. recepit omnes ſex univerſalium Synodorum canones; ſexta autem Synodus nullos habet canones, quàm prædictos canones. Quintò, quia Adrianus Papa in epiſtola ad Tharaſium, illum maximè laudat, quòd prædicta illa Decreta, & Canones, ex quibus nominat canonem 82. conſtanter obſervaverit; undè patet canones illos à Sede Romana confirmatos fuiſſe.

56 Ad primum reſpondet Card. Bellar. cit. non poſſe dici illam poſteriorem Synodum ſextam inſtauratam, eo quòd in ea diverſi fuerint Imperatores, minor numerus Epiſcoporũ, diverſi PP. & longa temporis interpoſitio. Sed hæc ſolutio diſplicet; nam benè poteſt continuatum dici Concilium, licèt nunc unus, poſteà alius aſſiſtat Imperator; & licèt nunc major, poſteà minor Patrum aſſideat numerus: item licèt longum inter unum, & aliud Concilium intercedat temporis intervallum, dum modò poſteriores PP. intendant cum illo ſecundo primum continuare, velintque ea in ſecundo ſupplere, quæ in primo defuerant. Adeſt aliquale exemplum in Tridentino; quod plurimos duravit annos, diverſi fuerunt Pontifices Romani, & diverſi poterant eſſe Imperatores, & Reges, & diverſi Legati; nunc major, nunc minor numerus Patrum; pro diverſis temporum circunſtantiis; & tamen ſemper dicitur idem Tridentinum Concilium; idem dici poteſt de Concilio Florentino; quamvis partim Ferrariæ, partim Florentiæ celebratum ſit, & ſic de multis aliis Conciliis.

57 Ad ſecundum reſpondet idem Bellar. non conſtare, an ibi fuiſſet Legatus Pontificis Romani, quia ibi nominatus Legatus Gortynæ Epiſcopus non declaratur, quo nomine fuerit appellatus, nec ibi debet admitti Baſilii teſtimonium de eo Romani Pontificis Legato: hæc tamen ſolutio non eſt ſufficiens; quia non conſtat etiam de oppoſito; nec item præſumendum eſt PP. illos, qui volebant ſupplere, quæ deerant in ſexta Synodo, omiſiſſe media neceſſaria, quorum unum erat ibi, vel per ſe, vel per ſuum Legatum Summum Pontificem præſidere.

58 Ad tertium reſpondet idem Bellar.

lar. cit. non eſſe mirandum mentiri in titulo eos PP. vocando Synodum univerſalem; qui in aliis rebus mentiti fuerant: v. g. in ea doctrina Apoſtolis falsò aſcribenda; neque hæc reſponſio placet: nam poterant ſine mendacio ſaltem formali exiſtimare illam eſſe doctrinam Apoſtolorum, & ad mores Chriſtianæ Reip. componendos utilem eſſe judicare. Ad quartum veriſimilior mihi videtur Bellarmini reſponſio (quæ poteſt prioribus argumentis aptari) ſcilicèt, cùm in ſeptima Synodo recipiuntur canones ſex univerſalium Synodorũ; nomine canonum non intelligi ſolum canones de moribus, ſed generaliter canones, ſiue de moribus, ſiue de fide conditi fuerint: ſiquidem omnes Synodi hac ratione canones condiderunt. De moribus autem ſola Nycena Synodus canones expreſsè condidit, nam ſecunda, & quarta Synodus quoſdam de moribus poſuit Canones, ſed non fuerunt ab Eccleſia recepti, ut conſtat ex Concilio Chalcedonenſi act. 16. Tertia verò, quinta, & ſexta Synodus nullos omnino de moribus canones poſuere. Quare quando ſeptima Synodus approbavit omnes canones ſex univerſalium Synodorum; intelligebatur de canonibus, qui verè erant; & non de canonibus morum; qui non non erant. niſi ſolùm illi, qui in Nycæna Synodo univerſali continebantur; inter quos non erant prædicti canones Papæ authoritati repugnantes.

59 Ad quintum. Reſp. cum eodem Bellarm. cit. Tharaſium ab Adriano Papa laudari; quòd ipſe Catholicam fidem in ſex generalibus Synodis contentam amplecteretur: & licèt in Epiſtola Tharaſii parũ ſynceri canones quintæ ſextæ falſæ Synodi continerentur; Adrianus illos approbare nõ cenſebatur; ſed quodammodo illorum prohibitionem alii tẽpori commodiori reſervare: ſi tamen Adrianus illos expreſsè non reprobavit; hoc poſtea fecit Nicolaus Papa in Epiſtola ad Michaelem. Imò illam prædictam Synodum ſextam inſtauratam, quo ad illud additamentum reprobavit Sergius Papa, ut teſtatur Beda de ſex ætatibus in Juſtiniano juniore, Paulus Diaconus lib. 6. de geſtis Longobardorum cap. 4. Ottho Friginſenſis lib. 5. c. 13. Ado Viennenſis, Marianus Scotus Rheginus, quos citat, & ſequitur noſter Bellar. lib. 2. de Summo Pontifice cap. 27. pag. 692. Longobardus ſupra citatus: eſſe autem hanc Synodum à Sergio reprobatam illam, quæ prædictos canones condidit, conſtat ex Tharaſio, & Epiphanio, qui in 7. Synodo act. 4. & 6. dicunt quinque annis poſt Sextam Synodum iterum Patres conveniſſe, & hos condidiſſe canones: conſtat verò hoc tempore Sergium Eccleſiam Dei regere; nec extat ulla memoria ex qua Synodum aliam eo tempore celebratam fuiſſe deprehendatur. Præterea Anaſtaſius Bibliothecarius præfatione in 8. Synodum ſcribit hos prædictos canones nec apud Romanos Pontifices, neque apud ullos Patriarchas, excepto Conſtantinopolitano, haberi; ex quo ipſe rectè infert nec Summi Pontificis, nec aliorum Patriarcharum præſcripto fuiſſe illam Synodum convocatam. Tandem Vmbertus Cardinalis Leonis V. Legatus in lib. contra Græcos ait non ſolum non recipi prædictos canones, ſed eos apertè appellat deliramenta.

Ex his omnibus conſtat Synodum illam pſeudoſextam fuiſſe ab Eccleſia reprobatam; proindeque ex illa nihil inferri poſſe contra ſupremam Summi Pontificis ſuper Concilium poteſtatem, vel ullam Concilii ſupra Papam juriſdictionem.

60 Quartum denique Nili Schiſmatici Græci argumentum eſt. Omnes Epiſcopi, ut Epiſcopi, ſunt æquales, ideſt, ejuſdem ordinis, ac dignitatis, ut ex Sancto Dyonìſio patet: ergo Papa, ſeu Epiſcopus Romanus non poteſt eſſe ſupra alios Epiſcopos; aliter jam contra Sanctum Dyoniſium omnes inter ſe æquales non eſſent. Reſp. omnes eſſe æquales in dignitate ordinis; non ita in poteſtate juriſdictionis; quod ipſe Nilus tenetur confiteri, nam ipſe tenet in eodem ſuo libro Epiſcopum Conſtantinopolitanum longè majorem eſſe Cæſarienſi, & aliis Epiſcopis, qui Conſtantinopolitanæ Sedi ſubjecti ſunt; undè patet incohærentia Schiſmaticorum.

Præ-

Præterea D. Dyoniſius vocat Petrum excelſum decus, ideſt, qui in dignitate Paſtorali cæteros alios Epiſcopos excellit; item eundem appellat antiquiſſimum Theologorum culmen, & per Theologos intelligit divinos Præsbyteros, & Epiſcopos: Tandem eundem Petrum appellat verticalem Apoſtolum: ideſt, Apoſtolorum verticem; quibus titulis, illum recognoſcit ſupremam omnium fidelium, omniumque Epiſcoporum Paſtorem: ita enim apud Euſebium hiſt. Eccleſiaſt. cap. 4. Scribit D. Dyoniſius, de divinis nominibus, ad Timotheum. *Namque apud ipſos divino Numine plenos Pontifices noſtros, cùm & nos (ut noſti) & plerique ex Sanctis fratribus noſtris ad contuendum corpus illud, quod authorem vitæ, Deumque ſuſcepit, conveniſſemus. Aderat autem & frater Domini Jacobus, & Petrus excelſum decus, & antiquiſſimum Theologorum culmen; ubi poſt contuitum placuit, ut infinitè potentem divinæ infinitatis bonitatem Pontifices laudarent omnes, quiſque pro captu ſuo* &c. & addit Onuphrius de primatu Petri pag. 48. ibi. *Et alibi (D. Dyoniſius) vocat Petrum Summum, & verticalem Apoſtolum*, ex quo patet Nilum, qui Dyoniſii gladio conabatur jugulare caput Eccleſiæ, eodem Dyoniſii gladio jugulari. Hæc ſunt argumenta ſatis debilia Nilì, quibus non ſuccumberent Baſileenſes Patres; niſi eos vel deciperet error, vel paſſio commoveret.

DISCEPTATIO TERTIA.

Diſſolvuntur deliramenta Lutheri, & Calvini, aliorumque Hæreticorum.

61 QVamvis noſter hic Pontificiæ dignitatis clypeus, non tantum ſe opponat hęreticis primatum Petro ejuſque Succeſſori Romano Pontifici negantibus, contra quos multi jam in Eccleſia Doctores clariſſima ſapientiæ lumina rem mirificè tractavere; ſed præcipuè Catholicis, qui Romanæ Sedis primatum non negando, adhuc Romanum Pontificem Generali Concilio ſubditum eſſe contendunt: cùm tamen hæretici, qui negant primatum Pontificis, conſequenter juriſdictionem Pontificis ſupra Concilium labefactare ſtudent: ideo mihi viſum eſt illorum hîc argumenta, ſeù potiùs deliramenta pro virili diſſolvere; ut ex illorum clariſſima ſolutione noſtræ veritas doctrinæ clariùs eluceſcat. Sit igitur.

SECTIO I.

Lutheri deliramenta ſolvuntur.

62 OPponit Luther. Primò. Ita fuit à Chriſto data juriſdictio, ut per eundem fuit facta ab Apoſtolis, & ab Eccleſia in eis repræſentata, voce Petri; ergò Eccleſiæ fuit data juriſdictio, & non Petro. Minor, in qua ſola poteſt eſſe difficultas probatur. Primò ex Joann. Chriſoſtomo, qui in hunc locum ſcribit Petrum fuiſſe os Apoſtolorum, & ex Hieronymo, qui in hoc ait Petrum pro omnibus eſſe locutum: & ex D. Auguſtino, qui ſermon. 13. de verbis Domini, dicit unum pro omnibus reſpondiſſe. Secundò, quia reſponſio debuerat eſſe conformis interrogationi: ſed interrogatio Chriſti fuit facta ad omnes; ut conſtat ex illis verbis: *Vos autem, quem me eſſe dicitis?* ergo reſponſio voce Petri fuit facta ab omnibus Apoſtolis.

63 Reſp. duobus modis poſſe unum

loqui

loqui nomine alterius. Primum ut merum præconem, qui publicat ſcripturam judicis, & publicando illam, non judicat; imò ſæpius non intelligit, nec penetrat id, quod profert. Secundo modo, ut Caput, & Principem alicuius Reipublicæ, ita ut tota illa Reſpublica cenſeatur, illo capite reſpondente, reſpondere; & illo fœdus aliquod contrahente, contrahere; & ſe, illo ſe obligante, obligare. Hoc poſito, vel Lutherus intelligit Petri reſponſionem primo modo, vel ſecundo. Si primo modo; errat Lutherus in fide, ſeu inſanit: nam Petrus reſpondit, ſicut Deus illi ſoli revelaverat, & nondum aliis, ut docet Fides: in illis verbis: *Caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus*: unde patet ex fide Petrum id, quod reſpondit, non accepiſſe ab Apoſtolis, ut illorum eſſet merus præco; ergò ſolùm ſupereſt reſpondiſſe eum, ſicut cæterorum caput, Principemque; cui cùm ſolùm fuerit facta revelatio per illum aliis cõmunicanda, ſic illi ſoli primò fuit data juriſdictio per ipſum aliis impertienda. Ita ſentit Hilarius in hunc locum: *Dignus*, inquit, *judicatus eſt, qui, quod in Chriſto Dei eſſet, primus cognoſceret &c.* Si primus; ergò non ſimul aliis facta revelatio eſt, & lib. 6. de Trinit. ibi. *In cunctorum Apoſtolorum ſilentio Dei Filium revelatione Patris intelligens*, & infra ibi: *Loquutus eſt* (Petrus) *quod uox humana nondum protulerat*. Idem ſentit Chryſoſt. homil. 55. in Matth. ibi. *quandoquidem de ſententia vulgi petebat, omnes reſponderunt; cum verò de ſua eos rogaret, Petrus confeſtim præſiluit, & præveniens ait: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*. Idem quoque ſentit Cyrill. lib. 12. in Ioan. c. 64. ibi. *ut princeps, caputque cæterorum primus exclamat: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*. Eiuſdem ſententiæ eſt Leo ſerm. 11. de Paſſione Domini ibi. *Meritò B. Apoſtolus Petrus in huius veritatis confeſſione laudatus eſt; qui, cùm Dominus, quid de ipſo intelligerent diſcipuli, ſcrutaretur, omnium celerrimè ora præveniens: Tu es*, inquit, *Chriſtus Filius Dei vivi*, & idem Leo ſerm. 2. de Apoſtolis Petro, & Paulo, ibi. *Tandiù reſpondentium ſermo communis eſt, quandiu humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur: at ubi quid habeat Diſcipulorum ſenſus, exigitur, ille primus eſt in Domini confeſſione, qui primus eſt in Apoſtolica dignitate*. Vides, ut garrula Lutheri rana coaxat, quando cœleſtes illæ tubæ, diuinaque Sanctorum Patrum melodia, veritatis ſcopum collimant; veramque Catholicæ lucis interpretationem expandunt!

64. Unde ad primum ex D. Hieronymo, Auguſtino, & Chryſoſtomo Reſp. Sanctiſſimos illos PP. loqui in ſecundo illo ſenſu explicato; ex quo vana Lutheri confutatur allucinatio; & noſtræ doctrinæ veritas comprobatur. Ad ſecundum Reſp. reſponſionem Petri Chriſti interrogatione fuiſſe mirabiliter conformem; ut quaſi in eo Concilio jam Petrus definiret, ut caput, & cæteri, ut membra, & ſubditi conſentirent. Unde illa Petri confeſſio fuit primariò, & principaliter à Petro; ſecundariò à cæteris; à Petro, ut viva regula; cui ſe cæteri conformarent; & ne errarent; ut vulgus illud à Petro diviſum enormiter erravit; putando Chriſtum; non ut Dei filium, ſed vel ut Ieremiam, vt Baptiſtam, aut unum ex Prophetis: in diviſione à capite ſententiæ dividebantur: & obſervant hîc primò Interpretes poſt primam Petri confeſſionem, aliquo jam tranſacto tempore, renovaſſe Petrum primam confeſſionem, modum tamen loquendi variando: nam Ioann. 22. ait Petrus. *Domine, ad quem ibimus: nam verba vitæ æternæ habes: & nos credimus, & cognovimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei*. In priori loco dixit: *Ego credo*, in ſecundo dixit: *nos credimus*, poſtquàm declaratum eſt una omnium fides Apoſtolorum. *Et nos credimus: quia tu es Chriſtus Filius Dei*. Secundò, obſervant iſti ſecundæ diffinitioni Petri dicentis, *& nos credimus*, ſpecialiter Chriſtum aſtitiſſe, ne erraret: dicendo; uos creditis, *ſed non omnes*; quia unus Judas, diabolus erat, & non credens ſaltem practicè, iuxta illud, *unus ex vobis diabolus eſt*. Vnde colligitur jam in eo facto ſignificari, quòd ſolus Petrus, eiuſque Succeſſor deberet definire veritates fidei, vel ſolus cum ſpe-

ciali aſſiſtentia Dei, *& ego credo &c.* vel cum Eccleſia unita Petro. *Reſpondebit Petrus: & nos credimus.*

65. Opponit ſecundò. Claves promittuntur Petro, non ut eſt filius Ionæ, ſed ut eſt cæleſtis Patris auditor; & conſequenter ſoli Cæleſtis Patris auditori, & non carni, & ſanguini promittuntur: ſed nobis non conſtat de aliquo determinato homine, quòd ſit Patris cæleſtis auditor verus: de Eccleſia autem certiſſimi ſumus ab ore Dei Patris aſſiduè pendere; ergo claves non promittuntur alicui certo homini, ſed ſoli Eccleſiæ. Card. Bellar. lib. 1. de Pontifice Romano, cap. 12. p. 553. ver. *Reſpondeo*, redarguit Lutherum, quod illius expoſitio ſit directè oppoſita ipſi Euangelio: nam Chriſtus dicit: *Beatus es Simon Barjona*, & Paulo poſt, *& tibi dabo claves*. Lutherus dicit: non ſunt datæ Simoni Barjonæ. *Revelavit tibi Pater.* Lutherus dicit: nulli homini certo, & determinato, & conſequenter, nec Petro revelavit, quæ certè verba Lutheri, ut patet, oppoſita ſunt verbis ipſius Chriſti. Et quidem ſi Lutherus loquatur individualiter de ipſo Petro, bene redarguitur à Bellarmino; ſed quia poteſt etiam de Succeſſore Petri Pontifice Romano loqui; alio modo reijciendus eſt; proponendo prius illius hæretici argumentum clariori methodo, ut ejus efficacia meliùs appareat; & ut congrua ſolutio adhibeatur: Argumentum igitur eſt hujuſcemodi. Chriſtus non dedit claves Petro, quia Petrus erat, & filius Ionæ, ſed quia fuit auditor Patris cæleſtis, ut videntur ſonare verba Chriſti: *Quia Pater meus revelavit tibi*; ſed non habemus certum, quòd Pater loquatur, reveletque Pontifici Romano, vel alteri homini determinatè, ipſeque ſit Patris cæleſtis auditor: Eccleſiam verò certiſſimi ſumus pendere ab ore Dei: ergo ſoli Eccleſiæ, & non Pontifici Romano traduntur claves.

66. Ut ſolvatur fallax hoc Lutheri ſophiſma, ſupponendum eſt duobus modis potuiſſe dari Petro, ejuſque Succeſſoribus Romanis Pontificibus claves. Primo modo, ut non habeant claves illius, niſi ſint auditores Cæleſtis Patris, ideſt, ut non niſi Dei legibus obediant, probique ſint miniſtri. Secundo modo, ut illa Petri confeſſio, non fuerit motivum, formaliſque ratio, ſed occaſio, & meritoria cauſa, ut potius darentur claves illi, ejuſque Succeſſoribus in perpetuum, quàm aliis, qui confeſſionem illam non habuerunt. Si illas dedit primo modo, ſequitur, quòd juriſdictio clavium dependeat à probitate miniſtri; quæ eſt hæreſis Donatiſtarum reprobata ab Eccleſia, & etiam rejecta in confeſſione Auguſtana; quam ſequebatur ipſe Lutherus. Si ſecundo modo ſolùm ſequitur Chriſtum remuneraſſe Petri meritum perpetuando claves in ſuis Succeſſoribus. Sicut propter meritum David perpetuavit Sceptrum ejus in tribu Judæ electa uſque ad tempus à lege præſcriptum; non attendendo ad aliam cauſam, ſive Succeſſores fuerint probi, ſive mali miniſtri, & hoc ſecundo modo fuerunt datæ Petro claves, ut ex D. Hilario, Hieronymo, Chryſoſtomo, Theophilato, & aliis PP. imo ex ipſa praxi Eccleſiæ conſtat: quare explicatis his terminis corruit tota Lutherani Sophiſmatis fallacia.

67. Opponit tertiò, D. Paulus ad Roman. 4. argumentatur ex eo, quòd Abrahæ fides reputata eſt ad juſtitiam; etiam omnibus, qui crediderint, reputandam eſſe fidem ad juſtitiam: unde ſimile poteſt fieri argumentum: Petro, quia credidit, datæ ſunt claves: ergò omnibus, qui crediderint, dantur claves; quod ſi hoc argumentum refellatur; etiam Pauli argumentum refelli debet; quia eſt ſimilis formæ. Huic fallaciæ Lutheri benè reſpondet Caietanus argumentum eſſe ſimilis formæ, ſed diſſimilis materiæ, ideòque non concludit; quemadmodum non concludit hoc: Abraham per fidem non ſolùm obtinuit juſtitiam, ſed etiam meruit eſſe pater multarum gentium: ergò omnis ille, qui crediderit, erit pater multarum gentium? Nequaquam, & ratio eſt: quia fides in omnibus eſt radix juſtificationis: unde, ſi Abrahæ reputata eſt fides ad juſtitiam; quia fides ſemper eſt radix juſtificationis; ergò omnibus reputanda eſt fides ad juſtitiam; quia in omnibus eſt

radix

radix juſtificationis; atque adeo, argumentum dicitur de *omni*, ideoque concludit: at verò confeſſio Petri poterat alio præmio, præterquam, clavibus remunerari; fides autem non ita eſt clavium radix, ſicut juſtificationis: unde ex eo, quòd Chriſtus ex ſua liberâ voluntate voluit premiari clavibus confeſſionem Petri; non ſequitur, quòd omnes credentes ſimili clavium præmio remunerarentur: ſicut ex eo, quòd voluit præmiare Abraham titulo Patris gentium ob illius fidem, non ſequitur, quòd ita ſimiliter velit alios credentes ſimili titulo Patris gentium remunerare.

68. Opponit quarto. Aut moriente Petro, manſerunt in Eccleſia claves, aut omninò periere, ſi primum: ergo Eccleſiæ datæ fuerant: ſi ſecundum: ergo non ampliùs poſſunt homines ſolvi, & ligari. Confirmatur. Vel, cùm eligitur Pontifex, affert ſecum claves, vel non; ſi primum: ergo erat Pontifex, antequàm fieret; quod omnino implicat: ſi ſecundum: unde ergo habet claves? num ab aliquo Angelo deferuntur ei de cælo? certè non; quia ad id dicendum, nullum datur fundamentum: ergo ſolùm reſtat, quod illas Pontifex accipiat ab Eccleſia, cui à Chriſto illæ datæ fuerant. Hæc Lutheri ſophiſmata nil roboris habent. Unde ad argumentum Reſp. Petro moriente, manſiſſe in Eccleſia claves, hoc eſt juriſdictionem cõmunicatam tamen à Petro, dum vixerat, eo modo quo remanere poterant, nimirum in Epiſcopis, quo ad ſuas particulares Eccleſias; quia juriſdictio accepta à Pontifice præſertim ordinaria, non ceſſat morte Pontificis. Ad confir. Reſp. Chriſtum in prima conſtitutione Summi Pontificatus in Petro dediſſe claves omnibus Succeſſoribus, poſita per Eccleſiam canonicâ electione; quin ipſæ claves, ſiue juriſdictio conferatur ab Eccleſia: ſicut, ſi Rex diceret, moriente prorege in aliqua Prouincia, ſe illico facere proregem, illum, quem populus elegerit; facta per populum electione, illico prorex habet juriſdictionem, non ab ipſo populo, ſed à Rege: ergò ſimiliter, &c.

69. Opponit quinto. Promiſſio clavium debet intelligi eo modo, quo ipſæ poſteà fuerunt datæ: ſed poſteà fuerunt datæ non uni, ſed pluribus: ut patet ex illo, *quæcunque alligaveritis, erunt ligata; quæcumque ſolveritis erunt ſoluta*; ergo quando dictum fuit Petro: *quodcunque ſolveris; quodcunque ligaveris. Tibi dabo claves*; licet videatur facta promiſſio vni, ſemper intelligitur facta pluribus; & conſequenter claves juriſdictionis non Petro, ſuper Eccleſiam; ſed Eccleſiæ ſuper Petrum, & ſuper alios Chriſtianos à Chriſto ſunt immediatè datæ: ergo Eccleſia, & Concilium illam repræſentans habet poteſtatem ſupra Papam. Hoc argumentum nititur falſa ſuppoſitione; & ideo totum eſt falſum; & nihil probat. Supponit igitur claves tunc fuiſſe datas, quando Chriſtus dixit: *quæcunque alligaveritis, quæcunque ſolveritis*, cum tamen hîc non fuerint datæ, ſed promiſſæ; aliter etiam Petro fuiſſent datæ per illa verba illi dicta, *quodcunque ſolveritis &c.* quod tamen adverſarij negant: undè ſi verba, *quodcunque ſolveris &c.* continent ſolam promiſſionem; cur verba, *quæcunque ſolveritis*, non continebunt ſolam promiſſionem?

70. Quare ad argumentum concedimus claves eo modo fuiſſe promiſſas, quo fuerunt poſteà datæ. Petro fuerunt promiſſæ ut uni capiti; & Supremo Paſtori, ut conſtat ex illis verbis: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves; quodcunque ſolveris, quodcunque ligaveris, &c.* & poſtea illi Petro, ut uni Supremo omnium Paſtori ſunt traditæ, ut conſtat ex illis verbis: *Paſce oves meas: Paſce agnos*: per Agnos intelliguntur fideles, qui non habent ſubditos, & filios ſpirituales: ſed ſunt meri filij, & ſubditi; per oves intelliguntur omnes Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, Patriarchæ, & omnes particulares Eccleſiæ, quæ ita ſunt oves, filiæ, & ſubditæ Petro, eiuſque Succeſſoribus Romanis Pontificibus, ut ſint etiam matres habentes filios, & ſubditos ſibi ſubiectos. Similiter dicendum eodem modo fuiſſe reliquis Apoſtolis, & Eccleſiæ in illis re-

Digitized by Google

præſentatæ claves promiſſas; atque fuerunt poſtea illis traditæ. Fuerunt quidem promiſſæ illis ut pluribus; ut conſtat ex illis verbis; *quæcunque alligaveritis &c.* & ex illis, *quorum remiſeritis, remittuntur eis &c.* fuerunt quidem illis traditæ, ut conſtat ex illis verbis. *Pax vobis; ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos* Ioan. 20. & 21. cenſebatur tamen data illis juriſdictio cum ſubordinatione ad unum ſupremum caput Petrum, quem jam Chriſtus conſtituendum cæterorum Principem promiſerat; ut huc uſque demonſtratum eſt;& per ſequentia verba: *Accipite Spiritum Sanctum &c.* dedit eis poteſtatem ordinis. Hæc eſt vera illorum textuum expoſitio; quam ſequuntur D. Auguſt. tract. 31.& 49. in Ioan. D. Hilar. D. Hieronym. & communiter Sancti PP. quos citat, & ſequitur Bellarm. lib. 1. de Pontific. Rom.cap. 12. Ex quibus manifeſtè patet non ab ovibus Paſtorem, ſed à Paſtore oues omnes eſſe regendas; proindeque non Eccleſiam ſuper Papam; ſed Papam ſuper Eccleſiam habere poteſtatem.

71. Opponit ſexto authoritatem Sanctorum PP. quos ipſe hæreticus vel non potuit intelligere, vel noluit. Primus eſt S. Cypria. lib. de unitate Eccleſiæ. Vbi ſic ait: *Hoc erant utique cæteri Apoſtoli, quod fuit & Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis; ſed exordium ab unitate proficiſcitur, & primatus Petro datur, ut Eccleſia una monſtretur.* Ut intelligatur verus Divi Cypriani ſenſus; & ut vanus Lutheri pateat intellectus, duobus modis poteſt hæc Apoſtolorum æqualitas conſiderari. Primò in omnibus. Secundò in determinato aliquo effectu, quò ad primum;ut unus ſit alteri hoc modo æqualis, in nullo debet illi eſſe ſubiectus, & inferior, unde ſi ita fieret, Petrus, & ejus Succeſſor Pontifex Romanus, non poſſet exercere ullam juriſdictionem in Eccleſiam: nam par in parem non habet imperium, & hic ſenſus pugnat omnino cum doctrina Cypriani: ſic enim dicit lib. 1. epiſt. 3. ad Cornelium. *Navigare audent ad Petri Cathedram, & Eccleſiam principalem; unde unitas Sacerdotalis exorta eſt*, & lib.4. epiſt.8. ad eundem Cornelium. *Scimus*, inquit, *hortatos nos eſſe, ut Eccleſiæ Catholicæ matricem agnoſcerent, & tenerent*, & in epiſt. ad Jubajanum, ſic loquitur: *Nos Eccleſiæ unius caput, & radicem tenemus*, & infra explicans, quæ ſit hæc radix, & caput Eccleſiæ, ſic ait: *Nam Petro primum Dominus, ſuper quem ædificavit Eccleſiam; & unde unitatis originem inſtituit, & oſtendit, poteſtatem iſtam dedit*, & infra, *Eccleſia, quæ una eſt, ſuper unum, qui claves ejus accepit, voce Domini fundata eſt, &c.*

72. Quò ad ſecundum ſenſum poteſt unus eſſe abſolutè ſuperior altero; & tamen illi in aliquo eſſe æqualis: ſic Rex eſt Superior ſuis Subditis; & tamen eſt illis æqualis in natura humana, in prudentia, in literis, imò & in hoc poteſt eſſe inferior. Apoſtoli erant omnes inter ſe pares in Apoſtolatu: quia omnes fuerunt miſſi: *Ecce ego mitto vos:* in electione; quia omnes fuerunt electi: *Ego elegi vos*, in gradu Sacerdotali: quia omnes fuerunt Sacerdotes, & Epiſcopi: *Accipite Spiritum Sanctum*, & tamen non obſtante hac inter ſe æqualitate Petrus Apoſtolus omnium fuit Princeps, Rector, Paſtor, & Caput; ut ex jam dictis manifeſtè conſtat, & in hoc ſenſu loquutus eſt S. Cyprianus; quem videtur etiam explicare S. Leo in epiſt. 84. ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem, ibi: *Inter Beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cùm omnium par eſſet electio, uni tantùm datum eſt, ut cæteris præmineret.* Vel ergo Lutherus citat S. Cyprianum pro æqualitate in primo ſenſu; & ſic Sanctum non intellexit; cùm ipſe manifeſtè contrarium doceat; ut patet ex illius clariſſimis verbis: vel in ſecundo ſenſu: & ſic nihil probat contra nos: nam nos non negamus illos omnes Apoſtolos in aliquo fuiſſe pares; omnes tamen eſſe inferiores Petro ut ſuo capite, Principe, & Supremo Paſtore; quod idem dicendum eſt de illius Succeſſore Pontifice Romano.

73. Secundus Pater, quem pro ſe allegat Lutherus, eſt D. Hilarius lib. 6. de Trinitate; qui ita loquitur de Apoſtolis, *Vos ò ſancti, & beati viri ob fidei veſtræ*

meri-

Google

meritum claves regni cælorum ſortiti, & ligandi, atque ſolvendi in cælo, & in terra adepti &c. ubi videtur facere omnes æquales in poteſtate juriſdictionis, ligandi, ſcilicèt, atque ſolvendi. Reſp. illos omnes accepiſſe claves, ſed diverſo modo. Petrus quidem accepit claves ut habens in tota Eccleſia poteſtatem ordinariam nulli alteri Superiori ſubordinatam; Apoſtoli reliqui illam habuere in tota Eccleſia etiam, ſed delegatam, & ſolùm in ſua quiſque diæceſi ordinariam; utramque tamen Petro Apoſtolorum Principi ſubordinatam; quod indicavit, veluti ſe explicans idem Hilar. dum in cap. 16. Matth. ſic loquitur ſingulariter de Petro. *O beatus cæli Janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur.*

74. Tertius S. Hieronymus lib. 1. in Jovinianum, ibi. *Super Petrum fundatur Eccleſia, licèt idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti accipiant, &c.* Sed Lutherus noluit legere integra verba Sancti Doctoris; qui in eodem loco dicit ſic habuiſſe claves Apoſtolos, ut ſubiecti eſſent Petro capiti. Quartus eſt S. Leo ſerm. 3. de Anniverſario aſſumptionis ſuæ, ubi explicans illa verba *Tibi dabo claves*, ſic ait: *Tranſivit in alios Apoſtolos vis poteſtatis iſtius, & ad omnes Eccleſiæ Principis decreti hujus conſtitutio commeavit.* Reſp. ita tranſiſſe eam clavium poteſtatem in alios, ſed Petro principaliter datam, ut idem S. Leo ibidem declarat, ibi: *Si quid cum eo commune cæteris Chriſtus voluit eſſe principibus, nunquam niſi per ipſum Petrum dedit, quidquid aliis non negavit*, & in epiſt. 89. ad Epiſcopos Viennenſis Provinciæ: *Petro*, inquit, *præ cæteris ſolvendi, & ligandi tradita eſt poteſtas.* Eodem modo intelligi debent verba S. Auguſt. tract. 50. in Joann. item tract. vlt. in Joannem, & in Pſal. 108. & lib. 1. de doctr. Chriſtian. c. 18. & lib. de agone Chriſtiano, cap. 30. in quibus locis docet Sanctus Doctor non ſolum Petrum, ſed ipſam Eccleſiam habere claves ligandi, atque ſolvendi; item in traditione clavium Petro facta intelligi factam toti Eccleſiæ. Reſp. enim ita eſſe; ſed ſemper cum ſubordinatione ad caput ſuum Petrum; ut jam ſupra variis in locis explicatum eſt.

75. Opponit ſeptimo. Ideò verum eſſet Papam habere Supremam juriſdictionem ſuper univerſam Eccleſiam, & ſuper Concilium Univerſale illam repræſentans; quia ab omnibus fidelibus totius mundi ad Papam poſſet appellari: ſed hoc verum non eſt: ergo non habet talem juriſdictionem. Probatur minor ex Sancto Cypriano lib. 1. epiſt. 3. ibi: *Nam cum ſtatutum ſit ab omnibus nobis, & æquum ſit pariter, ac juſtum, ut uniuſcuiuſque cauſa illi audiatur, ubi eſt crimen admiſſum &c. oportet utique eos, quibus præſumus, non circumcurſare, &c.* & infra. *Niſi ſi paucis deſperatis, ac perditis, minor videtur eſſe authoritas Epiſcoporum in Africa conſtitutorum.* Ubi tria dicit, & ponit S. Cyprianus, Primum ſtatutum de non appellando Romam, ſed debere finiri cauſam in loco criminis commiſſi. Secundum iſtud ſtatutum eſſe juſtum, & æquum. Tertium non eſſe minorem authoritatem Epiſcoporum ad judicandum in Africa; quàm Romanorum Pontificum ad judicandum Romæ.

76. In hoc argumento vel Lutherus vult tollere omninò ab Eccleſia omnem appellationem ab uno judicio ad aliud judicium, etiam quando appellatio eſt juſta, ac rationabilis, ad emendandum prioris fortè ſententiæ errorem, vel tollere vult ſolùm appellationem frivolā, & imprudentem; ſi vult primum; ſtolidus eſt: quia ſi in omni Republica etiam laica bene ordinata datur jus appellandi à minori judice ad majorem; cur negabitur jus appellandi in Eccleſia, Republica Eccleſiaſtica, quam in figura Sponſæ Spiritus Sanctus vocat Rempublicam bene ordinatam. *Terribilis, ut caſtrorum acies ordinata?* Si vult ſecundum, nihil probat Lutherus contra nos, nam Summus Pontifex idem ſtatuit, ut ad ipſum non fiant appellationes frivolæ, & imprudentes; ſed juſtæ, & rationabiliter, & in hoc ſecundo ſenſu loquitur S. Cyprianus, vt conſtat ex epiſt. 4. lib. 1. Ubi non tam culpat Stephanum, qui acceptavit appellationem Baſilidis; quàm ipſum Baſilidem, qui

falſum proponendo per fraudem abſolutionē extorſit, ibi. *Nec enim tam culpandus eſt ille* (Stephanus Papa) *cui negligenter obreptum eſt*; *quàm hic* (Baſilides) *qui fraudulenter obrepſit*; qui excuſat deceptionem, non negat poteſtatem, certè culpandus erat juſtiſſimè, qui cauſam judicaret incompetenter. Sicut judex laicus carens juriſdictione ſpirituali culpandus maximè foret, ſi cauſam auderet ſpiritualem incompetenter judicare.

77. Nec favet Luthero ſtatutum illud, quod decernit, *ut illic cauſa audiatur*; *ubi eſt crimen admiſſum*, nam Reſp. hoc decreto conſtitui, ut cauſa primùm judicetur, ubi eſt crimen admiſſum; non tamen ibi prohiberi, quo minus etiam ſecundo alibi judicetur: quando id juſta cauſa exegerit: quòd ſi in judicio inferiori ſententia fuit manifeſtè juſta; crimina notoriè detecta, & evidentiſſimè probata, & pœna juris impoſita, & judex non minoris authoritatis, quàm ſufficeret ad eam cauſam judicandam; tunc appellatio illa non foret juris remedium, ſed juriſdictionis præjudicium: hoc voluit dicere Cyprianus per illa verba: *Niſi ſi paucis deſperatis, ac perditis, minor ſit authoritas Epiſcoporum in Africa conſtitutorum*. Non eſt minor, quàm ſufficit ad judicandam cauſam: non negat tamen eſſe minorem authoritate Papæ; aliter ſibi ipſe contradiceret; dum ſupra docuit Papam Supremum eſſe judicem, & univerſali Eccleſiæ Paſtorem. Ex quo etiam diſſolvitur illud Damaſi in epiſt. ad Theophilum, & Aniſum, quæ eſt 79. inter Epiſt. S. Ambroſii; ſi fortè eſt Damaſi; ubi dicitur Papæ non competere Concilii Capvenſis judicium revocare. Reſp. enim illud eſſe intelligendum de competentia convenientiæ, non poteſtatis: quia licèt Papa revocare poſſit ſententiam Concilii, non ſolùm particularis, ſed etiam univerſalis, ut conſtat ex ſupradictis; non tamen convenit maximè, quando ſententia non continet errorem intolerabilem; ut non continebat ſententia illa Concilii Capuenſis.

SECTIO II.

Calvini Sophiſmata diluuntur.

78. Opponit primò Caluinus lib. 4. inſtit. cap. 7. §. 9. verba illa Concilii Milevitani, cui Sanctus adfuit Auguſtinus, ibi. *quod ſi ab eis* (ideſt Epiſcopis vicinis) *provocandum putaverit, non provocent, niſi ad Africana Concilia, vel ad Primates Provinciarum ſuarum: ad tranſmarina autem, qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communionem ſuſcipiatur*. Nec ſolvit argumentum Gratianus in cap. Placuit. 2. q. 6. dum addit ad hunc canonem exceptionem hanc, *Niſi fortè ad Apoſtolicam Sedem appelletur*. Nam Concilium ſolùm de Sede Apoſtolica loquebatur; non enim ab Africanis ad tranſmarina poterat appellari, niſi ad Sedem Romanam; & non ad alias in Europa inferiores: ergo præcipuè Africanum Concilium de Sede loquebatur Apoſtolica. Igitur in eo Concilio duo deciduntur. Primum vt non fiat appellatio ad Concilia Africana. Secundum ut non fiat appellatio ad Sedem Romanam; ergo ex mente Concilii, juriſdictio Romani Pontificis ad Africanas non extenditur Eccleſias, & conſequenter neque ad alias aliarum Provinciarum extra confinium Romanum. Nec dici poteſt hoc Concilium non fuiſſe legitimum; ſiquidem fuit approbatum ab Innocentio I. in epiſtola ad ipſum Concilium, quæ eſt 39. inter Epiſtolas Beati Auguſtini.

79. Circa hunc textum Concilii appellationem ad Sedem Apoſtolicam prohibentis duo poſſunt modi conſiderari. Primus, quò ad id, quod convenit fieri. Secundus, quò ad id, quod fieri poſſit: quo ad primum, non eſt dubium poſſe aliquando dari tales circunſtantias, in quibus non conveniat appellare etiam ad legitimum Superiorem, & hoc ipſum vult ipſe prudens Superior. v. g. Si in aliqua remotiſſima Provincia quilibet Sacerdos etiam inferior appellet à ſuo Epiſcopo rectè judicantè; aditus multis incommodis aperietur. Primò, unuſ-

unuſquiſque hac fiducia facilis appellationis ad Papam longiſſimè diſtantem multas committet iniuſtitias; & remedium illis non adhibebitur; & dabitur in illa diuturna mora; qua periculum ultima Papæ determinatio expectatur. Secundò, facilè à ſubditis perditiſſimis, & ſceleratis contemnetur, & illudetur Epiſcoporum authoritas. Tertiò, ſine fræno curret audacia ſcelerum: in his circunſtantiis, quis non videat, non convenire eas appellationes; ex quibus tot pullulent damna. Quò ad ſecundum, licèt illæ circunſtantiæ tollant conuenientiam facti; non quidem poteſtatem juris enervant: nam non obſtantibus illis circunſtantiis, adhuc Supremus Judex ſuam juris poteſtatem retinet; quis enim judicem ea poteſtate privavit? quo poſito, dico Concilium Milevitanum, id approbante, & diſponente Pontifice, reprobaſſe frequentes illas minorum Clericorum appellationes; non tamen Epiſcoporum; in quibus eæ circumſtantiæ, & pericula non viſuntur: quòd verò ita ſit verus Concilii ſenſus, probat S. Auguſtinus, qui huic interfuit Concilio; & tamen ſcribit in Epiſtola 162. licere Epiſcopis Africanis appellare ad tranſmarina; hoc eſt ad Sedem Apoſtolicam; quæ illis tranſmare eſt: & hoc ipſum patet ex verbis Concilii; ſic enim incipit: *Placet, ut Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores in cauſis, quas habuerint, &c.* & in hoc conformatur etiam cum Concilio Sardicenſi, quod Epiſcopos voluit appellare ad Summum Pontificem, ut patet ex Canone 4. & minorum Sacerdotum cauſas terminari apud Metropolitanos; ut patet ex Canone 17. quos duos Canones renovavit, & executioni mandari voluit in Africa Papa Zozymus, ut conſtat ex Concilio Carthaginenſi VI. & ex Epiſtola Concilii ejuſdem ad Bonifacium Papam: ex quo patet impudentia, ſeu inſcitia Calvini, qui loco notato dicit Zozymum procuraſſe, ut iſte Canon Concilii Melivitani in Cōcilio Carthaginenſi corrigeretur; cum ex dictis contrarium manifeſtè pateat.

80. Quare vel Calvinus credit ex illo Concilio Milevitano non poſſe Epiſcopos appellare ad Papam; & errat manifeſtè, cùm ex eodem Concilio conſtet oppoſitum; vel non licere Sacerdotes minores Epiſcopis ad Papam provocare nō defectu poteſtatis in Papa; ſed defectu convenientiæ in materia, & circumſtantijs prædictis; & nihil probat contra Papæ ſupremam juriſdictionem. Nec obſtat, quòd Appiarius Sacerdos minor recurrit ad Romanum Pontificem: reſpondeo enim Concilium prohibuiſſe ex approbatione Summi Pontificis, ut dictum eſt, minoribus Præsbyteris, ne appellarent ab Epiſcopis Africanis ad Papam; non tamen prohibuiſſe, nec prohibere potuiſſe Papæ Supremo ſuo paſtori, ne reciperet, audiretque ovem illam ſuam, quam Deus illi cum grege univerſo commiſit, dicens: *Paſce oves meas: Paſce agnos meos.* Accedit, quòd Apiarius fuit iterum remiſſus per Papam ad ſuos Epiſcopos in Concilio; in quo tandem ejus cauſa ultimo fuit determinata; ut benè oſtendit Bellarm. lib. 2. de Sum. Pontif. cap. 23. quia licèt potuiſſet Papa cauſam ultimo terminare de jure; non voluit eam ultimo ternare de facto; pro facti convenientia, accomodando ſe diſpoſitioni Concilii; cujus ipſe Canones approbaverat; & ut executioni mandarentur, ſtatuerat.

81. Opponit ſecundò idem Calvinus lib. 4. Inſtit. §. 10. epiſtolam illam 162. Divi Auguſtini, ubi legitur Cæciliani cauſam primò fuiſſe judicatam a Pontifice Romano ſimul cum aliis judicibus iuſſu Imperatoris. Deinde ex juſſu ejuſdem Imperatoris fuiſſe judicatam ſecundò, ab Epiſcopo Arelatenſi. Tandem tertiò, & ultimò judicatam fuiſſe ab ipſo Imperatore. Unde arguit, ſi Pontifex de jure divinò eſt Summus Judex, quo modo non ex ſe, ſed ex Imperatore jubente judicat? Deinde, ſi ab eo appellari non poteſt; quomodo ab illo appellatum eſt in cauſa Cæciliani, & judicatum poſt Pontificis ſententiam ab Epiſcopo Arelatenſi, & tandem ab Imperatore? Præterea, cur Pontifex ſibi ſocios ab Imperatore adjungi paſſus eſt in primo judicio? Hæ ſunt futilitates; quibus hæreticus ille vult tollere ſupremam Eccleſiaſticam juriſdictionem à Succeſſore D. Petri, & illam transferre in ho-

Digitized by Google

in hominemlaicum.Quare ad primũ dico Papam non judicaſſe cauſam illam niſi poſt jniunctionem, ſeu potiùs ſupplicationem Imperatoris; quia Donatiſtæ primò illam detulerunt ad Imperatorem: unde pejus fecerunt Donatiſtæ, qui cauſam prius detulerunt ad judicem laicum incompetentem, quàm ipſe laicus Imperator; qui illam tunc non decidit, ſed ad legitimum Judicem Summum Pontificem remiſit.

82. Ad SecundumPontificẽ permiſiſſe illos adjunctos, ut ſe juſtificaret apud Donatiſtas, quibus erat ſuſpectus: imò ipſi adiuncti nullam habebant juriſdictionem, niſi acceptam à Papa; qui illam ſolus poterat dare; & non Imperator; qui illam non habebat. Ad tertium dico poſt Pontificem judicaſſe illum Epiſcopum Arelatenſem, & poſtea Imperatorem; non quia oportebat; ſed, ut, teſte ibi Auguſtino, Donatiſtarum os obſtrueretur; & ſic fuit ſententia de facto, non de jure; in quo longe ordinatiùs, inquit Auguſtinus, egit Conſtantinus, dum ſimilem ad ſe à quibuſdam malis Eccleſiaſticis delatam cauſam judicare noluit, ſed ad Pontificem ut ad legitimum remiſit judicem. Imò Imperator invitus cognovit cauſam illam Cæciliani veniam petiturus ab Epiſcopis, ſeu à Summo Pontifice; ut ibidem aſſerit Auguſtinus.

83. Ecce quomodo hæretici pervicaci ſemper animo à recto veritatis tramite ſponte volunt penitus aberrare: D. Auguſtinus Divinæ Theologiæ clariſſimum lumen, fidei adamas, ſapientię ſol damnat Imperatorem, qui vel invitus Eccleſiaſticam ſuſcipit cauſam, veniam petiturus à legitimo Superiore Eccleſiaſtico; quòd falcem in ſegetem miſerit alienam; & ex hoc facto contra jus Calvinus in laico Principe jus probare contendit; ut regnet injuria, jus omne evertere non erubeſcit!

84. Opponit tertiò. Si Papa haberet de jure divino eſſe Supremum totius Eccleſiæ judicem; non tantùm procuraret probare iſtud jus Supremi judicis ex Concilio Niceno: verùm ex ſola Sacra Scriptura: ſed Pontifices Romani ſe ita probant Supremos judices ex Concilio Nicæno, & ex aliis: ergo ſi quod jus habent; id certè acceperunt à Conciliis generalibus; quæ illud jus poſſunt ab illis tollere; vel reſtringere; proindeque vniverſale Concilium eſt ſupra Papam, & non Papa ſupra Concilium. Quòd verò Pontifices recurrerint ad Concilia pro jure primatus, probatur ex Papa Zozymo, qui petiit ab Epiſcopis Africanis, ut tres Canones Concilii Nicæni executioni mandarent. Primum de appellationibus Epiſcoporum ad Romanum Pontificem. Secundum de appellationibus Presbyterorum,& minorum Clericorum ad Epiſcopos vicinos, ſeu Metropolitanos. Tertium de non appellando ad aulam Imperatorum. Deinde ipſi Epiſcopi Africani coacto Concilio nationali ducentorum, & ſeptemdecem Epiſcoporum non repertis illis tribus Canonibus in Concilio Niceno apud illos extanti, ſcripſere ad Patriarchas Conſtantinopolitanum, & Alexandrinum; qui ſolùm potuerunt remittere 20. Canones Concilii Nicæni; in quibus non erant tres illi Canones prædicti; ideoque ſcripſerunt ad Papam; quandoquidem non apparebant illi Canones Nicæni, ut non admitteret appellantes ex Africa: quæ literæ tandem fuerunt delatæ ad Bonifacium, mortuo jam Zozymo, & non regnante jam Cæleſtino; nec ulla Bonifacii reſponſio legitur.

86. Ex quibus hæretici obſervant tria. Primum Papam non allegare pro ſe jus aliquod divinum; ſed ſolum jus Eccleſiaſticum. Secundum, Epiſcopos illos Africanos eſſe Sanctiſſimos, & Sapientiſſimos; & ſi ſcirent Papam de jure divino habere ſupremam iuriſdictionem ſuper omnes totius Eccleſiæ Epiſcopos, non procurarent invenire prædictos illos Concilii Nicæni Canones; ſed ſtatim acquieſcerent mandatis Papę, aliter divini iuris violatores eſſent;quod non eſt præſumendum de Sanctiſſimis illis Patribus. Tertium, Papam falſaſſe Concilium Nicænum; dum in illo fingit Canones; qui non reperiuntur in aliis exemplaribus Authenticis apud alias Eccleſias.

87. Hoc argumentum, inquiunt hæretici, fortiſſimum eſt; & quod difficilè

ficilè à nobis diſſolvi poſſit. Sed quàm fragile ſit, & nullius momenti, ex mox dicendis manifeſtū fiet. Ad quod ſupponendum eſt primò multa eſſe de jure divino abſolutè, quæ tamen in aliquibus circunſtantiis videantur ceſſare: judicare verò quales ſint illæ circunſtantiæ, relinquitur prudentium, ſuperiorumque arbitrio: v.g. de jure divino naturali eſt, quod gladius domini ſuo reſtituatur; ſi tamen ſint aliquæ circunſtantiæ; in quibus non conveniat gladium reſtitui, ſi, videlicèt, dominus ſit furioſus; vel timeatur, ne aliquem tunc occidat; ceſſat tunc obligatio juris naturalis. De jure divino poſitivo eſt communicare per modum viatici: ſi tamen non poſſit ſumi, niſi conſecrando hoſtiam ſine veſtibus ſacris, modoque indecenti; ceſſat tunc obligatio illa juris divini poſitiui: ſimiliter ergo de jure divino eſt; quòd Pontifex ſit Supremus totius Eccleſiæ Paſtor, & Judex; ut conſtat ex verbis Dei. *Paſce oves meas*; ac proinde, quòd omnes ad ſuum communem paſtorem, judicemque per appellationis remedium recurrere poſſint: ſi verò detur caſus, & circumſtantiæ; in quibus appellationes non conveniant, v. g. quia ſi frequentes ſint ſaltem in minoribus clericis à Romano Pontifice valde diſtantibus cauſæ, cum graviſſimo Chriſtianæ Reipublicæ damno tardiſſimè terminabuntur; ideo in his caſibus Eccleſia cum eodem Summo Pontifice judicavit, ut ſimiles appellationes frequenter non fiant; niſi in minoribus clericis ad ſuos metropolitanos; & in Epiſcopis ad Concilia Provincialia, ſi tunc fieri comodè poſſint, & à Conciliis ipſis ad Papam, ad quem etiam generaliter omnes poſſunt appellare, quando ceſſent prædicta illa incommoda; ideoque jus divinum non ceſſat.

88. Supponendum ſecundò, quando Concilium aliquod diſponit, ut obſerventur aliqua, quæ ſunt de jure divino, non idcircò manent de jure Eccleſiaſtico: unde, quando Concilium Nicænum, & alia præcipiunt, ut omnes obediant Summo Pontifici tanquam Supremo fidelium capiti, non conferunt eidem jus, ſed declarant collatum illi fuiſſe à Deo: ſicut, quando definiunt aliquid de fide, non revelant de novo, ſed jam eſſe à Deo revelatum declarant. His ergo ſuppoſitis, facile eſt reſpondere argumento, dicendo, jure quidem divino ad Summū Pontificem appellari ſemper potuiſſe; tamen an expediret ea poteſtate uti ſemper, & omnibus in locis, non ſine cauſa controverſum fuiſſe à Patribus: nam utrinque rationes afferri poſſunt: ſi enim paſſim omnibus concedatur appellatio; facilè eveniet, ut multi ſubterfugiant legitima judicia, ita ut non immeritò conquerantur Epiſcopi, cauſæque alioquin faciles, & perſpicuæ in longum protrahantur tempus: & hoc S.Cypr. epiſt. 3. & 4. item D.Bernardus lib. 3. de Conſideratione valdè reprehendunt, multaque ibi incommoda ex nimia appellationum frequentia enumerant. Contra verò ſi nulli concedatur appellatio, dabitur anſa ſingulis Epiſcopis, ut facilè, temerèque judicent,& tirannicè populos opprimant; ſibique perſuadeant nullum ſupra ſe habere Superiorem; nemini rationem eſſe reddendam; quod nihil aliud eſt quàm unitatem Eccleſiæ deſtruere; & in tot partes reſcindere, quot ſunt Epiſcopatus. Itaque, cùm res dubia eſſet, Concilium Sardicenſe, ipſo conſentiente Papa declaravit, expedire, ut ordinariè Præsbyteris, Clericiſque minoribus appellatio concedatur ab Epiſcopis ad Concilium Provinciale: Epiſcopis autem ad Sedem Apoſtolicam: ſic enim incommodis hinc illinc evenientibus optimè occurrebatur. Unde, quando Romani Pontifices in Carthaginenſi Concilio non jus divinum, ſed Concilium Nicænum allegarunt ad jus appellationum ſtabiliendum, cauſa fuit; quia demonſtrare volebant, non ſolùm ad ſe ab omnibus appellari poſſe ex jure divino; de quo PP. Africani non dubitabant; ſed etiam id Eccleſiæ expedire de quo ipſi PP. poterant dubitare: imò ex hoc ipſo argumento convincitur PP. illos Africanos Supremam in Papa poteſtatem agnoſcere; dum illi cum ſubjectione ſcribunt, & rogant, ut non facilè appellationes admittat, in quo non poteſtatem juris; ſed facti convenientiam negant. Licèt autem illud Conc.

non fuerit Generale: at PP. appellabant ad Papam tanquam Supremum Paſtorem.

89. Præterea perfidi hæretici iniquè damnant crimine falſarii Papam, dum allegat Concilium Nicænum: nam conſtat de veritate infallibili illorum Canonum in Concilio Sardicenſi, per quod non minus loquitur Spiritus Sanctus, quàm per Nicænum: unde ſicut non contrariatur veritati hiſtoriæ Euangelicæ, quando Matthæus cap. 27. referens Prophetiam de venditione Chriſti citavit Ieremiam pro Zacharia: quia per quemlibet prophetam vero loquitur Spiritus Sanctus, ita etiam non contrariatur veritati illorum Canonum, quando Pontifex illos Canones refert, citans Nicænum pro Sardicenſis: quia per quodlibet Concilium Univerſale legitimum vera loquitur Spiritus Sanctus. Deinde multæ dantur rationes, cur Papa citaverit Nicænum. Prima eſt: quia Sardicenſe Concilium eo quòd in eodem tomo cum Nicæno colligatum erat, Nicænum vulgariter dicebatur; & quia Sardicenſe Canones illos expreſsè poſuerat, qui jam in Nicæno implicitè poſiti erant; dum Nicænum deciderat, præceperatque, ut antiquæ Eccleſiæ conſuetudines ſervarentur; & ſemper fuit conſuetudo ab exordio naſcentis Eccleſiæ, ut ab omnibus fidelibus ſecundùm temporis, & loci commoditatem ad Summum Pontificem appellaretur; ex quo etiam manifeſtatur inſcitia, vel impudentia Hæreticorum, affirmantiū jus appellandi ad Papam à Concilio Nicæno ortum eſſe; cùm ante illud Concilium jam in Eccleſia tale jus fuiſſet.

90. Secunda ratio eſt; quia canones Nycæni Concilii qui ſunt apud Rufinum lib. 10. Hiſt. cap. 6. & qui miſſi ſunt ex Orientalibus ad Africanos, non ſunt omnes, qui in Nicæno conditi fuerant. Primò, quia unus ex præcipuis canonibus Nicæni erat, ut Paſcha celebraretur in Dominica; ut conſtat ex epiſt. Conſtantini apud Euſebium, lib. 3. de vita Conſtantini, ex Epiphanio, hæreſi. 69. & ex Athanaſio in Epiſtola de Synodis Arimini, & Seleuci, & tamen hic canon in illis 20. miſſis ab orientalibus nō reperitur. Secundò, D. Ambroſ. epiſt. 82. aſſerit in Concilio Nicæno ſtatutum eſſe, ne bigamus in Clericum ordinetur. Tertiò, Hieronym. in præfation. in Judith affirmat in Concilio Nicæno librum Judith inter Canonicos receptum. Quartò, D. Auguſt. epiſt. 110. de deſignando Succeſſore aſſerit in Concilio Nicæno prohibitum, ne in eadem Eccleſia duo ſimul ſedeant Epiſcopi. Quintò, in Concilio Africano can. 34. aſſerunt PP. ex canone Nicæni non licere jejunis celebrare. Sextò, in Concilio Chalcedonenſi Atthicus refert in Concilio Nicæno determinatam fuiſſe rationem formatarum Epiſtolarum, de quibus loquitur Optatus, lib. 2. contra Parmenianum, ubi ait ſic: *Cum illo* (ideſt cum Siricio Papa) *nobis totus Orbis commercio formatarum in communionem ſocietatis communicat*. Septimò, Lutherus, & idem Calvinus, centuriatores, & cæteri hæretici paſſim obiiciunt ex Socrate lib. 1. hiſt. cap. 8. canonem Nicæni Concilii, in quo dicunt permiſſas Sacerdotibus vxores: & tamen omnes prædicti canones Nicæni non inveniuntur inter illos 20. Canones à Rufino adductos, & ex Orientalibus lib. miſſos: ergo ſi Zozymus Papa eſt corruptor, & falſator canonum Concilii Nicæni: quia citavit nomine Concilii Nicæni unum canonem, qui non invenitur in illis 20. canonibus Rufini, eâdem ratione corruptores, & falſatores dicendi ſunt Conſtantinus, Athanaſius, Epiphanius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Atticus, Socrates, Africani PP. & ipſi Centuriatores; atque etiam Lutherus, & Calvinus: omnes enim iſti citant canones Concilii Nicæni, qui in illis 20. non reperiuntur.

91. Quare ſi omnes prædicti canones creduntur eſſe Concilii Nicæni, licèt inter illos 20. canones Nicæni à Rufino ſcriptos, & ex Orientalibus miſſos nō inveniantur; cur illi tres canones, quos citat Zozymus, ut canones Nicæni, non credentur eſſe verè ex Concilio Nicæno; licèt inter illos Rufini ex Orientalibus miſſos non reperiantur? maximè, quia Joannes Theologus vir ſapientiſſimus ex illuſtriſſima, ſemperque venerabili Dominicanorum familia in Concilio

cilio Florentino ſeſſ. 20. aſſeruit ſe multis Sanctorum veterum teſtimoniis poſſe oſtendere Concilii VI. Carthaginenſis Patres tandem agnouiſſe, corruptos, & falſos canones Nicæni Concilii ad ſe Alexandriâ, & Conſtantinopoli miſſos fuiſſe: quid ergo mirum, ſi multi canones apud illas Diœceſes defuerint.

92. Tertia ratio,cur Romanus Pontifex citavit canones Concilii Sardicenſis, tanquam fuerint Concilii Nicæni, ideoque falſator Concilii Nicæni dici non debeat, ea eſt: quia Concilium Nicænum, & Sardicenſe pro uno, eodemque habetur. Primò quia in Concilio Nicæno à Dyoniſio ante mille annos converſo ex Græco, quod invenitur in Monaſterio S. Vedaſti Atrebati, habentur ſimul, tanquam ejuſdem Concilii Nicæni, canones Concilii Sardicenſis. Secundò, quia Concilium Sardicenſe, quod quidem conſtat fuiſſe generale, non legitur inter alia Concilia generalia diſtinctum: quod non eſt credibile, niſi reducatur ad unum ex illis: datur autem major ratio, ut potius reducatur ad Nicænum; tum quia iidem Patres, qui aſtiterant Nicæno, aſtiterunt Sardicenſi; tum quia Sardicenſe non eſt aliud, quã quædam explicatio Nicæni: unde ſicut Symbolum Conſtantinopolitanum, quia eſt explicatio Symboli Nicæni, Symbolum dicitur Nicænum; ita Concilium Sardicenſe; quia eſt quædam explicatio Nicæni dicitur Concilium Nicænum.

93. Ex dictis 6. Corollaria deducuntur. Primum jus, ut omnes fideles appellare poſſint ad Papam, tanquam Supremum omnium fidelium in ſpiritualibus Judicem, eſſe de jure divino. Secundum poſſe dari circunſtantias, in quibus ipſe Pontifex judicet cum Concilio, vel ſine illo expedire terminari aliquas cauſas, circa aliquas perſonas apud judices inferiores pro meliori Chriſtianæ Reipublicæ moderamine; ſicut hoc etiam accidit in Principibus ſæcularibus in ſuo temporali ſtatu Supremis; hanc verò determinationem eſſe de jure Eccleſiaſtico juri tamen divino valdè conformem. Tertium, Pontificem Romanum, ut ſe conſervet in ſua Supremi Judicis Poteſtate non allegare Concilia, ut conferentia, ſed ut declarantia eam poteſtatem non ab hominibus, ſed à ſolo Deo eſſe Romano Pontifici collatam. Quartum, Pontificem Romanum Concilium Nicænum; dum illud citat pro canonibus Sardicenſis non falſauiſſe; vel, quia in exemplaribus correctis Nicæni ſint illi canones; vel quia Sardicenſe, in quo illi canones leguntur, pro Nicæno reputatur. Quintum, ſemper PP. Africanos Pontificem tanquam Supremum omnium Paſtorem agnouiſſe; quod ex ipſorum teſtimoniis latè probat Card. Bellar. de Sum. Pontif. lib. 2. cap. 25. & nos ſupra oſtendimus: & ſi aliquando, deberetne ſemper exerceri illam Supremam juriſditionem quo ad omnes appellationes in omnibus circunſtantijs, & in omnibus locis ſaltem remotiſſimis dubitaſſent. Sextum, explicatis terminis, hæreticorum ſtultitiam, vel impudentiam evidenter apparere, dum debili illi ſophiſmate, ſupremam à Chriſto Pontificibus Romanis datam auferre poteſtatem moliebantur.

94. Inſtat Calvinus ex Illirico. Ex Epiſtola Bonifacii II. ad Eulalium, & ex reſponſione Eulalii ad eundem colligitur Epiſcopos Africanos ſeparatos fuiſſe à Sede Romana 100. annos poſt Concilium Carthaginenſe VI. & tunc demum reconciliatos ſubiiciente ſe Eulalio Apoſtolicæ Sedi, ſuoſque Anteceſſores anathematizante. Card. Bellar. citatus non leuibus fundamentis probat has litteras eſſe comentitias; dato tamen, quòd veræ ſint; ſolùm probant aliquos Epiſcopos fuiſſe contumaces, non omnes, imo ſolùm conſtat de Aurelio, & Eulalio; & hic ultimus tandem veritatem agnoſcens veram de Romani Pontificis ſuper omnes Eccleſias principatu doctrinam confeſſus eſt. Videat ergo Calvinus, an potiùs debeat adhærere uni Aurelio anathematizato, an aliis Patribus Africanis, Auguſtino, Fulgentio, & aliis pluribus, qui apud citatum Cardinalem videri poſſunt, & ſemper Eccleſiæ Romanæ conjunctiſſimi fuerunt, & Eulalio, qui ejurata falſa doctrina ad gremium rediit Eccleſiæ? Sed perfidis perfidia placet, fides Catholicis arridet.

Digitized by Google

SECTIO III.

Alia Calvini argumenta ſolvuntur.

95. Opponit adhuc primum Calvinus lib. 4. inſtit. cap. 7. §. 21. Diuum Gregorium, qui lib. 4. cap. 28. ad Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum ita ait. *Petrus primum membrum Sanctæ, & Univerſalis Eccleſiæ eſt, Paulus, Andreas, Jacobus, quid aliud, quam ſingularium plebium ſunt capita? omnes tamen ſub uno capite membra Eccleſiæ ſunt.* In quibus verbis argumentabatur contra Joannem Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui ſe totius Eccleſiæ caput faciebat: & arguebat ſic Gregorius. Nec tu es major Petro, nec Andrea, aut Jacobo: & omnes iſti Apoſtoli ſolum ſunt capita ſingularium Eccleſiarũ; omnes autem ſunt unum corpus Eccleſiæ, tanquam membra ejus ſub uno capite Chriſto: ergo tu ſolùm potes dici caput tuæ ſingularis plebis, non autem Eccleſiæ totius, ergo vel argumentum Gregorii non eſt bonum; vel Petrus non eſt caput Eccleſiæ, ſed ſolùm caput ſuæ ſingularis Eccleſiæ, ſicut cæteri Epiſcopi ſolùm ſunt peculiaris ſuæ quiſque plebis caput. Ut Calvini ſophiſma diſſolvas; & ſenſum Gregorij bene calleas, advertendum eſt Petrum, ſive ejus Succeſſorem Romanum Pontificem poſſe conſiderari. Primò, ut Epiſcopum. Secundò, ut Archiepiſcopum. Tertiò, ut Patriarcham. Quartò, vt Papam. Romanus Pontifex ut Epiſcopus eſt caput ſui Epiſcopatus, ſeu Diæceſis Romanæ; ut Archiepiſcopus, eſt caput ſuæ Metropolis, ſeu ſuorum ſuffraganeorum; ut Patriarcha eſt caput omnium Occidentalium: ut Papa eſt caput omnium Eccleſiarum totius mundi Chriſtiani. His explicatis, manifeſtè patet Gregorium in illis verbis locutum fuiſſe de Petro, ſeu de ejus Succeſſore Romano Pontifice, ſumpto quarto illo modo; aliter ſecum ipſe pugnaret lib. 11. epiſtola 42. ubi docet, ne ullus præſumat turbare præeminentiam, & reverentiam Sedis Apoſtolicæ, *Apoſtolicæ Sedis reverentia nullius præſumptione turbetur*, & epiſt. 54. ibi. *Sedes Apoſtolica omnium Eccleſiarum caput eſt*, & idem docet in multis alijs locis.

96. Advertendum eſt ſecundò duobus modis poſſe Eccleſiam ſumi, ut jam ſupra notavimus; Primo ut conflatam ex omnibus fidelibus tanquam mẽbris, & Chriſto tanquam capite illius ſui corporis Eccleſiaſtici. Secundo modo ut conflatam ex omnibus Chriſtianis tanquam membris, & ex Petro, ſeu ejus Succeſſore Romano Pontifice, tanquam capite viſibili. Si ſumatur Eccleſia primo modo; Petrus, & ejus Succeſſor Romanus Pontifex, non eſt caput Eccleſiæ, veluti primarium, ut eſt Chriſtus, ſed membrum ejus; quia non eſt caput Chriſti, nec ſui. Si ſumatur ſecundo modo, Petrus, & ejus Succeſſor Pontifex Romanus eſt caput omnium fidelium, tanquam univerſalis illorum Paſtor à Chriſto conſtitutus in illis verbis: *Paſce oves meas*: unde quando Gregorius dicit Petrum eſſe membrum Eccleſiæ ſub uno capite Chriſto, conſideravit Eccleſiam primo modo; quando autem idem Gregorims dicit Petrum, ſeu illius Succeſſorem Romanum Pontificem eſſe caput omium Eccleſiarum, conſideravit Eccleſiam ſecundo modo; at quia Calvinus vel non potuit, vel noluit hos terminos diſtinguere: ideo & erravit in ſenſu Gregorij; & aberravit à ſenſu Eccleſiæ.

97. Opponit ſecundo. Una Sponſa ſolùm poteſt habere unum Sponſum, & non duos; aliter cum uno ex duobus erit adultera: ſed de fide eſt Chriſtum eſſe Sponſum ſuæ unicæ Sponſæ Eccleſiæ: ergo Petrus non poteſt eſſe Sponſus Eccleſiæ: cùm autem in familia ſolus Sponſus ſit caput, & major, ſive dignior quàm Sponſa, juxta illud 1. coloſſ. 11. *caput autem mulieris vir*: ideo Petrus non poteſt eſſe major, ſeu dignior, vel caput ipſius Sponſæ Eccleſiæ. Confirmatur ex D. Bernardo, qui epiſtola 237. monet Eugenium Papam, ne ſe Sponſum Eccleſiæ exiſtimet, ſed Sponſi amicum: & abſurdum eſſe, ut Vicarius Reginæ Sponſus dicatur. Ut intelligas fallaciam hujus Sophiſmatis; adverte primò duobus modis poſſe ſumi Sponſam.

ſam. Primo modo, phyſice, & realiter ad generationem phyſicam, & realem. Secundo modo figuratiuè, & myſticè, ad generandum filios ſpirituales per ſpirituale ſemen doctrinæ juxta illud 1. ad Cor. 4. *Per Evangelium ego vos genui*, juxta primum modum ſumpta Sponſa ad generandos filios carnales; clarum eſt Sponſam ſolum poſſe habere unum Sponſum ſecundùm legem Eccleſiaſticam, & divinam. Juxta ſecundum modum; ad filios ſpirituales per ſpirituale ſemen doctrinæ generandos; ſicut quilibet Epiſcopus myſticè dicitur Sponſus particularis ſuæ plebis; ita Petrus, ejuſque Succeſſor Pontifex Romanus totius univerſalis Eccleſiæ, cujus ille eſt univerſalis doctor, & magiſter, ut fides docet; ſpiritualis dicitur Sponſus: nam ſi quilibet Epiſcopus, quia ſua in plebe particulari filios gignit Spirituales; dicitur Sponſus illius particularis Eccleſiæ; cur Pontifex Romanus, qui in tota Eccleſia univerſali filios gignit Spirituales, non dicetur univerſalis Eccleſiæ Sponſus?

98. Adverte ſecundò duobus modis poſſe ſumi Sponſum Eccleſiæ. Primo modo abſolutè, & independenter. Secundo modo limitatè, dependenter, & ſubordinatè; quo ad primum modum, Eccleſia includit omnes omnino fideles, etiam Petrum; & Sponſus Eccleſiæ ſic ſumptæ nulli alteri ſubordinatur; & hoc modo ſolus Chriſtus eſt Sponſus, & Petrus ſic, non eſt Sponſus, ſed amicus Sponſi, illiuſq; Vicarius: & ſic intelligendus eſt D. Bernardus; quo ad ſecundum modum Eccleſia includit omnes fideles ſubiectos Petro; & ita ut Petrum non includat tanquam parem, ſed tanquam Superiorem, & caput; Chriſto tamen ſubordinatum, ab illoque dependens: & hoc modo Petrus, ejuſque Succeſſor Pontifex Romanus eſt Sponſus, & ita intelligendum Conciliũ Generale Lugdunenſe relatum in cap. *Ubi periculum*, de electione in ſexto. Ubi Papa appellatur Sponſus Eccleſiæ, ibi, *omni conatu, & ſolicitudine (prout poſſibilitas patitur) id acturi tantummodo; ut eorum miniſterio acceleretur utilis, & perneceſſaria totius mundi proviſio: idoneo celeriter eidem Eccleſiæ Sponſo dato*. Ubi loqitur de Pontifice dato Eccleſiæ, ex quibus ſic explicatis, Calvini ſophiſma penitus evaneſcit.

99. Opponit tertio Calvin. lib. 4. inſt. c. 11. §. 12. multa teſtimonia Gregorii Papæ; quibus intendit probare Papam habere in terris Imperatorem, à quo ipſe judicetur: ſiquidem ipſe Gregorius lib. 2. epiſtola 61. appellat Imperatorem Sereniſſimum Dominum ſuum, ſe verò indignum ejus Servum: & ibidem obedientiam ſe ei debere ingenuè confitetur, & lib. 4. epiſt. 31. ita ait idem Gregorius: *Sacerdotibus non ex terrena poteſtate Dominus noſter citiùs indignetur, ſed excellenti conſideratione propterecum, cujus ſervi ſunt; eis ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat.* Ubi de ſe ipſo loquitur Gregorius Papa, & ſe ponit inter eos, quibus Imperatorem dominari affirmat, idem epiſt. 34. ita ait. *In omnipotenti Deo confido, quòd longam pius Dominus vitam tribuet: & nos ſub manu veſtra ſecundùm ſuam miſericordiam diſponet*.

100. Reſpondeo interrogando hunc hæreticum; an Imperator ille Chriſtianus, & pius, adepta purpura, & Imperiali ſceptro, illico deſierit ovis eſſe Chriſti? certè ſi judicio, & mente non caret; non deſiiſſet reſpondebit; igitur ſi adhuc eſt ovis Chriſti, ſubjectus eſt Supremo Paſtori, quem ipſe Dominus univerſo præfecit gregi: quomodo ergo ovis regat Paſtorem? quomodo ſubditus judicem judicabit? Præterea vel Calvinus infert poteſtatem Imperatoris ſupra Chriſti Vicarium ex aliqua juriſdictione ipſi Imperatori à Chriſto ſupra ſuum Vicarium conceſſam; vel ex eo, quòd ipſe Chriſti Vicarius ſuum vocat Dominum Imperatorem: ſi primum, oſtendat Calvinus in quo textu legat Chriſtum dediſſe laico juriſdictionem ſuper Sacerdotes, & multo minùs ſupra Principem Sacerdotum; cùm potiùs Chriſtus ipſum Pontificem ſuum omnibus, nullo excepto, fidelibus Rectorem, Paſtoremque præfecerit, dicens: *Paſce oves meas? paſce agnos meos*. Si ſecundũ, dicat etiam Calvinus poſſe Summum Pontificem à quocumque laico etiam inferiori, & ex vilis fæce plebis tanquam ſubdi-

ſubditum judicari; ſi quidem, ut ſcribit Joannes Diaconus lib. 3. de vita Gregorii cap. 58. Gregorius ipſe omnes Sacerdotes vocabat fratres, Diaconos filios, & Laicos dominos appellabat. Igitur dum Gregorius vocat Imperatorem Dominum, ſicut alios laicos, exercitium eſt modeſtiæ, non ſubjectionis indicium.

101. Additur deinde primò, quòd eo tempore Imperator Urbis obtinebat dominium; bona Eccleſiæ, & Romanum populum à Longobardis vexatum ſedulò protegebat; quid ergo mirum, ſi Pontifex alioqui ſuperior ejdem ſe tanquam ſervum obſequioſè præſtaret? Secundò, quia tunc Imperator longè diſtans Roma, Gregorii opera circa res ſuas utebatur; quid mirum, ſi ejdem de rerum ipſius Imperatoris adminiſtratione à ſe peracta redderet rationem: ſicut pater de caſtrenſibus bonis filio rationem reddit; quin inde juriſdictio filii in patrem ulla poſſit inferi. Tertiò, quia dum Imperator minus cautè Pontificem ſimplicem hominem appellaſſet, ipſe Pontifex Gregorius honeſta quadam, & juſta indignatione ſibi ab ipſo Imperatore factam gravem injuriam conqueſtus eſt, eò quòd nomen ſimplex fatuitatem quandam vulgariter ſonet: at quæ gravis eſſet injuria, ſi dominus ſervum, Rex ſubditum levi ſimplicis titulo nominaret?

102. Denique nullus unquam Imperator, qui pius eſſet, ullam auſus eſt poteſtatem in Summum Pontificem exercere; maximè verò Pontifices in Imperatores; ut jam ex dictis conſtat; & colligitur. Ex quibus patet manifeſtè, quàm temerè, ac ſine ullo prorſus fundamento proceſſerit hæreticus, dum tranſvertit ordinem; affirmando in ſubdito poteſtatem in ſuperiorem; & negando in ſuperiore poteſtatem in ſubditum.

103. Opponit quartò idem Calvinus lib. 4. inſtit. cap. 6. §. 3. & cap. 11. §. 1. Per claves Petro datas non intelligitur dari Petro Eccleſiæ principatum: ergo Petrus non habet juriſdictionem ſuper univerſam Eccleſiam; & conſequenter, neque ejus Succeſſor Pontifex Romanus; qui non poteſt plus juris habere, quàm Petrus. Antecedens probat Calvinus primò ex 2. ad Cor. 5. ubi Sanctus Paulus claves explicat per meram prædicationem Evangelii, per exhortationem ad fidem; & tunc Apoſtoli dicuntur ſolvere; quando infideles ſoluti à vinculo infidelitatis convertuntur: & ſic explicat verba Apoſtoli in cit. loco, ibi: *Poſuit in nobis verbum reconciliationis: pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos; obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo*. Probat ſecundò; quia ſi ex illis verbis, *Tibi dabo claves*, &c. colligeretur Petri primatus; non dubitarent Apoſtoli poſtea de primatu Petri; eſt autem de fide, illos etiam poſt ea Chriſti verba de primatu Petri dubitaſſe: ut conſtat ex Matth. 18. Marci 9. & 22. ubi legitur Apoſtolos petiiſſe à Chriſto; quis eorum videretur eſſe major: nec Chriſtus ibi quicquam reſpondit: ſignum ergo eſt, per prædicta verba, *Tibi dabo claves*, non promiſſum fuiſſe Petro inter cæteros principatum; aliter, neque Apoſtoli dubitarent; neque Chriſtus eos dubios relinqueret. Hoc argumento etiam utuntur Centuriatores, centuria 2. lib. 2. c. 7. col. 526.

104. Ut ſcias futilitatem horum hæreticorum. Aduerte duobus modis poſſe aliquam Rempublicam dirigi. Primò, per ſolas voces prædicantium. Secundò, per coactivam juriſdictionem judicum. Primus modus eſt valde imperfectus; ſicut eſſet imperfectus paſtor, qui ad dirigendas oves, vocem haberet, & non baculum, linguam, & non manus. Secundus modus perfectus eſt; ſicut eſſet judex; & ſuperior, qui non ſolùm haberet linguam ad clamandum, ſed poteſtatem ad puniendum. Adverte ſecundò non habiturum perfectam providentiam in adminiſtrando regno Principem illum, qui ſolùm ferret leges exhortativas, & non coactivas; ad exhortandum, & non ad puniendum; experientia enim demonſtrat ad gregem dirigendum, parùm juvare clamores abſque baculo.

105. His ergo animadverſis; vel Calvinus contendit Apoſtolis, & Epiſcopis, Petro,

Petro, & ejus Succeſſoribus Pontificibus Romanis datam fuiſſe à Chriſto poteſtatem ſolùm ad prædicandum, & exhortandum; vel ſimul ad exhortandum & obligandum per coactivam juriſdictionem. Si primum, ſequitur Chriſtum non habuiſſe tantam providentiam in gubernanda ſua Eccleſia, quantam habent Reges temporales in gubernandis ſuis Regnis, & Provinciis; quod dicere non ſolum hæreticum eſt, ſed blaſphemum. Si ſecundum nihil probat contra intentum: nam utrumque habent Epiſcopi, habueruntque Apoſtoli, & multò magis Petrus, habentque illius Succeſſores Pontifices Romani; ſi quidem non pugnat cum poteſtate regendi munus prædicandi.

106. Ex quibus facilè reſpondetur ad locum Divi Pauli ad Cor. 5, per verbum reconciliationis intelligi quidem concionem, ſed ut diſpoſitionem, per quam auditores moveantur ad agendum pœnitentiam, ſuſcipiendaque Sacramenta ſalutis, baptiſmi, & pœnitentiæ, per quæ ex lege Chriſti peccata remittuntur: & ideo poſt concionem Petrus ait: *pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque* act. 2. prædicationis auditio non ſufficeret, niſi Sacramentorum receptio ſequeretur: quæ duo diſtincta eſſe fides docet; & patet ex verbis Pauli 1. ad Cor. Ubi aſſerit ſe miſſum à Domino, non *baptizare, ſed Evangelizare*; diverſum ergo eſt remiſſionem peccatorum, quæ fit per baptiſmum, & pœnitentiam, & auditionem Evangelii, quæ fit per prædicationem. Imo frivola illa audaciſſimi hęretici expoſitio ſuper verba Chriſti; per quæ claves ſolvendi, & ligandi Petro tradidit Dominus, non ſolum eſt violenta, ſed contra omnes omnino Doctores, Sanctoſque Patres: qui omnes intelligunt per claves poteſtatem regendi, & non ſolum munus prædicandi: & præter jam ſupra allegatos ita claves illas explicant Chryſoſt. & Cyrill. in hunc locum Joan. & Hieronymus in epiſt. ad Hedibiam q.9. videatur ergo, an ſit magis fidendum uni hæretico imperito, & maligno; an tot Santiſſimis, ac Sapientiſſimis Catholicis DD. Sed hæc eſt ars hæretici hominis, nolle baculum in manu paſtoris, ne percutiatur, dum errat.

107. Ad ſecundam probationem Reſp. illam confirmare potius Catholicos, & hæreticos enervare: ſiquidem Apoſtoli promiſſionem illam factam Petro audientes de Petri primatu aliquantulùm intellexerunt; ſed, cùm eſſent verba obſcura, ut de hac re obtinerent majorem certitudinem, illam excitarunt quæſtionem: Chriſtus verò inſinuavit in reſponſione, inter illos jam unum conſtitutum eſſe majorem; dum ait, *qui major eſt, fiat ſicut miniſtrator*: prudentiſſimè uni dubio altero dubio ſatisfecit, majoritatem ſupponendo, moderationem edocuit; & idcirco ante reſurrectionem Apoſtolos de multis myſteriis permiſit dubios, ut poſt reſurrectionem faceret certos; quando Petro ſoli dixit: *Paſce oves meas*. Quòd verò ex illa ſuſpicione, quam ex prædictis Chriſti verbis conceperant Apoſtoli de primatu Petri, inter ſe contenderint, teſtantur Origenes, Chryſoſt. Hieron. in cap. 18. Matthei; dum ad huc erant dubii, procurarunt fieri certi: ſed Chriſtus multorum certitudinem myſteriorum in tempus poſt Reſurrectionem commodius reſervavit; ut patet ex Marci 9. *Deſcendentibus illis de monte, præcepit illis, ne cuiquam, quæ vidiſſent, narrarent, niſi cùm Filius hominis à morte reſurrexerit: & verbum continuerunt apud ſe, conquirentes, quid eſſet; cùm à mortuis reſurrexerit*. Ex quibus manifeſtè conſtat quantum erraverint hæretici, dum ex textu, ex quo Petro ipſi colligitur primatus; illi vellent colligere ſubiectionem; & ideo, eodem gladio, quo Petrum, ejuſque Succeſſores ferire contenderant, feriuntur.

SECTIO IV.

Alia Calvini Sophiſmata refelluntur.

108. Obiicit adhuc primo, Calvinus lib. 4. c. 6. Inſtit. §. 8. Non ſequitur: Petrus initio præfuit 12. Apoſtolis: ergo ejus Succeſſor Pontifex Romanus præeſt toti orbi Chriſtiano: nam magna eſt diſparitas, ſiquidem paucos

paucos ab uno gubernari res eſt facilis, propemodum infinitos ab uno regi res eſt difficilis. Hæc frivola quidem Calvini exiſtimatio, vel indicat illius inſcitiam, vel, quod magis credo, illius malignitatem. Inſcitiam, nam ſi credat, ex eo, quod unus Imperator, vel Rex non tam facilè poſſit gubernare innumeras Provincias, quas habet in ſua ditione, deſinat eſſe Rex; inſcius eſt, & ſtolidus: aliter nec Imperator; nec Rex Hiſpaniæ, qui ſub ſe habet tot Provincias, & Regna; quæ non tam facilè poteſt regere, ſicuti poteſt unus Regulus exiguum adminiſtrare ſtatum; nec alius potentiſſimus Imperator, forent verè Reges: quod dicere ſtolidum eſt: Indicat deinde malignitatem: nam ſi credit Petrum, dum vixit, ſolum præfuiſſe 12. Apoſtolis, non autem toti Eccleſiæ, quæ adhuc tempore Petri per multas erat extenſa Provincias, juxta illud, *In omnem terram exivit ſonnus eorum*; ſi, inquam, credit omnibus illis fidelibus Petrum non præfuiſſe, inadignus, & perfidus eſt.

109. Quod autem Chriſtus Dominus Petrum non ſolùm Apoſtolis; ſed universæ Eccleſiæ præfecerit, hoc indicant verba Chriſti: dum ſuper Petrum ædificavit Eccleſiam ſuam: Eccleſia autem Dei non ſunt ſoli Apoſtoli, ſed omnes fideles; ergo Petrus tam in ſua perſona, dum vixit, quam in ſuis Succeſſoribus poſt ſuam mortem toti præſidet Eccleſiæ. Ad ſubcinctam Calvini probationem, Reſp. licèt difficilius ſit plures, quàm pauciores gubernare; Petrum tamen, ejuſque Suceſſores Pontifices Romanos non gubernare ſemper immediatè per ſe, ſed per ſuos Commiſſarios, Vicarios, Prælatoſque immediatos, omnes tamen ſibi Subordinatos; quemadmodum etiam Reges per ſuos miniſtros, & Proreges, Regnum ſuum regere conſueſcunt: ex quo patet quàm futilè ſit hoc Calvini argumentum.

110. Obiicit ſecundo §. 11. Si ideo eſt Romæ Sedes Summi Pontificis; quia Petrus Romæ Pontificatum gerens, ibi mortuus eſt, ſequitur primo Succeſſores Pontificis Aaron debere Sedem Pontificalem habere in deſerto; quia Moiſes, & Aaron in deſerto mortui ſunt. Secundò, Sedem Pontificalem Chriſtianorum debere figi Hieroſolymis; quia Summus Pontifex Chriſtus ibi obiit: ergo &c. Reſp. Calvinum ad deſtruendum verum, ſupponere falſum, nam falſum eſt Sedem Apoſtolicam Petri, ejuſque Succeſſorum Pontificum Romanorum ideo eſſe Romæ; quia ibi Petrus fuit martirio coronatus; poterat enim duci in alium locum diverſum, & ibi pati martyrium; quin ibi remaneret Sedes Apoſtolica: ratio autem, cur Romæ eſt Sedes Apoſtolica, ea fuit, quia Petrus illam ibi fixit, Domino ſic diſponente; ſi verò Petrus voluiſſet, ut perpetuo figeretur Sedes Apoſtolica Antiochiæ, licèt inde ductus Romæ obiret; permaneret Sedes Petri Antiochiæ, & non Romæ, ex quo facilè Reſp. ad duo illa exempla, dicendò nec Aaronem Sedem Pontificalem in deſerto; nec Chriſtum Hieroſolimis fixiſſe. Ratio autem cur D. Petrus fixerit Sedem Romæ, fuit, primo, quia, ut habemus ex traditione, Petrus intellexit hanc fuiſſe Chriſti voluntatem ex Divini ſpiritus inſpiratione. Secundò, quia juxta Sanctos PP. & Concilia, ut ex ſupradictis conſtat; conveniens erat, ibi eſſe caput Univerſalis Eccleſiæ, ubi caput erat Orbis uniuerſi. Ex quibus patet Calvinum defeciſſe in doctrina, quia erravit in cauſa.

111. Obiicit tertio ibidem §. 12. Privilegium hoc de primatu Eccleſiæ vel fuit locale, vel perſonale, vel miſtum. Si primum: ergo Sedes Apoſtolica primo fixa Antiochiæ non potuit transferri Romam; nam privilegium loci, non extenditur vltra ipſum locum. Si ſecundum ergo locus ſive Antiochenus, ſive Romanus nihil facit ad perſonam eligendam; ſed vbicunque eligatur, vel commoretur Pontifex, ibi erit Sedes Pontificia. Si tertium ergo ut obtineat primatum Eccleſiæ, nec ſufficit eſſe Romanum Epiſcopum, ſi non ſit Petrus; nec ſufficit eſſe Petrum, ſi non ſit Romanus Epiſcopus; ac proinde Petrus, dum fuit Antiochiæ, non erat caput Eccleſiæ.

112. Ut diſſolvas hoc ſophiſticum dilemma, ſupponendum eſt primò

Chri-

Digitized by Google

Chriſtum Dominum initio elegiſſe Petrum caput Eccleſiæ, independenter ab hoc, vel illo loco determinato, unde privilegium primatus initio fuit perſonale, & non locale. Supponendum eſt ſecundo privilegium perſonale duplex eſſe poſſe. Primum perſonale privatum, ſeu perſonæ privatæ, & determinati individui. Secundum perſonale publicum, ſeu perſonæ publicæ. Primum conceditur ſoli illi perſonæ; & cum illa extinguitur juxta Regulam, Privilegium, de regulis juris in ſexto. Secundum datur pro ſe, & pro Succeſſoribus juxta Regulam. Is, qui, de regulis juris in ſexto leg. qui in jus ff. de Regul. juris.

113. Supponendum eſt tertiò. Petrum Sedem Apoſtolicam per ſeptem annorum ſpatium Antiochiæ non ex jure, vel præcepto aliquo divino, ſed ex jure Eccleſiaſtico, & ex propriæ ſuæ voluntatis diſpoſitione ſtatuiſſe; quod ex Eccleſiaſtica deprehenditur hiſtoria; poſtea verò eandem Apoſtolicam Sedem Romam tranſtuliſſe, vel ex præcepto Chriſti, *ut aliqui veriùs tenent*; vel ex propria diſpoſitione, non ſine Numinis inſpiratione, ut alii autumant. Qualis verò ſit verior ſententia? credo primam: quia cùm elapſis jam plùs mille, & ſexcentis annis, non obſtantibus tot Eccleſiæ perſecutionibus, tot bellorum tumultibus, tot Romanæ urbis excidiis, & variationibus ſemper Apoſtolica Sedes ibi fixa permanſit, nec illam aliò tranſtulit Sedem, ſicut Petrus Antiochenam tranſtulit Romam; itaut Antiochena jam non remanſerit Sedes Apoſtolica; clariſſimum eſt ſignum; id fuiſſe factum ordinatione divina, non diſpoſitione terrena: licèt autem Pontifices pluribus annis Auinione fuerint commorati; at ejus Apoſtolica Sedes ſemper Romæ fixa fuit, unde clariſſimum ſit argumentum ex jure divino fuiſſe Romæ Sedem Apoſtolicam fixam. Notandum tamen me non dicere, vel le Sedis Romanæ Epiſcopum eſſe Supremum Paſtorem Eccleſiæ verſari in opinione: nam hoc eſt de fide; quæ non admittit opinionem in contrarium: ſed ſolùm dicimus, quòd verſetur in opinione, an tranſlatio Sedis Romam fuerit facta ex jure divino Chriſti, an ex jure humano Petri, à quocunque autem jure fuerit facta, jam eſt de fide Romanā Sedem eſſe Apoſtolicam; quia ut bene ait Greg. de Valentia, Eccleſia ſolum Pontificem Romanum proponit ut Succeſſorem Petri.

114. His ergo ſuppoſitis, facile eſt pigturato, pigmentatoque Calvini Sophiſmati reſpondere: dicendo primò in initio privilegium primatùs in Petro fuiſſe ſolùm perſonale: quia Chriſtus abſolutè dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: ſpecificavit perſonam, & non locum: unde ſi Petrus nullam elegiſſet ſpecialem Eccleſiam, ſolùm diceretur Paſtor, & Epiſcopus totius univerſalis Eccleſiæ; non autem Diæceſis unius præ altera; & tunc mortuo Petro, Eccleſia vel per concilium congregatum, per electores canonicè deſignatos eligeret Petri Succeſſorem, ut Papam quidem univerſalem totius Eccleſiæ, non tamen ut ſpecialem ſpecialis Eccleſiæ Epiſcopum; quia tunc illi non eſſet ſpecialis affixa Eccleſia. Secundò dico Petrum primò ſtatuiſſe Sedem Apoſtolicam Antiochiæ non ſtabiliter, ſed ad tempus, illam alibi pro meliori Eccleſiæ regimine tranſlaturus. Tertiò tandem, illam Sedem ſtabiliter fixit Romæ vel ex præſcripto Dei, uel ex propria voluntate juxta uarias ſententias, ut dictum eſt: & hoc modo, ſeu in hac ſuppoſitione, licèt abſolutè non ideo eſſet Succeſſor Petri, quia eſſet Epiſcopus Romanus; poſſet enim dari Succeſſor Petri abſolutè, ſi uti ſupponitur, non fixiſſet Sedem Romæ; tamen de facto Epiſcopatus Romanus eſt annexus Papæ, ſeu Succeſſori legitimo Petri: quemadmodum multi ſunt Reges, qui ſunt ſimul domini alicuius Ducatus, vel Comitatus: & qui ſemel ſuccedit Regno, ſuccedit ſimul illi Ducatui, vel Comitatui Regno annexis, videatur P. Amicus de fide diſput. 6. ſect. 4. ubi cum multis noſtram ſententiam amplectitur: ibique eam doctrinam ex profeſſo tradit.

115. Ex quo patet privilegium Primatûs de facto partim eſſe locale; quia vel ex diſpoſitione divina, vel ex huma-

na Sedes Apoſtolica Romæ eſt fixa; partim perſonale non privatæ perſonæ; quia aliter finiretur in Petro; ſed perſonale perſonæ publicæ, pro ſe, & ſucceſſoribus: quia ſolùm hoc modo verificabatur perpetua conſtitutio primatûs à Chriſto facta in Petro continuanda in ſuis Succeſſoribus. Unde ſi Calvinus hos terminos ſciret diſtinguere, à recta quidem non deflecteret via, veritatemque Catholicæ doctrinæ, niſi adhuc ejus obſtaret malignitas, ampleteretur.

116. Obiicit quartò ibid. ȝ. 13. ſi Romanus Pontifex, quia ſuccedit Petro, eſt primus Epiſcopus; debet ergo Epheſinus eſſe ſecundus, Hieroſolymitanus tertius; & ſic de cæteris: at videmus ſecundum eſſe Alexandrinum, qui nulli Apoſtolo ſucceſſit; Epheſinum autem nec in vltimo loco nominari: ergo Romanus Pontifex non habet primatum Eccleſiæ, ſed perpetuò illi ſubiicitur ſine ulla præeminentia inter cæteros Epiſcopos. Hoc argumentum Calvini nullius eſt momenti. Ut igitur ſophiſmatis hujus percipiatur futilitas: adverte primò duplicem dari ſuccedendi modum. Primum in locum. Secundum in Juriſdictionem. Primus eſt, quando unus aſſumitur in eandem Eccleſiam ſui anteceſſoris. Secundus quando is, qui ſuccedit, obtinet eandem juriſdictionem, quam ille, cui poſterior ſuccedit, antea habuerat. Aliquoties vtraque ſucceſſio in uno ſimul reperitur; aliquando verò non ita. Primum viſitur in Epiſcopis Succeſſoribus, qui ſuccedunt ſuis Anteceſſoribus tam in ipſas Eccleſias, quàm in eandem juriſdictionem, ut in Epiſcopatu Braccharenſi, Olyſiponenſi, Eborenſi in Luſitania; & ſic de alijs regnis, & regionibus. Secundum viſitur in Apoſtolis; ex quibus aliqui non habuerunt proprias determinatas Eccleſias; & deinde multi ſunt poſt Apoſtolos Epiſcopatus conſtituti à Summo Pontifice; in quibus Apoſtoli, ut per ſe patet, non habuerunt fixas Sedes: unde quando dicitur Epiſcopos ſuccedere Apoſtolis; ſolùm intelligitur, ut illis ſuccedant in munere prædicandi, ordinandi, Sacramenta adminiſtrandi, non verò in primum, tertium, & quartum locum, & ſic de cæteris; aliter, ſicut Apoſtoli fuerunt 12. duodecim deberent eſſe in Eccleſia primates; quod tamen eſt contra Eccleſiæ determinationem, de quatuor Patriarchalibus Sedibus poſt Summum Pontificem, ut ſuo loco vidimus.

117. Adverte ſecundò, Summum Pontificem Romanum ita utroque modo ſuccedere Petro in Epiſcopatum Romanum, & in Papatum; ut ſi Petrus ante ſuam mortem alium Epiſcopum Romanum Romæ præfeciſſet; ſicut præpoſuerat Antiochenum Antiochiæ, tunc Papa totius Eccleſiæ ſuccederet Petro in Papatum; non ita in Diæceſim Romanam ut ſuam ſpecialem; ſicut nunc Romanus Pontifex ſuccedit Petro in Papatum, non in Diæceſim Antiochenam, ut ſibi ſpecialem. His ergo animadverſis, vel Calvinus colligit ordinem, & numerum Patriarchalium Sedium ex dignitate priorum Epiſcoporum; vel ex authoritate Conciliorum, & Apoſtolicæ Sedis illum Patriarcharum ordinem, & numerum diſponentis pro meliori Eccleſiæ emolumento. Si primum, vehementer errat; aliter duodecim forent Sedes in Eccleſia Patriarchales; quod neque ipſe hæreticus vult. Si ſecundum; dicit verum, ſed nihil probat contra Supremam Romani Pontificis poteſtatem: nam hæc non illi collata fuit ab Eccleſia, ſed à Chriſto; ut ſupra maniſeſtiſſimè probatum eſt: & ideo ineptiſſimè arguit ab ordine, & præferentia Sedium Patriarchalium dependente ab ipſa Sede Apoſtolica ad ipſam Sedem Apoſtolicam, cuius primatus, & Suprema præeminentia non ab hominibus, ſed ab ipſo Deo fuit cæleſti numine conſtituta, ut ſupra ex Sacris literis juxta vnanimem Patrum, Conciliorum, & Sacrorum declarationem canonum eluceſcit.

118. Obiicit quinto Calvin. lib. 4. inſtit. c. 7. ȝ. 28. Si, quia dicitur Petro: *Tibi dabo claves*; cenſetur hoc dici Pontificibus Romanis: ergo quia dictum fuit Petro: *Vade poſt me Satana*: dicetur de Summis Pontificibus, quòd omnes ſunt Satanas. Statueram huic deliramento ſolùm reſpondere contemptu, & riſu,

nam

nam vel in hoc ridiculo argumento demens eſt Calvinus; vel intellectum habet, ſed non vult intelligere. Si deliret, cum delirante diſputare dementia eſt; ſi non vult intelligere; non eſt prudentia iis reſpondere, qui nolunt veritatem intelligere: nihilominus, quia ſemper doctrinæ veritas delectat; quamvis res probatione non eget, ut apertè videas hujus hæretici fatuitatem, adverte ea, quæ ſunt dicta Petro in triplici eſſe differentia. Prima, quando dicta ſunt illi pro ſe tantùm. Secunda pro ſe & reliquis fidelibus. Tertia pro ſe, & ſuis Succeſſoribus. Quantum ad primam differentiam, in qua reſpicitur ſpeciale individuum Petri ratione alicujus actionis individualis ſuæ, ſolùm verificantur de Petro; & non de alijs: neque enim, quia dictum eſt Petro; ter me negabis, & ipſe ter poſtea negavit; ſequitur, quòd omnes Pontifices ter negent Chriſtum: & ſic non ſequitur, quòd ſucceſſores Petri vadant poſt Chriſtum ut Satanas; ſicut Petro dictum eſt: *Vade poſt me Satana*. Quò ad ſecundam quando Petro dictum eſt. *Si peccaverit in te frater tuus, &c.* Matth. 18. quia non illi hoc dutum fuit pro ſe tantùm, ſed pro omnibus fidelibus, ideo de omnibus fidelibus intelligendum eſt illud de correctione fraterna præceptum. Quò ad tertiam quando dictum eſt Petro. *Tibi dabo claves, &c.* id neceſſario intelligebatur pro Petro, & ſuis Succeſſoribus: nam agebatur de principatu Eccleſiæ vſque ad finem mundi duraturæ, quæ non ita duraret, ſi principatus in ſola Petri perſona duraſſet, & in ejus Succeſſoribus non continuaretur. Unde in ſupra poſitis Petro dictis attendendum eſt formale dicendi motivum; & per extenſionem motiui, diſpoſitionis extenſio agnoſcitur. His ergo explicatis terminis, Calviniana fatuitas evaneſcit.

SECTIO V.

Ineptiſſima aliorum hæreticorum Sophiſmata repelluntur.

119. OPponunt primò hæretici: Chriſtus ipſe fuit ſubiectus poteſtati laicali; nimirum Pilato, & Cęſari: ergo multò magis Chriſti Vicarius Romanus Pontifex ſubiicitur Imperatoribus, & Regibus, uel ſaltem Eccleſiæ, & Concilio illam repræſentanti. Antecedens conſtat primò ex Joan. 19. ibi. *Non haberes poteſtatem adverſus me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Ubi Chriſtus Dominus ſupponit poteſtatem à Deo datam Pilato ſupra ipſum Chriſtum: ergo multò magis data eſt à Deo poteſtas Imperatori ſupra Papam Chriſti Vicarium. Secundò ex Auguſtino in hunc locum; ubi apertè docet poteſtatem Pilati in Chriſtum fuiſſe à Deo juxta illud Apoſtoli ad Rom. 13. ibi, *non eſt poteſtas, niſi à Deo.* Tertiò ex D. Bernar. epiſt. ad Epiſcop. Senonenſem, ibi. *Dicite, ſi audetis, ſui præſulis Deum ordinationem neſcire, cum Romani præſidis poteſtatem Chriſtus ſuper ſe quoque fateatur fuiſſe cælitus ordinatam.*

120. Ut ſolvas hoc argumentum, adverte duplicem poteſtatem poſſe conſiderari. Prima eſt poſitiva, & de jure; & fit judicio competenti; ut quam habet Rex in vaſſallos; ſuperior in ſubditos. Secunda permiſſiua, & de facto; & fit judicio incompetenti; ut quam habet ſæpe vaſſallus in proprium Regem; ſubditus in ſuum Superiorem; quos Vaſſalli, & Subditi per iniquitatem, & rebellionem incompetenter judicare audent: utraque poteſtas eſt à Deo: & ſic rectè dicit Paulus. *Non eſt poteſtas niſi à Deo*; hac tamen differentia, quòd prima ſit à Deo poſitivè, & volente. Secunda à Deo, non volente poſitiuè, ſed negatiuè, non impediente; & illam permiſſionem ordinante ad aliquem finem bonum: & de hac permiſſiva poteſtate loquitur textus Joan. 19. & explicant D. Auguſt. & Bernard. citati, & clariùs Cirillus, & Chryſoſtomus in hunc locum. His ergo animadverſis.

121. Vel hæretici loquuntur de poteſtate primo modo ſumpta: & hic ſenſus eſt hæreticus: nam de fide eſt Chriſtum eſſe verum Deum; cui omnes homines ſubiiciuntur; & ipſe nulli homini propriè ſubiectus eſt: poteſtas verò primo modo ſumpta ſignificat propriam juriſdictionem, & Superioritatem Superioris,

rioris, & reſpicit propriam ſubjectionem proprii ſubditi: vnde in Domino per Pilatum judicato fuit propter nos exercitium tolerantiæ, non verò propriæ ſubjectionis, de facto, non de jure; id quod Dominus indicavit. Matth. 17. dum rogatus de tributo ſolvendo, docuit primùm ſe non teneri; deinde juſſit dari pro ſe, & Petro, propter ſcandalum tollendum. Similiter ſuo modo Chriſti Vicarius nulli Regi, aut Imperatori ſubiicitur: unde ſi Pilatus; quia Vicarius erat Cæſaris ſuperioris Herode, non erat ſubiectus Herodi, ut fatentur hæretici; multò magis Petrus, & quilibet ejus Succeſſor, Vicarius Chriſti Superioris omnium Regum, & Imperatorum; non erit ſubiectus ulli Regi, ſive Imperatori.

122. Vel tandem loquuntur de poteſtate ſecundo modo ſumpta: & hoc modo nihil probant contra Petri, & cujuslibet ejus Succeſſoris Romani Pontificis præeminentiam: nam rebellio, & iniqua uſurpatio juriſdictionis contra Superiorem non aufert jus Superioris in ſubditum; ſicut latro non acquirit jus ex latrocinio, de hac poteſtate permiſſiva locutus eſt Dominus, Lucæ 22. *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*. Ex quibus patet, quàm frivolum ſit hoc hæreticorum argumentum contra Supremam Pontificis ſupra omnes Chriſti fideles poteſtatem.

123. Opponunt ſecundò: D. Paulus erat etiam Epiſcopus, & tamen appellavit ad Cæſarem tanquam ad judicem competentem, ut conſtat act. 25. ibi. *Ad tribunal Cæſaris ſto; ibi me oportet judicari. Cæſarem appello*, ergo Principem ſæcularem, & laicum habere propriam juriſdictionem in Epiſcopos, quando illius ipſi ſunt vaſſalli, eſt veritas de fide. Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice, cap. 29. verſu, *Secundo dici poteſt*, reſpondet eo tempore, quando Imperatores non erant baptizati, ideoque Eccleſiæ non ſubditi, juriſdictionem habuiſſe in civilibus in Epiſcopos tunc ſubditos ſuos; ac proinde potuiſſe Paulum legitimè ad tribunal Cæſaris appellare: nunc verò id fieri non poſſe; quia ſunt Chriſtiani ſubditi Eccleſiæ, & oves Chriſtiani gregis ſubjecti Summo Paſtori Pontifici Romano. Hæc reſponſio mihi non multùm placet. Primò, quia licèt Pontifex non habeat juriſdictionem in Principem Ethnicum, & qui nondum eſt filius Eccleſiæ, ut docet Fides 1. ad Cor. 6. ibi. *Quid ad me, de his, qui foris ſunt, judicare?* tamen hoc non dat ullam juriſdictionem Principi laico in Principem Eccleſiaſticum, & multò minùs in Principem Eccleſiaſticum Supremum, qualis eſt Pontifex Romanus Chriſti Vicarius; ſicut juxta ſuperiùs dicta Pilatus non ſubiiciebatur poteſtati Herodis Regis Judeæ; eo quòd eſſet Pilatus Vicarius Cæſaris Herode majoris; & multò minùs ſubiici debet Pontifex Romanus poteſtati Cæſaris, vel alterius Regis; eo quòd Vicarius ſit Chriſti Cæſare, & quolibet alio Rege majoris; cùm Chriſtus ſit *Rex Regum, & Dominus dominantium*. Secundò, quia Bellarminus ſolùm concedit Epiſcopum, qualis erat Paulus, & eſt Romanus Pontifex, Imperatori Ethnico ſubiici in civilibus; cauſa verò Pauli erat in criminalibus: agebatur enim de crimine, quod Judæi putabant contra Synagogam; & de cauſa fidei, quæ erat tota ſpiritualis: in quam Princeps laicus non habet juriſdictionem propriam, & de jure.

124. Quare, ut intelligas veritatem doctrinæ, obſerva primò duplici modo poſſe conſiderari Principem etiam Ethnicum in ordine ad Eccleſiaſticas perſonas, & Eccleſiaſtica bona. Primo modo, ut Judicem. Secundo modo, ut defenſorem. Quò ad primum Princeps ſecularis judex eſſe non poteſt, quia jam ultra terminos ſuæ juriſdictionis excurret: de hoc tamen agemus in materia de foro competenti, quo ad ſecundum Princeps non procedit juriſdictione publica, ſed defenſione privata; ſicut quilibet alius potentiſſimus ciuis, qui judex non eſt.

125. Obſerva ſecundò dupliciter poſſe tractari in judicium in aliquo tribunali. Primò, ut ſit judicium de facto. Secundò, ut ſit judicium de jure. Quò ad primum conſideratur materialitas facti, præſcindendo, an fiat jure, nec

ne:

ne: & ſic omnes proceſſus, qui fiunt à judice incompetēti, dicuntur de facto, & non judiciales, & legales. Quò ad ſecundum conſideratur formalitas cauſæ, ex forma juris conſtitutâ, quod non poteſt fieri ſine poteſtate à jure conceſſa. His ergo obſervatis.

126 Reſpondeo Paulum recurriſſe ad Cæſarem, de facto, & non de jure; ad illum ut defenſorem, & non judicem; & ipſum Cæſarem non potuiſſe judicare de cauſa ſpirituali definiendo in materiis Religionis, ſed de vexatione facta ab iniquis Judæis ſubditis Cæſari contra Paulū innocentē; ex quibus ſic diſtinctè explicatis; patet non inferri aliquā juriſdictionem in Principe laico, ſive ſit ethnicus, ſive fidelis in perſonam Eccleſiaſticam, & multò minùs in Supremum Eccleſiaſticum, qualis eſt Papa. Dices. De fide eſt Paulum recurriſſe ad tribunal Cæſaris: tribunal autem importat juriſdictionem: ergo Paulus recognovit in Cęſare juriſdictionem in Epiſcopos, & in perſonas Eccleſiaſticas. Reſp. Paulū recurriſſe ad tribunal, ut ad aſylum defenſiuum; non ut ad forum judiciale.

127. Opponunt tertiò auctoritatem D. Pauli ad Rom. 1. ibi: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, & D. Petri 1. cap. 2. Ibi: *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi &c.* Ubi generale illud Statutum comprehendit etiam Papam, qui etiam eſt anima vivens. Reſpondetur cum D. Bernardo hunc locum explicante epiſt. 183. ad Conradum Imperatorem; ut, ſcilicèt, res intelligatur reſpectiuè, ut ſuo quiſque ſuperiori competenti pareat: ideoque ex iſto textu monet Imperatorem, ut ipſe Summo Pontifici obediat; ſicut ipſe vult; ut omnes ſui ſubditi ex univerſo Imperio reverenter ipſi obediant: & nota differentiam inter virum ſanctiſſimum, ac ſapientiſſimum Bernardum, & inter hæreticos exiguæ literaturæ, & nullius virtutis homines; quòd ille ex eodem textu colligat ſuperioritatem Pontificis ſupra Imperatorem: & illi Superioritatem Imperatoris ſupra Pontificem; at ille velut apis mellíflua ex eodem flore mel doctrinæ ſanæ; iſti velut araneæ venenoſæ venenum falſæ ſugunt doctrinæ. Lege verba Melliflui. *Legi; omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, quam ſententiam cupio vos* (loquitur ad Imperatorem) *cuſtodire in exhibenda reverentia Petri Vicario; ſicut ipſam* (reverentiam) *vobis vultis ab univerſo ſervari Imperio.*

128. Opponunt quartò, in teſtamento veteri Rex Salomon Summum Pontificem Abiatar depoſuit; & in ejus locum ſubſtituit Sadoc, ut conſtat ex 3. Regum c. 2. ergo etiam idem poteſt fieri in Pontifice Romano. Reſp. ex hoc textu convinci ipſos hæreticos: nam Salomon licèt etiam Propheta Dei non eſt auſus id facere; niſi interveniſſet ſpeciale Dei mandatum; quod conſtat ex eodem textu, ibi. *Ut impleretur Sermo Domini*: at ubi eſt præceptum Dei; quòd unus Rex laicus, & minimè Propheta, doponat Supremum totius Chriſtiani Orbis Antiſtitem Romanum; quem Deus toti Chriſtiano gregi Paſtorem præfecit; dicens: *Paſce oves meas?*

129. Opponunt quintò: Multi Imperatores Chriſtiani ſæpe Pontifices judicarunt, & depoſuerunt: eos numerat Bellarm. lib. 2. de Sum. Pontif. cap. 29. Sed bene ibi reſpondet; id eos feciſſe ex facti violentia; non juris diſpoſitione; ex quo nihil infertur contra Catholicam doctrinam. Notat autem Bellarminus cit. ab Othone I. bono zelo, ſed non ſecundum ſcientiam depoſitum fuiſſe Joannem XII. propter multa illius nota, & publica ſcelera: nihilominus adhuc in hoc facto Imperator alioquin pius notatur ab Autoribus, quòd, licèt bono zelo, in alienam ſegetem falcem miſerit. Alii verò non ſimpliciter depoſuerunt, ſed poſtularunt, ut Papatui renuntiarent in bonum Eccleſiæ; de quo videri poteſt cit. Bellarminus.

130. Opponunt ſextò multos Sacrorum Canonum textus cap. Si quis 2. q. 7. 42. ubi Gregorius ſe aliorum judicio ſubmittit, ibi. *Si quis nos ſuper his redarguere voluerit, veniat ad Sedem Apoſtolicam, ut ibi ante confeſſionem Beati Petri mecum juſtè decertet; quatenus ibi unus ex nobis ſententiam ſuſcipiat ſuam &c.* Item cap. *Adrianus* 63. diſt. Ubi Adrianus Papa I. Carolo Magno conceſſit pri-

Digitized by Google

ſit privilegium eligendi Romanorum Pontificem, & cap. In Synodo, eadem diſt. ubi idem conceſſit Leo Papa VIII.& &cap. Nos ſi incompetenter 2. q. 7. ubi Leo IV. petit judices à Ludovico Imperatore; ergo ex ipſis juris Canonici legibus probatur authoritas Imperatorum ſupra Papam, & multò magis univerſa Eccleſia, & univerſale Concilium illam repræſentans authoritatem obtinet ſuper illum. Reſp. hæc nihil probare, ut mox patebit ex dicendis: unde ad primum Canonem reſpondet Bellarmin. cit. Gregorium provocare ad judicium Dei, non hominum. Hæc tamen ſolutio videtur diſcordare à verbis prædicti Canonis; ubi expreſsè expectatur ſententia hominum, ibi: *unus ex nobis ſententiam ſuam ſuſcipiat*, nota dici *ſententiam ſuam*, & non Dei, quare meliùs reſpondetur Gregorium Papam, dum provocat ſuos æmulos ſubditos ad Petri confeſſionem, ideſt, Vaticanum; non in eis ſupponit juriſdictionem; ſed permittit redargutionem ſibi faciendam à ſubditis, ut convenienti reſponſione ſua de ſua innocentia ſuos faciat ſubditos certiores: quemadmodùm, inquit ibi textus, de Chriſto quando Judæis dixit. *Si malè locutus ſum, teſtimonium perbibe de malo*: dum petit teſtimonium redarguentis, non ſupponit in eo imperium judicis, & continuat textus. *Ita de iſtis* (Pontificibus) *intelligendum eſt; quod ſuo exemplo prælatis dederunt facultatem recipiendi ſubditos in accuſationem ſui, ſed non coegerunt*. Eodem modo S. Damaſus accuſatus à ſuis ſubditis de adulterio, ſe purgavit cum 72. Epiſcopis in Concilium coactis; & ibi ipſe Papa Damaſus, & non ipſum Concilium contra falſos calumniatores ſententiam protulit talionis; ut ait D.Hieronymus de Viris illuſtribus relatus in cap. Nos ſi incompetenter 2. q. 7. in fine.

131. Ad cap. *Adrianus*, & ad cap. *In Synodo*, Reſp. fuiſſe ibi conceſſum Imperatoribus privilegia confirmandi electionem Summi Pontificis per defenſionis aſſiſtentiam, non per juriſdictionis poteſtatem: indigebat enim tunc Sedes Apoſtolica præſidio, & auxilio Imperatorum, ut à Longobardis, Græciſque undique illam vexantibus protegeretur: poſteà verò ea cauſa ceſſante, fuerunt ea privilegia revocata. Ad caput, *Nos*, Reſp. Leonem IV. ſubjeciſſe ſe Imperatoris judicio diſcretivo, non coactivo, & legali, ut patet ex verbis Canonis, ibi. *Nos ſi incompetenter aliquid egimus, & in ſubditis juſtæ legis tramitem non conſervavimus, veſtro, ac Miſſorum cuncta volumus emendare judicio*. Non dixit Pontifex: *veſtro judicio cogimur*; *ſed veſtro volumus*: fuit igitur ſubjectio voluntaria, non coactiva.

132. Opponunt ſeptimò, licitum eſt unicuique Pontificem occidere, ſi ab illo injuſtè invadatur: multò igitur magis licebit Regibus, vel Concilio deponere Pontificem; ſi is Rempublicam perturbet; vel animas malo ſuo exemplo nitatur occidere. Hoc etiam argumento uſi ſunt PP. Baſileenſes, dū in Conciliabulo Baſileenſi Papā Eugeniū IV. deponere moliebantur. Sed hoc in illos retorquetur argumentum: quia dato, quòd aliquis injuſtè impetitus à Pontifice, illum poſſit juſtè occidere; non propterea juriſdictionem ullam obtinet ſupra Papam: ergo licèt Reges, & Eccleſia, ſeu Concilium videns à Papa animas ſpiritualiter occidi, illum poſſent moraliter occidere, ideſt, illi notoriè injuſta præcipienti non obedire, perinde, ac ſi Papa non eſſet; non propterea juriſdictionem obtinere ſupra ipſum. Confundunt itaque jus naturale defendendi ſe cum jure poſitivo judicandi alium. Primum datur à natura. Secundum acquiritur titulo: conſtat autem Summum Pontificem ex titulo Supremi Paſtoris dato illi à Deo eſſe ſuper omnes Chriſti oves, juxta illud, *tibi dabo claves*; *Paſce oves meas*: & non conſtat de aliquo titulo dato à Deo ovibus ſuper ſuum Paſtorem.

133. Reſp. igitur directè argumento, conceſſo antecedente, (ſervato tamen ordine præferentiæ boni communis ad particulare; de quo egimus in materia Charitatis) negando conſequentiam: quia ad reſiſtendum invaſori, & ſe defendendum, non requiritur ulla authoritas, & juriſdictio in eo, qui invaditur, ſuper eum, qui invadit: unde

Digitized by Google

de ſicut licet reſiſtere invadenti corpus; ita licet Eccleſiæ, & Concilio reſiſtere Papæ invadenti animas; non illi obediendo, quando præcipit injuſta manifeſtè; non tamen licet alicui ſubdito, quale etiam eſt Concilium, ipſum Papam judicare, punire, aut deponere. Videatur Caietanus tract. de authoritate Papæ cap.27. Turrecremata lib.2.cap. 106. Bellarmin. de Pontif. Rom. cap. 29. pag.698.

134. Opponunt octavò: Pontifex in foro conſcientiæ ſubjectus eſt Confeſſori ſuo ut Dei miniſtro; cur ergo non poterit eſſe ſubiectus in foro exteriori alicui Principi, qui etiam eſt Dei miniſter? Reſp. primò, ſi argumentum eſſet bonum; etiam probaret Regem in ſuo Regno Supremum, qui ſubiectus eſt in foro conſcientiæ ſuo Confeſſori ut Dei miniſtro habere debere in ſuo Regno aliquem Principem, cui in foro exteriori ſubiectus eſſet, ut Dei miniſtro: quod tamen ipſi hæretici non concedunt: nam, inquiunt, circa temporalia Rex eſt Supremus: bene: ſed etiam Pontifex eſt Supremus circa ſpiritualia; ergo implicat habere ſupra ſe alium Principem Eccleſiaſticum; de hoc enim etiam daretur eadem ratio, & ſic in infinitum: ſi igitur ſiſtendum eſt in aliquo, hic eſt Summus Pontifex; Romanum verò Epiſcopum Summum eſſe Pontificem, de fide eſt jam definitum, ut patet ex ſect. 1.

135. Reſp. ſecundò directè ad argumentum, concello antecedente negando conſequentiam; ut ſcias diſparitatem, adverte primò, Chriſtum Dominum in Lege nova diſpoſuiſſe, ut peccata ſaltem mortalia, poſt baptiſmum commiſſa, cujuſcunque hominis etiam Papæ non aliter directè remittantur, quàm per Sacramentum confeſſionis; quod dicitur forum poli, & tribunal Dei; cui omnes, nullo excepto, ſubiiciuntur: unde in hoc tribunali Confeſſionis, Sacerdos quidem remittit peccata, juxta illud, *quorum remiſeritis peccata remittũtur eis*; ſed ut cauſa miniſterialis; Deus verò ſolus ut cauſa principalis, juxta illud, *quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus*? Adverte ſecundò, in aliis cauſis Deum conſtituere judices ipſos homines pro illorum externa gubernatione; iuxta illud, *per me Reges regnant*, & inter homines in terris Deus idem conſtituit Supremum Judicem, qui alios ultimò judicet, & à nemine in terris judicetur, & eſt Summus in terris Pontifex Romanus Petri Succeſſor; cui Deus commiſit claves: juxta illud, *tibi dabo claves*: & Supremum Baculum Paſtoralẽ, juxta illud, *paſce oves meas, paſce agnos meos*. Adverte tertiò differentiam inter utrũque tribunal. Primum eſt tribunal Dei, qui omnia noſcit; & ideo cognoſcit de occultiſſimis etiam. Secundum eſt tribunal hominum, qui ſolùm cognoſcunt ea, quæ patent; & ideo judicant ſolùm de externis, & legitimè probatis. Deinde primum eſt juriſdictionis voluntariȩ, ſecundum coactiuæ; quia primum non exercetur niſi reo liberè volente; ſecundum etiam reo non volente exercetur. His ergo ſic explicatis, manifeſtè patet argumentum ſupra poſitum nullas vires habere; nam conſtat Deum conſtituiſſe tribunal pænitentiæ Sacramentalis, ſeu forum poli, & verè tribunal Dei; cui omnes peccatores etiam Papa pro peccatorum remedio ſubiiciuntur; non autem conſtat extruxiſſe tribunal externum ad omnes omnino homines in terra; ſed ſui ſupremi Vicarii actiones ſpecialiter ſuo Deus judicio reſervavit; ut ſectione 1. demonſtratum eſt.

136. Opponunt nonò: Pontifex poteſt dare libellum repudii Eccleſiæ Sponſæ ſuæ ſpirituali: ut patet ex cap. 1. de renuntiatione in ſexto, & ab exemplo Sponſi, qui poteſt dare libellum repudii Sponſæ ſuæ carnali: ergo etiam Eccleſia poteſt dare libellum repudii Pontifici Sponſo ſuo ſpirituali, illum ex cauſa juſta deponendo, puniendo, & judicando. Reſp. diverſam eſſe rationem; quia Pontifex non obligatur à Deo, ut acceptet Pontificatum, nec ut acceptatum ſemper retineat; quod patet ex prædicto textu: at obligat fideles omnes, ut Supremo ſuo Paſtori, & Prælato obediant juxta illud, *qui vos audit, me audit*; *qui vos ſpernit, me ſpernit*. Exemplum de Sponſis carnalibus nihil valet: nam repudium illud in Sponſis car-

carnalibus ſolùm fieri poteſt ex cauſis à lege præſcriptis: non aſſignatur autem ulla Dei lex, per quam Sponſa ſpiritualis ſuum deſerat Sponſum Pontificem, niſi quando ipſe illam deſerat per hæreſim manifeſtam, & indubitatam: quia jam ipſe ſe ipſum ſeparat à corpore; & corpus ſeparatum à capite, ab illo non participat:ſed de hoc infra dicendum eſt.

138. Opponunt decimò. S. Petrus nunquam venit Romam: ergo corruit totum fundamentum aſſerendi Pontificem Romanum Succeſſorem Petri. Hoc argumentum,ſeu potiùs deliramentum ſatis oſtendit effrænatam hæreticorum audaciam, temeritatem, ac impudentiam, dum vaniſſimis imaginationibus ſuis,confictis fabulis,patentiſſimis mendaciis audet ſe opponere tot Conciliis univerſalibus,Sanctiſſimis PP. & ſapientiſſimis Doctoribus, antiquiſſimis hiſtoriis Eccleſiaſticis ab exordio naſcentis Eccleſiæ; ipſi Eccleſiæ univerſali, perpetuæ traditioni, antiquis, & clariſſimis veterum monumentis, quibus adventus Petri Romam,& ibi Sedis Apoſtolicæ collocatio, & ibidem S.Petri martyrium meridiana luce clarius pateſcit:quid?cæci ſunt hæretici; & ſoli cæci ſolem non vident. Veritatem manifeſtiſſimam de adventu Petri Romam, & de Sede Apoſtolica ibi ſtatuta demonſtrăt Auctores, ut habes apud noſtrum CardinalemBellarminum lib. 2. de Summo Pontifice cap. 6. nec leviſſimis hæreticorum fabulis, ac deliramentis juvat reſpondere, ne perdam tempus inutiliter; & ne videamur nos tenuiſſimis illarum aranearum telis irretiri; maximè,quia ſine noſtrarum ope manuum, ſola ipſa Apoſtolica Petra ab excelſo monte miſſa ſufficit ad deſtruendam imaginariam, & phantaſticam hæreticorum ſtatuam, & vaniſſimas dormientium imaginationes in nihilum redigendas. *Avulſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus, quæ illico redacta eſt quaſi in favillam æſtiuæ areæ.* Daniel 2.

SECTIO VI.

Diluuntur alia hæreticorum Sophiſmata.

139. Opponunt adhuc primò: Paulus per antonomaſiam vocatur Apoſtolus; non ita Petrus: ergo potiùs Paulus habet primatum in Eccleſia, & non Petrus; quemadmodum in multis Regnis, ubi ſunt multi tituli Ducatus: ſi aliquis eſt primus, & principalis; hic ſolus vacatur antonomaſticè Dux, cæteri verò non niſi Duces talis, vel talis Ducatus. Ego miror, quòd ſint aliqui homines rationis uſu pollentes; qui ex tam levi fundamento velint, S. Petrum privare primatu; quem Chriſtus illi præſtitit ex tam claris, expreſſiſque Sacræ Scripturæ teſtimoniis; & teſtimonia illa vulgari hominum appellationi poſtponant; & obſequiũ humanum vocis hominum præferant infallibili verbo Dei; maximè illi, qui tantùm ſe jactant de ſequendo Verbo Dei, & nihili faciunt verba Sanctorum Patrum, definitioneſque Conciliorum, quas ipſi dicunt ſequendas non eſſe, quia non ſunt verba Dei,ſed hominum: & modò dicunt ſequendas eſſe voces hominum; ex quibus ſit antonomaſtica illa appellatio, verbis expreſſis Dei contemptis.

140. Ut tamen reſpondeatur argumento cum claritate doctrinæ, permittendum eſt duobus modis poſſe dici Paulum per antonomaſiam Apoſtolum; itaut dicendo Apoſtolum, intelligatur eſſe Paulum, quin neceſſe ſit ſpecificè nominari Paulum. Primo modo, quando citantur ejus Epiſtolæ omnibus notæ, & hoc modo, quando volumus Paulum exprimere, non eſt neceſſe nominari Paulum, ſed ſufficit Apoſtolum affirmare: quia ejus Epiſtolæ omnibus notæ. v. g. Ad Romanos, ad Epheſios, ad Corinthios; jam ſufficienter demonſtrant Apoſtolum eſſe Paulum: quia ſolus Paulus ſpecialiter ad illas Eccleſias ſcripſit: unde ſi unus alius Apoſtolus ſcripſiſſet ad illas Eccleſias, eſſet jam neceſſe ſpecificari talem Apoſtolum nimirum Paulum; quia jam nomen com-

mune

muṇe Apoſtoli non determinaretur ad eſſe individuale Pauli: imo confunderetur cum eo alio Apoſtolo, qui, ut ſupponitur, etiam ſcripſerat ad illas Eccleſias. Secundo modo, quando ratione alicujus peculiaris excellentiæ in Paulo; in qua ejus Apoſtolatus cæteris altior eminuit Apoſtolis; puta; quia fuit Sapientior cæteris, vt confeſſus eſt ipſe Petrus; & quia fuit ſpecialiter à Domino deputatus in vas electionis; ut nomen Domini in omnes portaret nationes juxta illud, *vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum &c.* Act. 9. quod ipſe quidem adamuſſim explevit: ſiquidem, teſte Hieronymo in cap. 5. Amòs, Paulus non ſolùm plantavit fidemChriſti per totum eum longiſſimum tractũ, qui interjacet Hieruſalem, vſque ad Illiricum: ut etiam ipſe Paulus ad Rom. 15. affirmat; verùm etiam à mari rubro uſque ad Oceanum per totum ferè orbem ſic, ut prius ei terra defecerit, quàm ſtudium prædicandi: atque ita Hieronymus Prophetiam illam Amòs loco citato, ibi: *qui vocat aquas maris, & effudit eas ſuper faciem terræ*, adimpleri docet in Paulo; id eſt, ex immenſo Spiritus Sancti pelago, ſpatioſoque mari cæleſtes effudit aquas baptiſmi ſuper univerſam faciem terræ, quod ipſa etiam fatetur Eccleſia; in ejus feſto, in oratione ejus propria, ibi. *Deus, qui multitudinem gentium Beati Pauli Apoſtoli prædicatione docuiſti, &c.* Igitur ratione iſtius excellentiæ, Pauli præcæteris Apoſtolis determinabatur commune nomenApoſtoli ad manifeſtandũ ipſum Paulum, etiam non nominatum per nomen Pauli: perſona enim cujuſq; non ſolùm declaratur voce, ſed oficio, non ſolùm exprimitur nomine, ſed munere.

141. Unde ego quæro ex iſtis hæreticis; an Paulus per iſtam antonomaſticam Apoſtoli appellationem ex eminentiori ſapientia, & ex clarioribus factis acquiſitam obtinuit primatũ Eccleſiæ, vel non; ſi non obtinuit; cur utuntur hoc argumento contra primatum Petri toties in Sacris Scripturis expreſſum, & à Sacris Concilii declaratum, ut conſtat ex jam dictis. Si obtinuit ex præciſa ratione majoris ſapientiæ, & facinorum clariorum: ergo quicunque in Eccleſia excelluerit majori ſapientia, quàm Petri Succeſſor Põtifex Romanus; ille habebit primatum, & non Romanus Pontifex: ex quo ſequitur primò Cyprianum Epiſcopum, qui ſapientior fuit Stephano Papa, & plus ille laboravit in Africa, quàm Sthephanus ſaltem quò ad laborum perpeſſionem, fuiſſe Papam, & non Stephanum: deinde Hieronymum Preſbyterum fuiſſe Papam, & non Damaſum. Secundò, Sanctum Xaverium, qui plus laboravit Apoſtolicis miniſteriis, quò ad corporis defatigationem, in India, quàm Paulus III. Romæ, fuiſſe Papam, & non Paulum III. Sequitur tertiò, falſa fuiſſe verba Chriſti fundantis perpetuò Eccleſiam ſuam in Petro, in ſuis Succeſſoribus ad finem uſq; mundi continuato; quando dixit: *tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meã*; quomodo enim perpetuabitur in Petro in ſuis Succeſſoribus continuato; ſi extra hanc continuatam petram, fundatur in aliis etiam ſapientioribus, & illuſtriora facta edentibus; alibi ergo fundata domus, non erit domus Chriſti, ſed Antichriſti; juxta illud, *qui noneſt pro me, contra me eſt*, & juxta illud, *qui non colligit mecum diſpergit*. Luc. 11.

142. Ex quo ſtulta hæreticorum refellitur cogitatio, ſcilicèt potiùs primatum Eccleſiæ Paulo, quàm Petro competere: licèt enim plus ſapientiæ in Paulo, & plus Apoſtolici exercitii ſplenduerit, hæc majora dona non illico dant juriſdictionem, quæ ſolùm confertur ab eo, qui poterat illam conferre; nempe à Chriſto; qui quidem illam ſoli Petro, ejuſque Succeſſoribus liberè contulit, dicens ſoli Petro. *Paſce oves meas &c.*

143. Opponunt ſecundò: In antiquis Imaginibus, Paulus depingebatur ad manum dexteram, Petrus ad ſiniſtram; quod etiam obſervavit D.Th. in Epiſtol.ad Gal. lect. 1. & Petrus Damianus in tractatu de hac ipſa re: ergo Eccleſia judicabat Paulum eſſe Petro digniorem: nam dextera ſemper eſt ſignũ majoris honoris, & authoritatis, ut benedocet Ambroſius in ſerm. de Pentecoſte, & Hieronymus in comment. 1. cap. ad Ephes. Reſp. hæc nihil probare contra primatum Petri, & Succeſſorum ejus. Primò, quia aliter Chriſtus, qui

M ſedet

Digitized by Google

ſedet ad dexteram Patris, eſſet prior, & dignior æterno Patre; cùm tamen Pater ſit major Chriſto, ut homine, e prior origine illo, ut Verbo; deinde Regina illa cæleſtis foret dignior Rege cæleſti; dum adſtat ad Regis dexteram, juxta illud, *Aſtitit Regina à dextris tuis*. Secundò, quia licèt Paulus depingatur ad dexteram Petri, ſemper conſideratur, ut filius, qui licèt ſit ad dexteram ſui Patris, non illico acquirit poteſtatem ſupra Patrem; nec Pater amittit patriam poteſtatem ſupra filium. Tertiò, quia Paulus erat de tribu Beniamin, ut ipſe Paulus teſtatur; & ſicut Beniamin fuit filium ultimum; ita Paulus fuit vltimo vocatus Apoſtolus; unde ſicut Beniamin fuit vocatus à Patre ſuo Jacob filius dexteræ; ita Paulus in Beniamin typice figuratus ſortitus eſt nomen filii dexteræ, & ſic à Pontificibus aliquibus in diplomatibus Pauli imago obſignabatur ad dexteram; ſic enim ſuam Beniamin tribum clariùs exprimebat: ſicùt ergo nec propterea Beniamin major, ac dignior erat Patre ſuo Jacob; ſic nec Paulus dici debet major, ac dignior Patre quidem ſuo, ac Supremo Principe Petro.

144. Accedit ad hoc, quia licèt Eccleſia voluiſſet dare Paulo hunc majorem honorem; quia ipſe plus laboravit cæteris Apoſtolis, ut ipſe de ſe fatetur; & recognoſcit Eccleſia; adhuc non ſequitur, quòd primatus Eccleſiæ Paulo tribuatur, & Petro negetur, & ratio eſt; quia Eccleſia in plus honorandis Sanctis non tam attendit ad majorem præeminentiam principatus, quàm ad aliàs cauſas. Sic feſtum Beati Stefani Protomartyris, & Beati Martyris Laurentii celebrat cum octaua: & tamen primus erat Diaconus miniſter Jacobi Apoſtoli; & ſecundus item Diaconus Beati Sixti Martyris Summi Pontificis; quorum feſta non celebrat cum octava: ſic etiam Hieronymus, & Thomas Aquinas erant ſolùm Præsbyteri, Antonius, Benedictus, Franciſcus ne Præsbyteri quidem; & tamen his Sanctis plus honoris exhibet Eccleſia, quàm multis Sanctis Martyribus, Epiſcopis, Summiſque Pontificibus. Igitur ex majori cultu honoris ab Eccleſia exhibito, ineptiſſimè colligitur ſuper Eccleſiam principatus.

145. Opponunt tertiò: Saltem Paulus eſt Petro æqualis in Supremo Eccleſiæ Principatu; ita ut nec ſolus Petrus ſine Paulo; nec ſolus Paulus ſine Petro obtineat principatum: ſed inter duos ſit diviſum Imperium Eccleſiaſticum; & Sedes Apoſtolica ſit Petri ſimul, & Pauli: ergo Petrus ſaltem privativè non eſt Supremus Eccleſiæ Judex. Antecedens probatur primò ex S. Leone ſerm. 1. de Natali Apoſtolorum, ibi. *Hos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Eccleſiæ membra provexit; ut eos in corpore, cui caput eſt Chriſtus, quaſi geminum conſtitueret lumen oculorum; de quo meritis, atque virtutibus nil diverſum, nihil debemus ſentire diſcretum: quia illos & electio pares, & labor ſimiles, & finis fecit æquales*. Ubi nota verbum. *Pares, æquales. Similes. Nihil diverſum. Nihil diſcretum*. Si autem unus eſſet ſubditus, inferiorque, & alter Superior, & major; quomodo dici poſſet ſumma inter eos æqualitas? Secundò ex S. Maximo ſerm. ultimo de S. Petro, & Paulo, vbi ſic ait: *Ergo Beatus Petrus, & Paulus eminent inter univerſos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt: verùm inter ipſos, quis cui præponatur, incertum eſt: puto enim illos æquales eſſe meritis, quia æquales ſunt paſſione*. Ubi notandum eſt illa verba, *incertum eſt, quis cui præponatur*. Si verò Petrus eſſet Paulo Superior, & Summus Judex, non eſſet incertum Petrum Paulo præponi. Tertiò ex D. Gregorio lib. 1. Dialog. cap. vlt. ubi ſic ait: *Paulus Apoſtolus Petro Apoſtolorum primo, in Principatu Apoſtolico frater eſt*. Ubi nota Sanctum Doctorem dicere Petrum, licèt tempore primum, in principatu tamen fratrem, & non patrem, ſeu majorem.

146. Reſp. negando antecedens. Ad probationes ex Sancto Leone, Maximo, Gregorio, dico ex eis nihil probari contra noſtræ veritatem doctrinæ; ad quod clariùs intelligendum; duobus modis poteſt conſiderari æqualitas inter hos Apoſtolos, Petrum, & Paulum. Primo in virtutibus. Secundo in juriſdictione, ſeu poteſtate. His poſitis vel hæretici

loquun-

loquuntur de æqualitate primo modo: & nihil probant contra nos: nam fatemur poſſe aliquem ſubditum æqualem eſſe in virtutibus, & aliis donis ſuo ſuperiori; imo illum excedere; & de hac æqualitate inter Petrum, & Paulum loquuntur citati illi PP. ut patet ex illorum verbis, ibi: *de quorum meritis, atque virtutibus nihil diverſum &c.* & infra, ibi. *Puto enim illos æquales eſſe meritis &c.* Quò ad ſecundum modum, qui ſolùm eſt caſus noſter; ſcilicèt de æquali poteſtate, & juriſdictione; non poſſunt Sancti PP. intelligi: nam aliter ſecum ipſi pugnarent, dum docent Sanctum Petrum habere Summum Principatum inter omnes Apoſtolos, & Chriſtianos, ut patet ex dictis tota ſect. 1. & ſequentibus. Ad locum D. Gregorii dico Petrum, & Paulum dici fratres, quemadmodum Summus Pontifex reliquos Epiſcopos fratres ſuos appellat; unde ſicut ex hoc non infertur Epiſcopos non eſſe Summo Pontifici ſubditos, ita non ſequitur D. Paulum ſubditum non eſſe Petro. Fraternitas denotat omnes eſſe filios ejuſdem Patris Dei: Summus Petri Principatus denotat omnes omnino fideles ſubditos eſſe Principi Petro, ejuſque Succeſſoribus Romanæ Sedis Epiſcopis.

147. Opponunt quartò: Paulus non ſolùm habuit juriſdictionem delegatam in tota Eccleſia, ſicut cæteri Apoſtoli; ſed etiam habere debuit aliquam determinatam Diæceſim; in qua juriſdictionem haberet ordinariam; ſicut habuit Jacobus Apoſtolus Hieroſolymæ, & alii in aliis Provinciis: non apparet autem determinata aliqua Diæceſis, quæ ſit addicta Paulo, niſi Romana Diæceſis, quam ipſe cum Petro plantauit, & cum eodem ibi fuit martyrio coronatus: ergo Epiſcopatus Romanus fuit Petro, & Paulo communis; & conſequenter utrique communis Eccleſiæ Principatus. Ut ſolvas difficultatem, quæ parvi momenti eſt, obſerva primò Chriſtum Dominum non determinaſſe Apoſtolis certas aliquas Provincias, ſed omnes univerſaliter miſiſſe in Univerſum Mundum, ut docet fides Marci 14. ibi. *Euntes in Mundum Univerſum prædicate omni creaturæ.* Quare liberum reliquit Eccleſiæ aſſignare has, vel illas determinatas Provincias pro regimine ordinario his, vel illis Apoſtolis, vel Diſcipulis. Obſerva ſecundo ad dignitatem Apoſtolis tres potiſſimùm conditiones requiri. Prima eſt eſſe miſſos à Chriſto Domino cum juriſdictione in Eccleſia Petro quidem ordinaria, quia electus fuit à Chriſto Domino, ut ordinarius Paſtor omnium ubique fidelium; cæteris verò delegata; cùm enim non cõveniat, quòd in unaquoq; Eccleſia particulari duo ſint ordinarii Epiſcopi, tanquam duo mariti unius uxoris; ita non convenit, quòd unius Eccleſiæ Univerſalis plures ſint ordinarii Epiſcopi univerſales, tamquam duo mariti Reges unius uxoris Reginæ. Tertia eſt privilegium ſcribendi Scripturas Canonicas, & Sacras; ſiue fuerint Epiſtolæ, ut accidit in Petro, Paulo, Jacobo, Joanne, Juda, ſive ſint hiſtoriæ Euangelicæ, ut accidit in Mattheo, & Joanne, Luca, & Marco, qui duo ultimi licèt non fuerint Apoſtoli; fuerunt tamen Diſcipuli, & Notarii, ſeu Secretarii, Marcus quidem Petri; & Lucas Pauli, ſive fuerint Revelationes ſeù Apocalypſis, ut accidit in Joanne. Tertia conditio eſt authoritas fundandi Eccleſias ubique terrarum. Oberva tertiò, licèt quilibet Apoſtolus eo ipſo eſſet Epiſcopus; tamen ex præciſa ratione Apoſtoli, neceſſe non eſſe, quod actualiter haberet certam, & determinatam Eccleſiam, ſupra quam haberet juriſdictionem ordinariam; ſed ſatis eſt habere actualem juriſdictionem delegatam in univerſa Eccleſia, & habitualem, ut ſi à Divo Petro conſtitueretur Epiſcopus ordinarius in aliqua particulari Eccleſia, in illa illico, præter uniuerſalem juriſdictionem delegatam, particularem haberet ordinariam. His ergo obſervatis clarioris doctrinæ gratiâ.

148. Reſpondetur ad argumentum; D. Paulum eſſe poſſe Apoſtolum, licèt non foret Epiſcopus alicujus determinatæ Eccleſiæ, ſatis enim erat, quòd haberet tres illas conditiones ad Apoſtolatum requiſitas, & in prædictis obſervationibus poſitas, deinde fundaſſe quidem cum Petro Romanam Eccleſiam,

non ut ordinarium illius Epiſcopum, ſed ut Coadiutorem Petri: quòd ſi Petrus non figeret Sedem Apoſtolicam Romæ, ſed Paulum inſtituiſſet Romanæ urbis Epiſcopum; tunc Paulus foret Romanus Pontifex, ſed non Summus Pontifex; & Petrus eſſet Summus Pontifex, ſed Romanus Pontifex non foret. Probatur quia vel Paulus eſſet Summus Pontifex, quia erat Paulus, vel præcisè, quia, ut ſupponitur, eſſet Epiſcopus Romæ: neutrum autem eſt dicendum; quia nec Paulo dictum eſt: *ſuper te ædificabo*; ſed Petro: neque id etiam dictum eſt Petro, quà Epiſcopo Romano; aliter; quando Petrus nondum erat Epiſcopus Romanus, ſed Antiochenus Antiochiæ non fuiſſet Summus Pontifex: quod eſt omnino falſum. Itaque licèt de facto Epiſcopatus Romanus ſit perpetuò adnexus Summo Pontificatui, ſive ex jure divino, ut quidam exiſtimant; ſive ex jure humano Petri, ut alii credunt; tamen Petrus, & quilibet ejus Succeſſor, non ideo formaliter eſt Summus Pontifex, quia eſt Epiſcopus Romanus: ſi enim Petrus non fixiſſet Sedem Romæ, illamque Diœceſim Paulo, vel altari aſſignaſſet; ſicut alteri dedit Antiochenam; Petrus, & ejus quilibet Succeſſor, Summus eſſet Pontifex; & tamen Romanus Pontifex non eſſet; & ille alius Romanus tunc Epiſcopus eſſet, & tamen Summus non eſſet Pontifex, ex quo patet hæreticorum cogitationem prorſus eſſe ſtultam, & inanem.

SECTIO VII.

Alia hæreticorum Sophiſmata diluuntur.

149. Opponunt adhuc primò Hæretici præcipuè Magdeburgenſes 15. defectus Divi Petri; ex quibus, inquiunt, ille indignus reddebatur Summo Pontificatu, quod idem volunt de Summis Pontificibus ejus Succeſſoribus. 15. illos defectus ab Hæreticis Petro objectos, ex ipſorum hæreticorum peſtiferis, & venenatis libris ennumerat noſter Bellarminus lib. 1. de Summo Pontifice cap. 28. Primus eſt Matth. 14. ubi Petrus ex quadam curioſitate petiit à Domino, ut evocaretur in mare, ibi. *Jube me venire ad te ſuper aquas.* Secundus Matth. 16. Ubi Petrus diſſuadebat Chriſtum à ſua paſſione, & conſequenter ab hominum Redemptione, ibi. *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.* Tertius Matthei 17. ubi incitabat Chriſtum ad faciendum tria Tabernacula in Thabore, ad ibi perpetuò commorãdum contra divinæ diſpoſitionis decretũ, ibi. *Domine bonum eſt nos hîc eſſe. Si vis faciamus hîc tria tabernacula &c.* Quartus Matth. 18. Petrus fuit unus, & fortè non poſtremus, qui de majoritate contendit, ibi. *Quis eorum videretur eſſe major.* Quintus Matth. 18. cùm reſtringebat peccatorum remiſſionem ad ſeptennarium numerum, ibi. *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei uſque ſepties?* Sextus Matth. 19. dum temporalia expectabat præmia pro Chriſto ſequendo, ibi. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te; quid ergo erit nobis?* Septimus Joan. 13. dum reſtitit Domino volenti illius pedes lavare, ibi. *Non lavabis mihi pedes in æternum.* Octavus Matth. 26. ibi. *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Ubi videtur voluiſſe arguere Dominum mendacii, qui eum negaturum eſſe prædixerat.

150. Nonus Matth. 29. dum in horto ſe tradidit ſomno, orante Domino ad Patrem, ibi. *Et dicit Petro: ſic: non potuiſtis una hora vigilare mecum?* Decimus Matth. 26. quando Malcho abſcidit auriculam; & à Domino fuit increpatus, ibi. *Converte gladium tuum in locum ſuum: omnes enim, qui accipiunt gladium, gladio peribunt.* Decimusprimus, quando Chriſtum negavit Matth. 26. ibi: *at ille negavit coram omnibus: dicens; neſcio, quid dicis, & iterum negavit cum juramento*, &: *Tunc cæpit deteſtari, & jurare, quia non noviſſet hominem.* Decimusſecundus, quando, comprehenſo Domino à Judæis, fugit, & à longe ſequebatur, ibi: *ſequebatur eum à longe.* Decimustertius, quando currit ad Sepulchrum poſt reſurrectionem, ignorans myſterium Reſurrectionis, ut adnotavit Joan. 20. ibi. *Nondum ſciebant Scripturas, quia oportet eum à mortuis*

Digitized by Google

tuit reſurgere, videtur enim illum non credidiſſe verbis Domini, qui clarè illi prædixerat ſe die tertio reſurrecturum eſſe. Decimusquartus Joan. 21. dum curioſè inquirit de Joanne: *Hic autem quid?* & propterea fuit à Domino reprehenſus. *Quid ad te? Tu me ſequere*. Decimusquintus quando permittebat Chriſtianis Antiochenis obſervare Judaicas aliquot cæremonias; propter quod fuit à Paulo reprehenſus. Ad Galat. 2. ibi. *Cùm autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti; quia reprehenſibilis erat*, & infra: *Sed cum vidiſſem, quòd non rectè ambularent ad veritatem Euangelii, dixi Cephæ coram omnibus; ſi tu cùm Judæus ſis, gentiliter vivis, & non Judaicè; quomodo gentes cogis judaizare?* Iſti ſunt illi defectus, & maculæ, quibus perditiſſimi hæretici volunt clariſſimum Sanctitatis ſpeculum Sanctiſſimum Chriſti Vicarium Apoſtolorum Principem deturpare, & clariſſimas illius virtutes, admirabilem fidem, ardentiſſimam charitatem, uberrimas pœnitentiæ lacrymas, & tandem glorioſiſſimum martyrium ſilentio involuere; in quo ſatis oſtendunt ſe fœtidiſſimas eſſe muſcas, quæ putrida quærunt, ſana non ſugunt. Illos ergo defectus, ſi qui ſunt, optimè excuſat ex Sanctis DD. Patrumque teſtimoniis Bellarmin. cit.

151. Ego hìc nolo immorari in defendendo Petrum Chriſti Vicarium, quem Uniuerſus adorat Orbis; & cui Auguſtiſſimi Imperatores, Reges, Principes, Monarchæ maximum cultum, & obſequioſi honoris tributū perſolvunt; ſolùm quæro ab iſtis Inferorum furiis, quid velint, tot in Petrum conviciorum jacula contorquendo? ſolùm poſſunt duo intentare. Primum, negare Petrum eſſe dignum Supremo Principatu. Secundum, Principatum Supremum non obtinuiſſe, vel, ſi obtinuit, propter eos defectus, illum amiſiſſe. Si primum: ergo culpant Chriſtum ipſum vel in ſcientia, vel in providentia: nam ſi ignoravit iſtos Petri defectus, non habuit ſcientiam: ſi ſcivit, & nihilominus illum inter cæteros Principem elegit; non habuit providentiam; dicere autem Chriſtum, nec ſcientiam, nec providentiam habere, blaſphemum eſt: & ſic non ſolùm percutiunt ſecundam petram Petrum; ſed primam petram Chriſtum; & in hoc oſtendunt hæretici ſe canes eſſe rabioſos; qui dūm timent petræ ictū, petram mordent. Si ſecundum, ſcilicèt, quòd vel non obtinuit Principatum, vel, ſi obtinuit, illum propter eos defectus amiſit. Si affirmant Petrum Principatum non obtinuiſſe: ergo fuerunt falſa verba Chriſti; qui non obſtantibus illis defectibus Petro dixit: *Tibi dabo claves. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: igitur vel debent affirmare Petrum à Chriſto obtinuiſſe Principatum; vel compellentur negare Chriſtum vera dixiſſe; unde vel cogentur affirmare Summum Principatum in Petro; vel cogentur negare Summam veritatem in Chriſto.

152. Si affirmant Petrum poſt obtentum Principatum, illum propter defectus amiſiſſe; ſequuntur duo manifeſta abſurda. Primum eſt, amiſſo Petri Principatu, deſtrui fundamentum domûs Chriſti; quæ ſine fundamento, corruet, ac proinde contra domum Chriſti; quæ eſt Eccleſia, prævaluiſſe Diabolum, & falſa jam eſſe verba Chriſti: *Portæ inferni non prævalebunt adverſus eam*. Secundum abſurdum, quòd nullus poſſit eſſe in re ſuperior, commiſſo aliquo peccato; ac proinde, quòd à conſervatione virtutis dependeat exiſtentia poteſtatis, & ſuperioritatis; & ſic, ſi Rex peccet, deſinat eſſe Rex; ſi Epiſcopus peccet, deſinat eſſe Epiſcopus; & cum vix poſſit per diuturnum tēpus moraliter evitari peccatum; erit navis Reipublicæ tam laicæ, quàm Eccleſiaſticæ ſine gubernaculo; proindeque tota fluctibus immerſa corruet. Omnes hæ conſequentiæ ſequuntur ex falſa hæreticorum doctrina; quæ quidem jam eſt condemnata ab Eccleſia in Concilio Cōſtantienſi ſeſſ. ult. propoſitione 4. & propoſitione 8. in articulis Joann. Wicleff, & convincitur hic error ex Sacra Scriptura paſſim, tam veteris, quàm novi teſtamenti: ſic de fide eſt peccaſſe Saulem, David, Salomon, & alios Reges, & ſimiliter de fide eſt illos per ipſum peccatum non deſiiſſe illico eſſe Reges; de

fide

fide eſt Aaronem Summum Pontificem peccaſſe permittendo populum idololatrare; & tamen de fide eſt illum non amiſiſſe ſtatim Summum Pontificatum: item Chriſtus in Evangelio monet ſuos, ut malorum Superiorum facta non imitentur; illorum verò præcepta exequantur, ibi: *quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite, ſecundùm verò opera eorum, nolite facere*: ergo ſupponitur in illis cum improbitate vitæ juriſdictionis poteſtas: ex quo patet, quàm frivolum ſit argumentum hæreticorum; in quo vel oſtenditur illorum ſumma ignorantia, vel enormiſſima malitia; non poteſt autem credi, quòd ita mentis inopes ſint, vt hæc ignorent: ergo peſſima illorum doctrina ex ſumma malitia procedit.

153. Opponunt ſecundò hæretici, præcipuè Æraſmus, & Calvinus apud noſtrum Bellarminum lib. 5. de Romano Pontifice cap. 10. qui dicunt ex illis verbis: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.* non colligi Petrum eſſe fundamentum Univerſalis Eccleſiæ; Calvinus primo audaciter aſſerit ſe poſſe pro ſe allegare PP. at non opponere allegationem, ne gignat faſtidium. Æraſmus non minus impudenter loquitur paradoxum, & inauditum eſſe, Petrum eſſe fundamentum, & Supremum Eccleſiæ Judicem; excuſantque D. Cyprianum, & Hieronymum; quòd paradoxè fuerint locuti. Sed hi hæretici in hoc ſuo dicto vnum ex duobus ſcopulis non effugiũt. Primus eſt ignorantia. Secundus eſt malitia: nam ſi ignorant Sanctos PP. & antiquos Theologos tam Græcos, quàm Latinos noſtram hanc Catholicam doctrinam edocuiſſe, ſunt ignorantes; cùm ex dictis, & ex mox dicendis apertè conſtet hanc eſſe Patrum doctrinam. Si non ignorant, & tamen idiotas volunt decipere, ſunt maligni.

154. Quòd verò noſtram Catholicam doctrinam teneant PP. ultra jam ſupra allegates, conſtat: Primò ex PP. Grçcis. Origen. homil. 5. in Exodum; ubi ſic ait. *Vide magno illi Eccleſiæ fundamento, & petræ ſolidiſſimæ, ſuper quam Chriſtus fundavit Eccleſiam; quid dicatur à Domino: Modicæ fidei, quare dubitaſti?* Ubi dicit tria. Primum Petrum eſſe fundamentum, & ſolidiſſimam petram. Secundum ſuper hanc petram Chriſtum fundaſſe Eccleſiam. Tertium loqui de illa petra, cui Chriſtus dixit: *quare dubitaſti?* qui certè eſt Petrus. Item Atthanaſius in Epiſtolam ad Fælicem, quam ſcribit nomine ſuo, & Synodi Alexandrinæ, ubi ſic ait: *Tu es Petrus, & ſuper hoc fundamentum Eccleſiæ columnæ, ideſt, Epiſcopi, ſunt confirmatæ.* Item Baſilius lib. 2. in Eunomium, ibi. *Petrus propter fidei excellentiam Eccleſiæ ædificationem in ſe ſuſcepit.* Gregorius Nazianzenus in orat. de moderatione ſervanda in diſputationibus, ibi. *Petrus petra vocatur, atque Eccleſiæ fundamenta fidei ſuæ credita habet.* Epiphanius in Ancorato, ibi. *Dominus conſtituit Petrum primum Apoſtolorum petram firmam, ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt.* Item Chryſoſtomus homil. 55. in Matth. ita dicit: *Dominus ait: Tu es Petrus, & ego ſuper te ædificabo Eccleſiam meam.* Idem aſſerit homil. 4. in cap. 6. Iſaiæ. Item Cyrill. lib. 2. cap. 2. in Joan. ſic ait: *Nec Simon fore jam nomen illi, ſed Petrus, prædicit, vocabulo ipſo commodè ſignificans, quod in eo tanquam in petra, lapideque firmiſſimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam.* Item Pſellus author antiquus in illud Canticor. cap. 5. ibi: *crura illius columnæ marmoreæ, per crura*, inquit, *Petrum intellige Apoſtolorum Principem, ſuper quam Dominus in Euangelio ſe Eccleſiam ſuam ædificaturum promiſit.* Item Theophylactus, in Luc. 22. ibi: *Poſtme* (inducitur Chriſtus loquens ad Petrum) *petra es, & fundamentum.* Euthymius in Matth. 16. ibi: *Te ponam fundamentum credentium, ædificabo ſuper te Eccleſiam meam.*

155. Secundò, ex Latinis Tertullianus lib. de præſcription. ibi: *Latuit aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ petram dictum.* Item Cypr. in epiſt. ad Quintum, ibi: *Petrum Dominus primum elegit, & ſuper eum ædificavit Eccleſiam ſuam*, & in multis aliis locis. Idem aſſerunt Hilarius in Matth. c. 16. Ambroſius ſerm. 47. Hieronym. in cap. 16. Divi Matthei; & in epiſt. ad Damaſum, D. Auguſt. in Pſal. contra partem Donati, & Ser-

& Sermone 15. de Sanctis, Maximus ſermon. 1. de Sanctis Petro,& Paulo. Paulinus epiſtol. 4. ad Severum. Leo ſerm. 2. de anniverſario aſſumptionis ſuæ, Gregor. lib. 6. epiſt. 37. ad Eulogium,& alii, quos omitto brevitatis gratiâ. Ex quibus patet impudentia hæreticorum dicentium eſſe inauditum, quòd Petrus fundamentum Eccleſiæ ſit, & appelletur: inauditum eſt hæreticis illis, utpote ſurdis ad audiendum res fidei; ſed ut illorum ſanentur aures, Petri quidem gladio indigent.

156. Sed inſtant Hæretici authoritate Origenis qui tract. 1. in locum Matth. cit. explicat illa verba: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.* ſcilicèt, ut petra dicatur omnis ille, qui imitator eſt Chriſti, ibi: *Petra eſt omnis, qui imitator eſt Chriſti, & ſuper omni ejuſmodi petra ædificatur Eccleſia Dei: in ſingulis enim quibuſque perfectis; qui habent in ſe congregationem verborum, & operum, & ſenſuum omnium, conſiſtit Eccleſia; cui portæ non prævalent Infernorum.* Ut ſolvas hoc hæreticorum ſophiſma, germanumq; Doctoris hujus verborū ſenſum percipias, adverte: in duplici ordine petras cujuſq;domùs poſſe diſponi. Primò, ut petra una ſit prima, & fundamentum cæterarum. Secundò, ut reliquæ non ſint primæ, ſed ſuper primam collocentur, & fiet paries ad amuſſim diſpoſitus. Adverte ſecundò, ſimilitudinē inter ædificium morale, & phyſicum, hanc eſſe, ut ſicut ædificii materialis quælibet petra pars ſit materialis; ita ædificii moralis, quilibet fidelis petra ſit moralis. His animadverſis, vel hæretici volunt, quòd in hoc ædificio ſpirituali, ſeu morali una petra moralis ſit prima, & reliquæ non primæ; ſed ſubordinatæ, & fundatæ in prima,& ut ſic non probant contra nos; nam hoc ipſum nos dicimus cum Sanctis PP. ſupra allegatis; nimirum Petrum eſſe primum lapidem, & reliquos fideles lapides ſecundos in prima illa petra Sancto Petro fundatos, vel credunt, quòd omnes ſint primi; & in hoc allucinantur, & errant; directèque opponuntur doctrinæ Sancti Pauli 1. ad Cor. 12. ubi ſic ait: *Si totum corpus oculus, ubi auditus? ubi cætera membra?* Divus Petrus eſt caput, & oculus hujus corporis Eccleſiaſtici, ſi igitur omnes fideles ſunt caput, ſunt oculus; ubi erit auditus? ubi pedes? ubi manus? ubi brachia? Deinde ſi intelligunt hi hæretici, verba Origenis in loco citato ſumi in hoc ſecundo ſenſu, quòd, ſcilicèt quilibet fidelis ſit primus lapis, opponuntur ipſi Origeni, imo, & ſibi ipſis. Origeni, dum ſupra homil. 5. citata in Exodum vocat Petrum magnum fundamentum, & ſolidiſſimam Petram; ſupra quam Dominus fundavit Eccleſiam: ſi ergo docet hic Doctor Dominum ſolùm ſuper Petrum tanquam in primo fundamento Eccleſiam fundaſſe; implicat manifeſtè, quòd in aliis fidelibus, tanquam in primo fundamento fundetur Eccleſia: jam quippe Petrus eſſet ſolus primum fundamentum, & non eſſet ſolus primum fundamentum. Sibi ipſis; quia ipſi dicunt non poſſe Eccleſiam fundari in Petro, quia ipſe merus eſt homo: quomodo ergo ipſi nunc dicunt fundari Eccleſiam in quolibet fideli; cùm quilibet ſit merus homo? ex quibus manifeſtè apparet ſtultitia hæreticorum, implicantia, & falſitas illorum doctrinæ; circuluſque vitioſus, quo in ſuis debilium ſophiſmatum latebris volutantur, de quibus bene ait Propheta; *In circuitu impii ambulabant.*

158. Opponut tertio, S. Paulus 1. ad Corin. 3. aſſerit nullum aliud eſſe fundamentum Eccleſiæ, præter Chriſtum, ibi. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.* Reſp. hæreticos illos utpote fidei lumine deſtitutos non percepiſſe Sacræ Scripturæ ſenſum;quem ut intelligas, obſerva primò duobus modis poſſe ſumi fundamentum. Primo modo, ut ſit primarium: ita ut aliud non ſupponat. Secundo modo, ut ita ſit primum reſpectu ſequentiū, ut nō ſit in illa ſerie, & ordine primarium. Obſerva ſecundò rectè poſſe primogenitum reſpectu ſuorum filiorum, dici primum, & tamen ſupponere ante ſe alium primum, nempe patrem ſuum, reſpectu ſui patris eſt ſecundus: reſpectu ſequentium fratrum eſt primus: & ſic dicitur primogenitus. His obſervatis, vel illi hæretici

Digitized by Google

retici dicunt Chriſtum Dominum eſſe primum fundamentum ſumptum primo modo; & nihil probant contra nos; nam nos hoc ipſum dicimus, & credimus Chriſtum eſſe primarium fundamentum; & nullum eſſe primarium in Eccleſia præter Chriſtum verum Deum, & verum hominem. Vel credunt præter primarium fundamentum Chriſtū Jeſum, nullum aliud dari fundamentum etiam ſecundo modo ſumptū, & hic ſenſus eſt hæreticus, & oppoſitus Sacræ Scripturæ, & ipſi S. Paulo ad Epheſ. 2. ibi: *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum &c.* & Joanni Apocalyp. 21. ubi loquens de Eccleſia, ſic ait: *Et murus Civitatis habens fuadamenta duodecem, & in ipſis 12. nomina 12. Apoſtolorum Agni*. Unde prædicti hæretici vel ſumunt verba Pauli in primo ſenſu; & ſic non allegant Paulum contra nos; Vel ea ſumunt in ſecundo ſenſu, & allegant Paulum contra Paulum, contra Euangeliſtam, & tandem contra ipſam Summam Veritatem; dum dicit Petro: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam*. Vide, quæ ſupra diximus ſect. 1. & ſequentibus.

159. Sed ex hac noſtra Catholica ſolutione inferunt hæretici: quemadmodum ex hoc loco Scripturæ Sacræ, *Tu es Petrus &c.* Petrus dicitur fundamentum Eccleſiæ, ita ex aliis locis ſacris reliqui Apoſtoli dicuntur fundamenta. Primò ex Pſal. 86. *Fundamenta ejus in montibus ſanctis*, ideſt, ut explicat D. Auguſtinus, *in Apoſtolis, & in Prophetis* Secundò ex Apocalyp. 21. *Et murus Civitatis habens fundamenta duodecem, & in eis duodecem nomina, duodecem Apoſtolorum*. Tertiò ex epiſtol. Pauli ad Epheſ. c. 2. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum*. Quartò ex D. Hieronym. lib. 1. in Jovinianum, ibi. *Sed dictis: ſuper Petrum fundatur Eccleſia, licèt idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur*. Ubi notandum eſt verbum, *ex æquo*; ſcilicèt æqualiter in Petro, atque in aliis Eccleſiam fundari: ergo nihil ſpeciale conceditur Petro: proindeque non colligitur Summa ſuper Eccleſiam conceſſa juriſdictio Petro, & multò minùs ejus Succeſſoribus Pontificibus Romanis.

160. Ut dilvas hanc hæreticorum objectionem, veritatemque doctrinæ Catholicæ attingas, oportet diſtinguere tribus modis poſſe Apoſtolos dici fundamenta. Primo, quia ipſi primi Eccleſias ubique fundarunt. Secundo, quatenus noſtra fides fundantur in revelatione, quam à Deo habuerunt Apoſtoli, & Prophetæ. Tertio dicuntur Apoſtoli fundamenta gubernationis: omnes enim fuerunt capita, Rectores, & Paſtores Eccleſiæ. Quarto modo, ut ita aliquis Apoſtolus ſit Gubernator, Rector, & Paſtor Eccleſiæ, ut ad nullum alium poſt Chriſtum ſubordinetur, ſed reliqui omnes ſubordinentur ipſi. Unde quò ad primum dico alios Apoſtolos fuiſſe cum Petro ex æquo fundatores: neque enim ſolus Petrus convertit ad fidem totum orbem terrarum; ſed alias Regiones Petrus, & Jacobus, alias cæteri ad fidem Chriſti adduxerunt, & in hoc ſenſu dixit Paulus ad Romanos 15. *Sic prædicavi, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem*, & 1. Corinth. 3. *Ut Sapiens Architectus fundamentum poſui; alius autem ſuperædificat*. Quò ad ſecundum modum dico omnes Apoſtolos cum Petro ex æquo eſſe fundamenta: quia Deus æquè verè, & infallibiliter locutus fuit per cæteros Apoſtolos, atque per Petrum, & per Prophetas: non enim Deus loquitur magis verè per unum, quàm per alium: nam infallibilis veritas Dei non ſuſcipit magis, vel minùs.

161. Quò ad tertium modum dico omnes Apoſtolos fuiſſe capita, Rectores, & Paſtores Eccleſiæ Univerſæ, ſed non eodem modo, quo Petrus: illi enim habuerunt in tota Eccleſia juriſdictionem, ut Apoſtoli, & Legati: Petrus verò, ut ordinarius; reliqui Apoſtoli ita habuerunt plenitudinem poteſtatis; ut tamen Petrus eſſet eorum caput, & ipſi à Petro dependerent; non e contra. Unde, fundamentum Eccleſiæ quarto modo ſumptum ſoli competit Petro, & non reliquis Apoſtolis; quia Petrus ita eſt Univerſalis Eccleſiæ Paſtor ordinarius, & Rector; ut poſt Chriſtum nulli alteri

ſubro-

Digitized by Google

ſubordinetur; ſed reliqui omnes ab illo dependent, & ſubordinantur: & ita intelligitur textus ille Matth. 16. dum ſoli Petro, & non aliis dicitur: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Atque in hoc ſenſu loquitur D. Hieronymus in cit. loco contra Jovinianum; exponens enim, quid ſit ædificari Eccleſiam ſupra Petrum, ita ait: *Licèt ſuper omnes Apoſtolos ex æquo Eccleſiæ fortitudo ſolidetur; tamen propterea inter duodecem unus eligitur, ut capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio*. Igitur facta hac diſtinctione, hæreticorum objectio non ſubſiſtit.

162. Opponunt quartò, quando dicitur Petro: *Paſce oves meas*. Petrus non præponitur omnibus ut Rector; ſed proponitur omnibus ut exemplar, ergo non habemus ullum fundamentum, ut Petrus ſit, & dicatur omnium gubernator fidelium. Antecedens probatur ex illis verbis à Chriſto præmiſſis; *Simon Joannis diligis me?* & poſtea proſequitur Dominus. *Paſce oves meas*, in quibus verbis tantùm nos voluit divinus Magiſter edocere; ut ſoli illi eligantur in Prælatos, qui ardeant charitate in Deum, & in ſubditos: unde hoc dictum eſt ſingulariter Petro, ſed ut verificaretur univerſaliter in omnibus: & ita explicat Auguſtinus lib. de Agone Chriſtiano cap. 30. ibi. *Cum Petro dicitur, omnibus dicitur; amas me? Paſce oves meas*, ita etiam D. Chryſoſt. lib. 2. de Sacerdotio, ubi loquens de Epiſcopatu Baſilii, ita ait; *Tunc oſtenſurum Baſilium eximiam ſuam dilectionem in Chriſtum, ſi paſcat ejus gregem; cum ſcriptum ſit: ſi diligis me, paſce oves meas*: unde vult Chryſoſtomus verba illa Chriſti Domini: *Paſce oves meas*, non ad ſolum Petrum; ſed ad omnes alios Epiſcopos pertinere: quod idem docet S. Leo ſermone 3. de anniverſario ſuæ Aſſumptionis, ibi: *Ideo Petro hoc ſingulariter dicitur, quia cunctis Eccleſiæ Rectoribus Petri forma præponitur*, ex quibus patet verba illa Chriſti: *Paſce oves meas*, non dici ſoli Petro, ſed omnibus Epiſcopis; unde, ſi ex illis verbis non colligitur, quòd quilibet Epiſcopus ſit omnium fidelium Rector; cur ex iiſdem colligetur, quòd omnium fidelium Rector ſit Petrus? Hoc argumento putant hæretici triumphare: ſed quàm debile ſit, mox explicatis diſtinctè terminis, apparebit.

163. Igitur ad hoc bene intelligendum duo ſunt ſupponenda. Primum eſt diſpoſitio perſonæ accipientis. Secundum voluntas dantis illam poteſtatem; quoad primum diſpoſitio accipientis præcipua eſt charitas erga Deum, & proximos, ſeu ſubditos: ſi enim Prælatus charitatem non habeat, non bene regimen exercebit: & ideo Chriſtus antequàm poteſtatem regendi Petro conferret; illius exploravit charitatem, dicens, *Simon Joannis diligis me?* Quo ad ſecundum poteſtas regendi extenditur, vel reſtringitur ſecundum voluntatem Principis illam conferentis; unde, ſi hæc voluntas extenditur ad omnes ſubditos regendos, is, qui eligitur ad regendum, erit Gubernator omnium Si reſtringitur ſolùm ad quoſdam; is, qui eligitur vel regendum, erit tantùm quorundam gubernator. His poſitis, videndum eſt, an Chriſtus elegerit Petrum ad regendos omnes? manifeſtum eſt ſolum illum, ut ſummum Paſtorem, ad omnes fideles paſcendos, ac gubernandos fuiſſe à Chriſto Domino electum. Primò, ex fine, quem Chriſtus intenderat, nimirum, ut ſchiſmatis tolleretur occaſio, prout D. Hieronymus ſupracitatus conſideravit; ſi enim unus non eſſet omnium Paſtor, cui cæteri ſubordinarentur; quot eſſent in Eccleſia capita, tot eſſent in Eccleſia diviſiones, ac diſſenſiones; omnes vellent eſſe ſupremi; nullus alteri ſe ſubiiceret, tot eſſent ſententiæ, quot capita; & ipſa Chriſti Sponſa Eccleſia non eſſet Inferno Cantic. 6. *terribilis, ut caſtrorum acies ordinata*; ibidem, non eſſet columba una; Luc. 1. finem haberet Regnum Chriſti; quia Matth. 12. *omne regnum in ſe diviſum, deſolabitur*. Secundo quia cùm ſtatuiſſet Dominus conferre poteſtatem ad menſuram amoris. *Diligis me? paſce oves meas*; dum agnovit in Petro ſupra omnes amorem, contulit Petro ſuper omnes poteſtatem. *Diligis me plus his? Paſce oves meas, paſce agnos*

N *meos*,

Digitized by Google

meos, in his complexus eſt omnes fideles, tum Epiſcopos, qui gignunt ſpirituales filios, inſtar ovium, quæ gignunt, tum reliquos fideles non Prælatos inſtar agnorum, qui non gignunt. Tertiò, quia ſoli illi ſupremā contulit poteſtatē; qui ſolus in examine ad ſupremā prælaturam fuit conſtitutus: ſolus autem Petrus cōtriſtatus fuit. *Contriſtatus eſt Petrus*. Quartò, quia in illis verbis, *Diligis me plus his?* intelligebat plus Apoſtolis, qui omnes erant præſentes; atq; adeo illum cæteris Apoſtolis præponebat: erant ergo Petro ſubordinati Apoſtoli; non erunt illi ſubordinati Epiſcopi? ſubiiciebantur Petro omnes Apoſtoli; non ſubiicientur Petro omnes fideles? Fateantur igitur hæretici vel ſuā ignorantiam, dum hæc non percipiunt, vel ſuam perfidiam, dum hæc non credunt.

164. Unde ad teſtimonium DD. Auguſtini, Chryſoſtomi, & Leonis perfectè intelligenda, duobus modis poteſt conſiderari terminus ille *omnibus*. Primò, ex parte diſpoſitionis requiſitæ in quolibet eligendo in Prælatum. Secundò, ex parte poteſtatis à Principe conferenda. Quò ad primum, ſicut in Petro, neceſſaria eſt charitas, ut gubernet Eccleſiam Univerſalem, ita in omnibus neceſſaria eſt charitas, ut gubernent Eccleſias ſuas particulares: unde in hoc ſenſu fuit Petrus propoſitus ut exemplum, & forma aliis Rectoribus: & ſic intelligendus eſt S. Leo, & alii PP. ſupra allegati. Quò ad ſecundum, Suprema poteſtas Petro à Chriſto collata non poterat intelligi collata omnibus: aliter omnes eſſent in Eccleſia Supremi Prælati, Summi Pontifices; quod non minus eſſet abſurdum, quàm ſi in aliquo Regno omnes cives eſſent Regem; in aliquo Imperio omnes cives Imperatores. Unde ſancti illi Patres neceſſariò intelligēdi ſunt, quò ad primum modum; & nullatenus quò ad ſecundum; aliter ſecum ipſi pugnarent; dum variis in locis ex iiſdem illis Chriſti verbis, colligunt Supremam Petri, & ejus Succeſſorum Romanorum Pontificum ſuper omnes totius Eccleſiæ fideles poteſtatem, ut ex ſupradictis maniſeſtiſſimè conſtat. Ex quibus ſic explicatis inane cōtrariorum ſophiſma prorſus evanuit.

165. Opponunt quinto, Paulus Apoſtolus negat ſe Petro, aut aliis Apoſtolis eſſe ſubiectum: ergo Petrus omnium omnino fidelium non fuit rector. Antecedens oſtenditur ex epiſt. ad Galat. c. 2. ibi: *Quibus neque ad horam ceſſimus ſubiectionem*, & infra; *qui videbantur eſſe aliquid nulla mihi mandata dederunt*, item, *nihil mihi contulerunt.... Dexteram dederunt ſocietatis*. Reſp. hæc nihil probare contra ſuperioritatem Petri ſupra Paulum: neque enim illic Paulus negat, nec negare poterat ſe Petro eſſe ſubiectum. Ad quod intelligendum: ſciendum eſt in eo loco Paulum loqui contra quoſdam; qui non volebant credere prædicationi Pauli dicentes ſolum Petrum, Jacobum, & Joannem prædicare Euangelium Chriſti, à quo ipſi illud immediatè acceperant, & non Paulus; quibus ipſe Paulus reſpondit ſe in hoc nulli ex Apoſtolis ceſſiſſe; neque ulla mandata ab illis accepiſſe, ſed Euangelium ſuum non ab ullo hominum, ſed à ſolo Chriſto ſumpſiſſe, atque ita Incipit Epiſtolam ſuam: *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per IESUM Chriſtum, & Deum Patrem*, & infra: *Notum facio vobis Euangelium, quod euangelizatum eſt à me: quia non eſt ſecundum hominem; neque enim ego ab homine accepi illud; neque didici, ſed per revelationem IESU Chriſti*.. Ad vltima verba Pauli, Reſp. licèt inde probaretur illum fuiſſe efficaciorem in officio prædicandi, non probari tamen, non fuiſſe illum Petro minorem in officio gubernandi; poteſt enim unus ſubditus major eſſe, & efficacior Superiore ſuo, in munere prædicandi; & tamen illi eſſe inferior in officio gubernando.

166. Opponunt ſexto. Petro commiſſum fuit, ut prædicaret Judæis; Paulo autem, ut prædicaret gentilibus: ergo juriſdictio Petri non fuit uniuerſalis in totum mundum. Reſp. frivolum eſſe hoc argumentum: nam Apoſtoli fuerunt miſſi à Chriſto prædicare in mundum univerſum omni creaturę, & multo magis intelligendum eſt de Principe Apoſtolorum Petro. Sic enim ait Chriſtus: *euntes in mundum univerſum, prædicate omni creaturæ*: ad majorem autem

com-

commoditatem, & ſui muneris expeditionem, viſum fuit Apoſtolos, divino inſpirante Numine, diviſionem facere provinciarum: vnde, ut ex hiſtoria conſtat Eccleſiaſtica, Andreas Scythiam, Thomas Parthiam, Bartholomeus Indiam, Mattheus Ætyopiam, Joannes Aſiam, & alii alias Provincias obtinuerunt, licèt ergo Petrus à principio ſpecialem curam habuiſſet in Judæorum converſione, benè tamen ſciebat curam ovium Chriſti in univerſo mundo ſibi eſſe commiſſam; & juxta mandatum Domini tantùm expectabat tempus gẽtilitatem convertendi: cui labori ſe aplicavit, ubi primum id ex revelatione cognovit in illa viſione, ubi à Deo fuit juſſus ſerpentes, & colubros, manducare, ideſt, gentes ad fidem convertere: unde nec diviſio Provinciarum reſtrinxit juriſdictionem; nec dilatio prædicandi gentibus, ei ad prædicandum ubique ſuſtulit poteſtatem.

167. Obſervandum hic etiam eſt obiter Chriſtum Dominum hanc etiam præeminentiam Petro prę ſtare voluiſſe, quod Petrus fuerit primò deſignatus ad prædicandum Judæis, ſicut ipſe Chriſtus per ſe ſolis Judæis prædicavit juxta illud Matth. 15. *Non ſum miſſus, niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael*, & Paulus ad Roman. 15. ait *Chriſtum Jeſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis*; ideſt, fuiſſe occupatum miniſterio prædicandi Circumciſis, ideſt, Judæis: ut in hoc etiam ſecunda petra Petrus non diſſimilis foret primæ Petræ Chriſto; ac in omnibus, quantùm poſſibile fuiſſet, Chriſtus ipſe ſimilem ſibi ſuum faceret Vicarium: quod etiam conſpicua verborum elegantia Sanctus expreſſit Leo epiſt. 89. ad Epiſcopos Viennenſis Provinciæ inducens Chriſtum Dominum loquentem cum Petro, ibi: *Cùm ego ſim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque unum; ego fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere; tamen tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris; ut quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia.*

168. Opponunt ſeptimo. Ideo Petrus crederetur obtinere in tota Eccleſia primatum: quia plerumque in Sacra Scriptura primo loco cæteros inter Apoſtolos nominatur: hæc tamen ratio nulla eſt. Primò, quia id poterat evenire caſu, non conſilio; aliquis enim primo loco neceſſariò erat nominandus; quod verò is, vel ille primo loco poneretur; per accidens fuit, & caſualiter. Secundò, quia Petrus erat ætate ſenior: unde quod primo fuerit nominatus, non fuit prærogativa Principatûs, ſed ætatis. Cardinalis Bellarmin lib. 1. de Summo Pontifice cap. 18. multùm deſudat in ſubſtinendo hoc fundamento. Nihilominus ad probandam doctrinam certiſſimam, non eſt opus recurrere ad fundamenta, quæ ſaltem apud hæreticos non ſunt convincentia: maximè, quia licèt paſſim apud Sacram Scripturam reperiatur Sanctus Petrus primo loco nominatus, ut videre eſt: apud Matth. 10. & 17. Marci 3. 13. & 5. Luc. 3. & 6. 8. 22. act. 1. Joann ult. at etiam aliquando non nominatur in primo loco, ut patet ex Epiſt. ad Galat. 2. ubi priore loco nominatur Jacobus, poſteriore loco Petrus, nec ſolvit bene difficultatem cit. Doctor, dicendo Jacobum eſſe in propria Diœceſi Hieroſolomytana cum Petro: nam ubicunque inveniatur Summus Pontifex, ſemper primum occupat locum. Deinde Dyoniſius Areopagita nominat Petrum ſecundo loco, & Jacobum in primo, ut patet ex dictis ſect. 3. in fine. Quare licèt probabile ſit hoc fundamentum de prima nominatione ad primũ principatum, non eſt tamen convincens, niſi coniungatur cum aliis fundamentis clariſſimis, & ſolidiſſimis per noſtrã veram doctrinam. Solum reſpondeo ad ſecundam probationem contrariorum dicentium Petrum primo loco nominari, quia erat ſenior ætate: hoc enim omnino eſt falſum: nam conſtat Andream Apoſtolum ætate primum fuiſſe: quod conſideravit Ambroſius in 2. ad Corinth. 12. ibi: *Prior Andreas ſecutus eſt Salvatorem, ſed primatum non accepit Andreas, ſed Petrus.*

SECTIO VI.

Diluitur ſpecialiter duplex deliramentum quorundam hæreticorum.

169. PRimum aſſerunt Magdeburgenſes centur. 1. lib. 2. cap. 7. col. 527. dicunt titulum ſupremi capitis, & primatus Eccleſiæ, Antichriſti eſſe characterem; de quo ſcriptum eſt, Supremum Chriſti titulum per effrenatam ambitioſæ mentis audaciam nimis eſſe ſibi arrogaturum, eandem eructat blaſphæmiam ex ore peſtifero Calvinus Inſtit. lib. 4. c. 7. §. 3. ubi ſic delirat: *Certè, quandiu duravit Eccleſiæ vera facies, iſta omnia ſuperba nomina* (loquitur de capite, & primatu Eccleſiæ) *quibus poſtea inſoleſcere cæpit Romana Sedes, prorſus erant inaudita.* Hæc tamen inſolentiſſima hæreticorum audacia omnino execrabilis eſt. Ego ex ipſorum verbis eos convinco; & quemadmodum David Philiſtæi gladio confodit Philiſtæum; ita Catholicus hæreticorum gladio confodiet hæreticos: nam ipſi hæretici fatentur tempore Hieronymi duraſſe veram, & puram Eccleſiæ faciem: ergo neceſſario debent fateri titulum primatûs, & capitis vera Eccleſiæ facie durante, audiri: nam & tempore Hieronymi, & multo retro antea, ſpectabilis hic, & pulcherrimus primi capitis; primatûſque titulus audiebatur in Eccleſia. Audi Origenem, qui floruit ante Hieronymum; cap. 6. in epiſt. ad Rom. ita ait: *Petro cùm ſumma rerum de paſcendis ovibus traderetur; & ſuper ipſum, velut ſuper terram fundaretur Eccleſia, &c.* iam ergo audiebatur in vera Eccleſia titulus Summi Paſtoris poſt Chriſtum, primi poſt Chriſtum fundamenti, & capitis; qui titulus, primatûs quidem titulus eſt. Ita etiam Euſebius anno Domini 44. ſic ait. *Petrus Apoſtolus natione Galilæus, & Chriſtianorum Pontifex primus,* non dicit, Pontifex primus alicujus peculiaris Diæceſis; ut Jacobus primus Hieroſolymæ; & ſic de aliis, ſed univerſaliter *Chriſtianorum Pontifex primus*; idem lib. 2. hiſtoriæ cap. 14. vocat Petrum *omnium Apoſtolorum probatiſſimum, & maximum primorum Principem, & Ducem, ac Magiſtrum Militiæ Dei.*

170. Audi etiam S. Baſilium ſerm. de Judicio Dei; ubi loquens de Petro ſic ait: *Ille Beatus Petrus, qui cæteris prælatus diſcipulus fuit, cui claves Regni Cæleſtis commiſſæ, &c.* Gregor. Nazian. orat. de moderatione ſervanda, ibi. *Vides, quemadmodum ex Chriſti diſcipulis, magnis utique omnibus, & excelſis, atque electione dignis, hic* (Petrus) *petra vocetur, atque Eccleſiæ fundamenta fidei ſuæ credita habeat; ac reliqui diſcipuli poſt haberi ſe tranquillo animo ferant.* S. Epiphan. hæreſi 51. ibi. *Petrum eligit, ut Dux eſſet Diſcipulorum,* & in Ancorano, ibi: *Hic eſt* (Petrus) *qui audivit: Paſce agnos meos: cui creditum eſt ovile.* Cyrill. Hieroſolomytan. catecheſi 51. vocat Petrum excellentiſſimum Apoſtolorum Principem. Item Cyrill. Alexand. lib. 12. in Joan. cap. 64. ubi ait: *ut Princeps; caputque cæterorum primus exclamat. Tu es Chriſtus Filius Dei vivi,* & in Theſauro apud D.Th. in opuſculo contra gentes, ibi: *Sicut Chriſtus accepit à Patre ſceptrum Eccleſiæ gentium, Dux ex Iſrael egrediens ſuper omnem principatum, & poteſtatem, ſuper omne, quodcunque eſt; ut ei cuncta curventur, ſic & Petro, & ejus Succeſſoribus pleniſſimè commiſit, & nulli alii, quàm Petro Chriſtus, quod ſuum eſt plenum, ſed ipſi ſoli dedit.* Item D. Chryſoſt. homil. 55. in Matth. ita ait; *Petrum Eccleſiæ futuræ Paſtorem conſtituit,* & infra: *Deus concedere ſolus poteſt, ut futura Eccleſia tot, tantiſque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cujus Paſtor, & caput homo piſcator, atque ignobilis,* & homil. ult. ibi: *Petro fratrum,* ideſt, Apoſtolorum, *curam demandatam, & totum orbem commiſſum.* Idem habet Euthymius cap. ult. Joann. Theophylact. cap. 22. Luc. ibi: *Tu, Petre, converſus bonum exemplum pœnitentiæ eris, qui cum Apoſtolus fueris, & negaveris, iterum receperis primatum omnium, & præfecturam orbis.* Idem affert Oecumenius in cap. 1. Actor. & alii, quos ne faſtidium afferam prætermitto.

171. Ex Latinis PP. qui floruerunt, vel ante, vel tempore Hieronymi, au-

diatur

diatur S. Cyprianus in epiſt. ad Quintum; ubi dicit Petrum, dum à Paulo reprehenderetur, dicere noluiſſe, cùm poſſet, ſe habere primatum, & ſibi obediendum eſſe: & hoc Cypriani dictum exponens D. Auguſtinus lib. 2. de Baptis. cap. 1. ſic ait. *Idem Cyprianus in Epiſtola ad Quintum, ita loquitur: nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificavit ſuam Eccleſiam; cùm ſecum Paulus de circumciſione diſceptaret, poſtmodùm vindicavit ibi aliquid, inſolenter, cur arroganter aſſumpſit, ut diceret ſe primatum tenere, & obtemperare à novellis, & poſteris ſibi potiùs debere*, & infra. *Ubi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis Sanctis didicimus Apoſtolum Petrum, in quo primatus Apoſtolorum tam excellenti gratia præemineat.*

172. Item D. Ambroſius in cap. 12. epiſt. 2. ad Corinth. ſic ait. *Primatum non accepit Andreas, ſed Petrus*, & ſermone 11. ibi. *Hanc ſolam Eccleſiæ navem Dominus aſcendit, in qua Petrus magiſter eſt conſtitutus dicente Domino; ſuper banc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, & aliis in locis idem affert. Item Optatus lib. 2. contra Parmenianum, ibi. *Cathadra una eſt, & negare non audes, ſcire te Petro primùm in Roma Cathedram eſſe collatam, ubi ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, inde Cephas appellatus &c.* & infra: *ergo Cathedra una eſt prima de dotibus; in ea ſedit primus Petrus, ſuccedit Linus, &c.*

173. Item D. Hieronymus lib. 1. in Jovinianum, ibi. *Inter duodecim unus eligitur* (Petrus) *ut capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio*. D. Auguſt. lib. 2. de Baptiſmo, ibi. *Quis neſcit illum* (loquitur de Apoſtolatu Petri) *Apoſtolatus principatum cuilibet Apoſtolatui præferendum?* & idem dicit paſſim variis in locis. Ita etiam Leo ſermon. 3. de aſſumptione ſua ad Pontificatum. S. Proſper. lib. de Ingratis, Arator. in cap. 1. Actor. Apoſtol. S. Gregor. lib. 4. epiſt. 32. ad Mauritium. Beda in vigilia S. Andreæ homil. in Joan. 1. & in feſto Petri, & Pauli, ibi. *Ideo Beatus Petrus, qui Chriſtum vera fide confeſſus, vero eſt amore ſecutus, ſpecialiter claves Regni cælorum, & Principatum judiciariæ poteſtatis accepit; ut omnes per orbem credentes intelligant; quia quicunque ab unitate fidei, vel ſocietatis illius quolibet modo ſemetipſos ſegregant, tales nec vinculis peccatorum abſolvi, nec januam poſſint regni cæleſtis ingredi. Innumeros alios PP. & DD. antiquos prætermitto; ne longus ſiam.*

174. Ex quibus manifeſtum eſt hæreticos illos ſupra in argumento contra nos allegatos non poſſe evadere unum ex duobus cenſuræ ſcopulis, vel ignorantiæ, vel apertiſſimi mendacij: illi enim fatentur tempore Hieronymi, & ante illum veram, & puram eſſe Eccleſię faciem: dicunt deinde in vera Eccleſiæ facie nomen capitis, Primatûs, Principatûſque Eccleſiæ non audiri, conſtat præterea eos Sanctos PP. & Doctores, qui vixerunt tempore Hieronymi, & ante illum; quo tempore fatentur illi hæretici eſſe veram Eccleſiæ faciem, toties nominaſſe in Petro, eiuſque Succeſſoribus Pontificibus Romanis titulum capitis, primatus, & principatus Eccleſiæ: ergo vel ignorarunt hanc Patrum doctrinam Catholicam; & ſunt enormiter ignorantes; vel ſciunt apud hos Patres audiri eos tibulos primatus, capitis principatus; & id mendaciter negant, rudem populum decipiendo; & ſunt mendaces, ac deceptores.

175. Ex quo etiam manet diſſolutum alterum hereticum deliramentum, dicentium eum, qui ſibi arrogat primatum Eccleſiæ Antichriſtum eſſe: qui futuris temporibus hunc titulum ſibi in Eccleſia arroganter aſſumet. Quis tamen hanc hæreticorum impudentiam non execretur? Petrus voce Domini Summum in Eccleſia obtinuit primatum; ardentiſſimo Chriſtum amore proſecutus: ergo Petrus eſt Antichriſtus? Pontifex Romanus in Petri principatum ſimul cum fide ſucceſſit veritatis Magiſter, Chriſti amator, illum verum hominem, & Deum confitens: ergo eſt contra Chriſtum? Sceptrum Eccleſiæ à Chriſto ſibi collatum tenet: ergo Antichriſti caractherem habet? eſt contra Chriſtum, qui Chriſtum confitetur, Chriſtum amat, adorat, prædicat,

cat,colit, reveretur? Antichriſtus Chriſtum negabit: ergo habet caracterem Antichriſti, qui Chriſtum confitetur? Antichriſtus ſe Deum per ſummam ſuperbiam jactabit; Pontifex Romanus ſe ſervum ſervorum Dei per modeſtiſſimam humilitatem publicat: ergo habet characterem Antichriſti? quis neſciat omnes has conſequentias ſtultas, ac ſtolidas eſſe? ſic impii hæretici pervertunt nomina rerum, Vicarium Chriſti Antichriſtum, Sanctum Cæleſtinum Sceleſtinum, Sanctum Innocentium, Nocentium; Sanctum Bonifacium, Malefacium, Sanctum Leonem, Lupum appellant: exprobrant ut reos, quos judices timent; de manu Paſtoris baculum conātur excutere, ne percutiantur improbæ oves, inſaniunt phrenetici in medicum eos curare cupientem. Et mirum eſt hæreticos in ſolum Petrum, intactis aliis Apoſtolis, deſævire: ſic impii Chriſti perſecutores in ſolum Petrum vertunt quæſtionem: ***Nam & tu cum illo eras, & nulli alteri hoc dixere.*** Chriſtum in Chriſti Vicarium perſequuntur; Tartarei miniſtri non aliter putant poſſe deſtrui domum, niſi deſtruant fundamentum: amputare volunt caput, ut vigore deficiant manus; & ſcelus omne triumphet impunitum: ſed falluntur: nam ſolida ſemper firmabitur petra; nec adverſus eam vires Tartareæ prævalebunt.

176. Secundum deliramentum affert Lutherus in lib. de poteſtate Papæ; ubi dicit Jacobum minorem habuiſſe primatum Eccleſiæ; quaſi Petrus fuiſſet Eſau, a quo translatus fuit primatus in Jacob minorem fratrem, & verificaretur Prophetia, quòd major ſerviat minori; & impleretur dictum Archangeli Gabrielis, quòd Regnum Chriſti in domo Jacob, & non Petri foret. Lucæ 1. *& regnabit in domo Jacob.* Probat igitur primò. Chriſtus fuit Epiſcopus Hieroſolymæ. Apoſtoli fuerunt ejus Præsbyteri: ergo Jacob, qui poſt Chriſti paſſionem Epiſcopatum Hieroſolymæ ſortitus eſt, Chriſto ſucceſſit, vel certè Vicarius ejus eſt, & non Petrus. Secundò, quia Hieruſalem eſt Mater omnium Eccleſiarum, ut prædixerat Iſajas cap. 2. *De Sion exibit lex; & verbum Domini de Ieruſalem*: ſi ergo Hieruſalem eſt Mater omnium Eccleſiarum; ergo ejus Sponſus Jacob eſt omnium Eccleſiarum Pater, & non Petrus. Tertiò, quia Concilium Nicænum can. 7. primatum Eccleſiæ tribuit Epiſcopo Hieroſolymitano, idque ex antiqua conſuetudine, & traditione confirmat. Quartò ex authoritate Clementis lib. 6. diſpoſitionum apud Euſebium lib. 2. hiſtor. cap. 1. ubi ſic ait: *Petrus, Jacobus, & Joannes poſt aſſumptionem Salvatoris, quamvis ab ipſo fuerunt omnibus Prælati; tamen non ſibi vendicabant primatus gloriam, ſed Jacobum, qui dicebatur Juſtus, Apoſtolorum Epiſcopum ſtatuunt.* Quintò, ex authoritate Chryſoſtomi homil. 3. In acta, ubi ſic ait. *Vide Jacobi modeſtiam: is acceperat Hieroſolymis Epiſcopi munus; & tamen hic nihil loquitur. Conſidera autem, & aliorum Diſcipulorum ſingularem modeſtiam; quo pacto concedunt ei ſolium, nec amplius ambigunt diſceptantes inter ſe.* Sextò, quia quando Jacob inſtitutus fuit Epiſcopus Hieroſolymis per Apoſtolos; nullus erat alibi grex Chriſti, niſi in ea Civitate: ergo judicarunt Paſtorem gregis Chriſtiani, non Petrum, ſed Jacobum eſſe debere: & conſequenter ſolùm illos, qui Jacobo ſuccedunt in Eccleſia Hieroſolymitana, & non illos, qui ſuccedunt Petro in Eccleſia Romana; primatum in Eccleſia obtinere credendum eſt.

177. Hæc Luthæri futilia facili negotio diſſoluuntur. Et in primis inepta eſt illa duorum fratrum ad duos illos Apoſtolos accomodatio. nam juxta Sanctorum Patrum, & Sacrorum Interpretum expoſitionem per eos duos fratres Eſau, & Jacob duo intelliguntur populi: in Eſau priùs antiquo, & reprobato à Deo; populus Hebraicus primus quidem, ſed à Deo ob ipſius perfidiam reprobatus; in Jacob poſteriore electo à Deo populus Chriſtianus poſterior quidem, ſed à Deo ob ipſius fidem electus juxta illud, nonne Jacob dilexi, Eſau autem odio habui, & idcircò Angelus dixit regnaturum Chriſtum in domo Jacob, ideſt, in populo Chriſtiano repręſentato in Jacob, idque in perpetuum, ſcili-

ſcilicèt in Eccleſia militante vſque ad finem mundi juxta illud: *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſumationem ſæculi*; in triumphante autem per totam æternitatem, ut Regem, & Sacerdotem æternum; quod ex Pſal. 109. ponderavit Paul. Hebr. 5. ibi. *Tu es Sacerdos in æternum, hic autem, eo quod manet in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium*: Unde hæc Prophetia de duobus fratribus, ideſt, duobus populis ineptè accommodatur duobus Apoſtolis Petro, & Jacobo.

178. Quare ad primam argumenti probationem, Reſp. Chriſtum fuiſſe, & eſſe Pontificem, & Epiſcopum totius Eccleſiæ, non autem ſpecialiter Hieroſolymitanæ, aut alterius Diœceſis particularis; neque illi aliquis Epiſcopus ſuccedit; non enim ſucceditur, niſi illi, qui deſinit eſſe Pontifex, aut Rex; Chriſtus autem ſemper manet, in perpetuumque manebit Rex, & Sacerdos, *Regni ejus non erit finis, Sacerdos in æternum*. Neque deinde Jacobus, ſicut Petrus, generalis totius Eccleſiæ Vicarius eſt: non enim, ei, ſic ut Petro dictum eſt. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Paſce oves meas, Paſce agnos meos*. Et hunc Chriſti Vicarium Petrum, ejuſq; Succeſſorem Pontificem Romanum decebat alibi Supremi Sacerdotii Cathedram habere, quia cum antiqui minus perfecti Sacerdotii mutatione, antiquum in alium longè perfectiorem locum mutari conveniens erat, juxta illud Pauli Hebr. 5. *Chriſtus autem aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum, non manufactum, ideſt, non hujus creationis*. Ut ſic omnia nova, nova Hieruſalem cæleſtis, novæ cæremoniæ, lex nova, novum excellentiuſque Sacerdotium, novum, perfectiuſque tabernaculum formarentur. Atque ita umbra luci; figura figurato, ænigma veritati cederent.

179. Ad ſecundam probationem, dico Eccleſiam primo Hieroſolymæ incæpiſſe: quia ibi peracta noſtra Redemptio fuit, baptizati, & facti primi Chriſtiani, promulgata lex gratiæ; primaque Diæceſis erecta: at ibi fuit primus poſt Chriſtum Pontifex Petrus totius Eccleſiæ per orbem mox extendendæ Univerſalis Paſtor; & hanc Diæceſim de aliorum Apoſtolorum conſenſu Jacobo aſſignavit, quod quidem Petri primatui non derogat; qui dum erat totius Eccleſiæ Paſtor, neceſſario partis Eccleſiæ, videlicet Hieroſolymæ Paſtor erat. Ita reſpondet D. Bernard. lib. 1. de conſiderat. ibi. *Jacobus una Hieroſolyma contentus univerſitatum Petro cedit*. Ita etiam reſpondent Chriſoſt. & Euthym. in cap. ult. Joannis.

180. Ad tertiam probationem. Lutherum Concilium Nicænum haud legiſſe ſatis apparet: ibi enim Epiſcopo Hieroſolymitano quartus in ordine ſedendi locus datur: & nullus locus quoad juriſdictionem extra peculiarem ſuā Diæceſim: nam ut inferior Epiſcopus Cæſarienſi Epiſcopo totius Paleſtinæ Metropolitano ſubiicitur; quod Bellar. lib. 1. c. 26. adnotavit: ex quo enormis hæreticorum in allegandis Sacris Conciliis inſiditas improbatur.

181. Ad quartam, ubi contra nos duo ſtare videntur; videlicèt, quod Jacobo primatus fuerit adſcriptus; & deinde Jacobus ibi Apoſtolorum Epiſcopus, conſequenterque Diſcipulorum, Chriſtianorumque omnium afferatur: ac proinde ſolus Jacobi Succeſſor Hieroſolimæ, & non Petri Succeſſor Romæ Summus totius Eccleſiæ Pontifex dici, haberique debet. Hæc tamen nullius momenti ſunt: Primò, quia ut bene probat Bellar. cit. in opere correcto Euſebii allegati, nomen primatus non invenitur: & in codice emendatiori, non Epiſcoporum, ſed Hieroſolymorum Epiſcopus legitur: ibique aſſerit Bellar. hanc lectionem cum Græco, tam Vaticanæ, quàm Pariſienſis bibliothecæ codice cohærere; & ita correctus à Nicephoro lib. 2. cap. 3. allegatur. Secundò, quia Euſebius ipſe in eodem libro cap. 14. Petrum Apoſtolorum maximum, & primorum Principem, ut jam ſupra vidimus, appellat.

182. Vel ergo ſibi ipſi contrarius eſt; vel codicem illum ſiuè Typographi errore, ſiuè alicuius hæretici fraude falſatum fuiſſe neceſſariò deducitur.

Ter-

Tertiò tandem:quia duobus modis vox, *Primatus*, intelligi poteſt, primo ratione temporis, videlicèt, quod prius fuerit conſtitutus. Secundo ratione juriſdictionis magis univerſalis; hoc eſt, quod in univerſali Eccleſia primatus ſit: & quidem primum Jacobo libenter conceditur: quia primus fuit, cui ſpecialis diæceſis aſſignata eſt. Secundum ſoli Petro conceditur; cui ſoli à Chriſto Domino dictum eſt: *Super te ædificabo Eccleſiam meam; paſce oves meas*. Duobus præterea modis Jacobum Apoſtolorum Epiſcopum dici intelligendum eſt. Primo modo; quod ab Apoſtolis inſtitutus, conſecratuſque fuerit; Secundò, quod illorum Rector, ſuperiorque extiterit. Primum Jacobo, ſecundum ſoli Petro, cui omnes Apoſtoli, fideleſque ex Chriſti præcepto debent obedire; concedimus.

183. Ad quintum dico per modeſtiam Jacobi tacentis in concilio; & per modeſtiam Apoſtolorum Jacobo ſpecialis Diæceſis ſolium concedentium, nihil Petri primatui derogari: licet Jacobus in eo Concilio Hieroſolymæ congregato poſt Petrum ante reliquos Apoſtolos, ſpecialis ſuæ Diæceſis ratione loqui poſſet; per modeſtiam tamen locutus non fuit: ut ait D. Chriſoſtomus, quamvis poſtea fuerit locutus, ut ait textus act. 15. n. 13. certè hoc argumentum Lutheri eſt frivolum, & deridendum: nam ex verbis D. Chryſoſtomi nihil tale volentis ſignificare infert Epiſcopum Hieroſolymitanum eſſe caput Eccleſiæ: & ex verbis Chriſti tam clarè ſignificantibus Petri, & ejus Succeſſoris primatum, illum negat, & licèt alii Apoſtoli Petro, quilibet, ut ſibi Epiſcopatus daretur, obſtare poſſent; omnes tamen abſque ulla contradictione in eligendo Jacobo unanimiter conſenſerunt. Unde ergo hîc Petri primatûs derogatio fuit? Ad ſextum jam Apoſtolos omnes Petrum, ut Supremum Paſtorem, totiuſque Eccleſiæ Univerſalis Epiſcopum agnoſcere, revereriq; quare eligendo Jacobum Paſtorem, & unius Eccleſiæ particularis Epiſcopum, primatui Petri non derogabant: ex quibus perſpicuum fit, quàm futilia ſint, quæ perduelles hæretici ad negandam ſupremam Petro, ejuſque Succeſſoribus Pontificibus Romanis juriſdictionem ſuper omnes Chriſti fideles tam toto orbe diſpoſitos, quàm in Concilium congregatos vanè adducunt.

184. Tota hæc doctrina de Suprema Petri, ejuſque Succeſſorum Romanorum Pontificum ſuper Univerſalem Eccleſiam, univerſaleque Concilium eam repræſentans juriſdictione, ex divina Scriptura, Sacroſanctis Conciliis, ſacris Canonibus, Sanctiſque Patribus, & ex argumentis in contrarium ſolutis, prout in præcedentibus Diſceptationibus latè vidimus, manifeſtiſſimè probata; ulterius ſequenti Diſceptatione corroborabitur; quam in examinanda Recentium Gallorum doctrina paulo amplius expendemus.

DISCE,

DISCEPTATIO QVARTA.

Recentium Gallorum contra Romani Pontificis ſupra Concilium Supremam in terris authoritatem Sophiſmata refelluntur.

ALiqui Pariſienſes Doctores Catholici, præſertim, ex Sorbonica, veteris Eccleſiæ traditionis immemores, imo contemptores, Univerſali Concilio legitimè congregato ſupremã authoritatem ſupra Romanum Pontificem Supremum in terris Chriſti Vicarium audacter aſcribunt; adeo ut aliqui ex ipſis minùs cauti, audacioreſque non dubitaverint hanc ſuam ſententiam de fide eſſe ſancitam: in hac igitur diſceptatione in trutinam reducenda ſunt eorum præcipua fundamenta, ſeu potius inanis larva ſophiſmatum; quæ licèt inſipientes, parumque doctos prima facie deterreant, à ſapientibus tamen, maturè; exactèque rem conſiderantibus rideri potiùs, quàm formidari conſueſcunt.

SECTIO I.

Repelluntur, quæ contra veram noſtram doctrinam à Dupino Doctore Gallo ineptè adducuntur.

1. LUdovicus Ellies Dupin Theologię facultatis Pariſienſis Doctor, ut ſuam, contra veram noſtram doctrinam, opinionem ſtabilire poſſit, duo aſſumit principia vera quidem, ſed à ſe perperam applicata. Primum principium eſt. *Ille habet ſupremam poteſtatem, qui poteſtatem habet ſecundum originem, & virtutem.* Secundum principium: *Ille non habet poteſtatem ſupremam, qui tantùm poteſtatem habet ab alio ſibi comiſſam.* Primum illud principium applicat ſoli Eccleſiæ, cùm verò non ſit poſſibile, inquit ille author, univerſam Eccleſiæ ſocietatem convenire, & judicare per ſe, ſed tantùm per Concilium generale; quod cùm univerſam Eccleſiam repræſentet, habet univerſam Eccleſiæ poteſtatē in ſe inunitã; ideo ſuprema illa poteſtas univerſali Concilio inſit, oportet. Secundum principium particularibus Epiſcopis, ac Sacerdotibus, ac ipſi Romano Pontifici adaptat: quia, inquit, Romanus Pontifex, cęterique Prælati eam, quam habent poteſtatem, ab ipſa Eccleſia accipiunt: ex quo deducit Summum Pontificem in univerſam Eccleſiam poteſtatem, authoritatemque non habere, ſed potiùs ipſi Concilio in Summum Pontificem arrogari. Ego cum ſanctis Patribus, & Conciliis, ut ſuprà latiſſimè vidimus; illud principium Romano Pontifici adapto: ex quo deduco Summum Pontificem in totam Eccleſiam, & à fortiori ratione in Concilium illam repræſentans authoritatem habere: quare ſi hoc principium aſſumptum Romano Pontifici applicetur; ſecundum verò principium ipſi Eccleſiæ, & Concilio illam repræſentanti adaptetur, non poterit negare Dupinus ex diſcurſu à ſe facto Sūmum Pontificem Supremum in terris Chriſti Vicarium poteſtatem, auctoritatemque in univerſam Eccleſiam, & in univerſale Concilium illam repræſentans obtinere. Tota lis, & totiùs quæſtionis vertitur cardo, cui potiſſimùm, Pontificine, an Eccleſiæ, Univerſalive Concilio debeat illud primum principium applicari. Maniſeſtiſſimè à nobis ſupra in diſceptatione 1. per totam; ex Sacra Scriptura, juxta unanimem Sanctorum Patrum conſenſum, interpretationemque expoſita, ex Sacrorum Canonum, Sanctionibus, Pontificum Decretis, Conciliorum etiam Generalium determina-

tionibus, & Theologicis rationibus efficaciſſimis, nervoſis, ac inſolubilibus demonſtratum eſt eam Supremam poteſtatem non Concilio in Pontificem Romanum; ſed Pontifici Romano in Concilium arrogari: deinde pro authoritate Concilii ſupra Papam, ſolùm aliqua conciliabula, & aliqua Concilia quoad rem illam improbata; nulliuſque ponderis allegantur: & pro illa opinione citantur vel hæretici perduelles, vel pauci aliqui Catholici Romanæ Sedi prorſus adverſi: ergo tota moles argumenti à Dupino vanè fabricata corruit.

2. Sed videamus jam, quibus nitatur fundamentis Dupinus. Primò, Patres tam Græcos, quàm Latinos adducit: ſed hi tam clarè loquuntur pro noſtra, & vera ſententia; ut dum in illis Dupin fundatur, nihil aliud agit, quàm in ſtimulis ipſum pungentibus pedes figere, videantur igitur Patres illi ſupra diſceptat. 1. ſect. 3. & inſpicies, quàm oppoſita huic authori teſtimonia prodiderint. Cæterùm cùm ipſe viderit illorum authoritate parum juvari, Abulenſis teſtimonio maximè fidit. in cap. 13. Num. q. 48. cujus verba in longum protrahit diſſertat. 6. §. 1. pag. 383. & ita leguntur: *Si tamen intelligeretur claves traditas eſſe Petro ſpecialiter, non ſolùm intelligeretur inconvenienter, quod inducitur, ſcilicèt, quod alii Apoſtoli non habuiſſent &c. Sed adhuc inconveniens majus erat, quod defuncto Petro non manſiſſent claves, quod neceſſe erat, ſi ſoli Petro datæ fuiſſent, & non ſolùm ſi ipſi ſoli, ſed etiam ſi omnibus Apoſtolis datæ fuiſſent tanquam determinatis perſonis, defunctis illis, non manſiſſent claves, &c. ergo non fuerunt datæ claves illis tanquam determinatis perſonis, ſed tanquam miniſtris Eccleſiæ; & tunc magis dabantur claves Eccleſiæ, cum Eccleſia, quæ ipſas habet radicaliter, nunquam moriatur. Hinc leviter apparet, quomodo mortuo Petro ſuccederent alii Summi Pontifices in æquali poteſtate; quia illa poteſtas clavium erat in Eccleſia &c. non tamen eam haberet Eccleſia, niſi in principio ei tradita fuiſſet: quia juriſdictio clavium non eſt talis, quales ſunt juriſdictiones, quas conſtituunt ſibi homines; quia cum juriſdictio ſit in remittendo peccata, & ligando, non poſſunt eam homines ſibi fingere, ſed à Deo ſolo eſt; cum ipſe ſolus remittat peccata, in Eccleſia autem eſt ipſa juriſdictio: ergo oportet, quòd illam aliquando acceperit, & hoc non fuit, niſi, cùm primò traditæ ſunt claves à Chriſto.* Et quæſt. 49. ait Prælatos Eccleſiæ habere tantum uſum clavium, Eccleſiam verò dominium clavium obtinere; quemadmodum uſusfructuarius, uſum tantùm obtinet, non proprietatem; unde hic uſus non ab uſufructuario, ſed à Domino proprietatis conferri poteſt. Hac Toſtati authoritate, quaſi foret aliquod Divini Numinis oraculum, exultans videtur ſibi triumphare Dupinus, in hæc verba prorumpens: *Ita Epiſcopus Abulenſis opinionem noſtram, quæ Sacræ Facultatis Pariſienſis eſt, mirum in modum illuſtrat, & invictè probat; ita ut nihil à nobis addi poſſit ad eam explicandam, aut aſſerendam.*

3. Ego ſupponendo nunc Toſtati ſententiam horum Pariſienſium Doctorum ſententiæ aliquantulùm favere quæro; quis tantus iſte triumphus? quod in hoc tam ſublime trophæum erigunt? Unus ne Toſtatus eximiis quatuor Eccleſiæ Doctoribus Auguſtino, Gregorio, Hieronymo, Ambroſio, aliiſque ultra numerum Doctoribus ſapientiſſimis, & virtutum ſplendore conſpicuis, tot præſtantiſſimis Patribus, tam Græcæ, quàm Latinæ Eccleſiæ luminibus, tot Conciliorum Decretis, & Pontificum; quos in Altaribus adorat Eccleſia, ſanctionibus præferendus eſt? an ne lux unius nitedulæ ſufficiet tot ſoles fulgentiſſimos Eccleſiæ obſcurare? Ecce tot hi Doctores, & fortiſſimi bellatores pro noſtra vera ſententia, ut in noſtro citato loco vidimus, acerrimè decertant; non ne erit ridendus, & exſibilandus, qui tam numeroſo fortiſſimorum militu exercitui unum militem velit opponere; & in eo ſpem victoriæ collocare? Verùm hoc prætermiſſo, quæro ex Dupino, an velit hanc Toſtati doctrinam Regibus adaptare? an Regibus generaliter etiam ſolum juriſdictionis Regiæ uſum, populi verò juriſdictionis proprietatem arrogare velit? juriſdictio-

ctionem regiam, omnemque aliam juriſdictionem à ſola cõmunitate, ſeu Republica in Regem, & inferiores judices derivari dicet? credo minimè dicturum, ſi in ſuis Sorbonicæ Facultatis principiis perſiſtere velit: en Dupinus eodem ſe figit Toſtati gladiolo, quo alios figere molitur.

4. Reſpondebit hîc Dupinus, quod ipſe alibi docet, Regiam poteſtatem immediatè à Deo, & non à Populis in Reges derivari; at jam nunc ſuum Toſtatum deſerit; qui generaliter edocet, juriſdictionem à communitate manare, Deumque ipſum (etiam ſtando in ſententia docente Regiam juriſdictionem à Deo immediatè conferri) primùm communitati illam dare; & ab ipſa cõmunitate Regibus, prælatiſque promanare; nec ſua regula generali Supremum totius orbis Chriſtiani moderatorem Pontificem Romanum excipit, ut contendit Dupinus; & ideo iactat ſe de reportato triumpho: erravitne Abulenſis Epiſcopus, ſi in ſua illa regula comprehendit Chriſtianiſſimum Regem unius partis mundi dominatorem; & in ſua fallibili regula Supremũ in terris Chriſti Vicarium non unius tantùm partis mundi; ſed totius orbis Chriſtiani Rectorem, Principemque comprehendens, non erravit? Credendum ne eſt majus privilegium Regibus ſecularibus quò ad res non tanti quidem momenti, ut eſt æterna ſalus, caducas, temporaleſque à Deo fuiſſe collatum; ut independenter à ſuis ſubditis Regiam juriſdictionem, poteſtatemque acciperent; & ab eodem Deo negatum fuiſſe hoc privilegium ſuo in terris Vicario, non in una duntaxat orbis parte, ſed in univerſo Chriſtiano orbe regnanti, quò ad res maximi negotii, & momenti, videlicèt ad æternam hominum ſalutem; ut ſuam illam univerſalem in toto mundo Chriſtiano juriſdictionem non à Deo, ſed à populis acciperet? Nonne veriſimiliùs eſt credendum temporalem Regiam poteſtatem à populis temporalibus, qui idcirco illam poſſunt habere, in Reges promanare; illam autem poteſtatem, quæ eſt ad remittenda peccata, quæ ſolus Deus poteſt remittere, non ab hominibus, ſed à Deo fuiſſe Romano Pontifici collatam? Quis non videat Dupini argumentum, quo ſe triumphaſſe vanè jactabat, ex Toſtati doctrina depromptum, futile quidem, & inane prorſus eſſe?

5. Supereſt nunc Abulenſis doctrinam in examen adducere; qui ſub illa ſatis prolixa verborum ſuperfluitate tria, quæ paucis complecti poterat, inutiliter aſſeruit. Primum Chriſtum Dominum claves Eccleſiæ dediſſe ſub Petri nomine; non Petro ipſi ſpecialiter; & hoc probat: quia ſi ſoli Petro concederentur; mortuo illo, claves ceſſarent, quod eſt falſum; cum ergo, inquit, conſtet, in Eccleſia claves eſſe, nec potuiſſe à Petro jam mortuo ipſi Eccleſiæ conferri, concedere oportet fuiſſe à Chriſto Eccleſiæ Petri nomine datas; neque enim, inquit, aliter probabile erat tradi claves Eccleſiæ, niſi tradendo illas uni, qui eas pro ipſa Eccleſia, & nomine ipſius acceptaret. Secundum, Sede Apoſtolica per obitum Pontificis vacante, Eccleſiam ipſam claves novo Pontifici conferre; quia, inquit, non apparet alius à quo conferantur. Tertium vſum clavium in Pontifice, proprietatem verò in Eccleſia radicaliter, ſeu habitualiter manere.

6. Hæc Abulenſis doctrina ſatis lubrica, & difficilis eſt; imo pace tanti Doctoris ab ipſo parum conſiderata. In primis, claves Petro ſpecialiter, & ut ſoli determinatæ illi perſonæ non fuiſſe collatas non poteſt in quæſtionem revocari; aliter primatus Eccleſię in ſolo primo Pontifice finiretur; quod hæreticum eſt: neque id nunc ad noſtram quæſtionem ſpectat: unde quò ad primum animadvertendum maximè eſt; duobus potuiſſe modis Chriſtum Eccleſiæ claves conferre; quod jam ſupra latiùs diſceptat. 1. conſideravimus. Primus modus eſſe potuit ille ab Abulenſe aſſignatus; videlicèt, fuiſſe datas juriſdictionis claves Eccleſiæ, ut ab Eccleſia Petrus eas acciperet; & ſic de aliis Petri Succeſſoribus Pontificibus Romanis dicendum eſt. Secundus modus eſt, ſi Petro, ejuſque omnibus in Petri dignitatem ſuccedentibus, collatæ fuerint claves juriſdictionis;

ctionis; ut ipſe Petrus, ejuſque Succeſſores eam juriſdictionem toti Eccleſiæ per ſuos gradus diſpergerent. Si primo modo claves traditæ fuerunt; omnia illa conſectaria ab adverſariis deducta, neceſſario conſequuntur; & ſic Romanus Pontifex Eccleſiæ, eamque repræſentanti Concilio ſubiicietur; ab eaque judicari, puniri, ac deponi poteſt. Si ſecundo modo claves collatæ fuerunt, neceſſariò ea omnia conſectaria deducuntur; quæ ob Auctoribus noſtram, & veram ſententiam propugnantibus colligi conſueſcunt; videlicèt, Eccleſiam, & univerſale Concilium eam repræſentans, Summo Pontifici ſubeſſe, poſſeque ab eodem Pontifice approbari, vel improbari; à nulloque Concilio etiam univerſali poſſe Pontificem Romanum judicari; nec ipſius Concilii ſententiam ultimam eſſe; ſed ab illo ad Papam provocari poſſe; & nullo modo à Papa in Concilium; & omnia illa, quæ Sedis Apoſtolicę authoritatem commendant, privilegia declarari.

7. Negabit ne Dupinus vno ex his duobus modis Chriſtum potuiſſe Eccleſiæ ſuæ claves juriſdictionis concedere; vel illas Eccleſiæ concedere; ut ab ipſa Petrus eas acciperet: vel eaſdem Petro concedere, ut illas ipſe concederet Eccleſiæ? certè id non negabit: cùm vterque concedendi modus repugnare non videatur: at nunc quæro, qualem ex his modis de facto Chriſtus conceſſerit? primum ne, an ſecundum? certè cùm id ex ſola Chriſti libera voluntate pendeat, nulla poteſt humana ratione probari, niſi ex aliquo Sacræ Scripturæ teſtimonio, ex aliqua traditione, vel communi Patrum conſentione. Inficiabitur ne hic author pro conceſſione clavium primùm facta Petro Sacrâ ſtare Scripturam, Patrum conſenſionem, conciliorum decreta, Canones Sacroſanctos, & innumeros DD. doctrinâ, & religione præſtantiſſimos? ſit hoc negat, apertam veritatem negat; ut videri poteſt in tota noſtra Diſceptatione 1. Dicet pro conceſſione primùm facta Eccleſiæ, & ab Eccleſia Pontificibus Romanis ſtare plures Doctores, quorum unus, & præcipuus prædictus Abulenſis, Gerſon, & alii. Ego tibi id concedo: ſed exquiro, horum ne hominum teſtimonia tantæ ſunt authoritatis, ut cæteros alios, quos ſupra longo agmine citavimus, inter quos quatuor Eccleſiæ Doctores. D. Th. D. Bonau. D. Bernar. omnes Academiæ, una duntaxat Sorbonica excepta, & ex eadem plures etiam Doctores, ut infra videbimus, recenſentur, prorſus contemnas? in re tanti momenti, & negotii ad æternam ſalutem ſpectantis graviſſimis teſtimoniis, veterum monumentis, antiquis traditionibus, paucos homines, ſine ullo nervoſo fundamento, imo debilibus rationibus obarmatos præferendos eſſe judicabis? quæ prudentia tutam pro lubrica, periculoſaque viam deſerere? quæ ſapientia ſapientiores non amplecti? quæ religio, & pietas plus religioſis, piiſque hominibus non adhærere? Deinde ſpecialiter contra Toſtatum, qui ait Chriſtum non Petro, ſed ejus nomine claves ipſi Eccleſiæ dediſſe; ſi Chriſtus voluiſſet dare cõmunitati claves, & non ejus capiti Petro; cur non dixit Apoſtolis ibi aſtantibus, & univerſam tunc Eccleſiam repræſentantibus, cùm poſſet id facillimè facere: *Vobis trado claves*, ſed ſoli Petro, dixit: *tibi dabo claves*? ſi actus paſcendi, regendique actus eſt juriſdictionis; cur ſoli Petro primùm dixit: *Paſce oves meas*; & non Apoſtolis, *vos paſcite gregem meum*? ſignum ergo evidentiſſimum eſt Chriſtum ſecundo illo præfato modo contuliſſe claves Eccleſiæ ſuæ, videlicèt Petro; & in eo Pontifici Romano ejus Succeſſori, ut à Petro tanquam à capite in reliquos tanquam in membra congruè poſſet juriſdictio derivari; conſequenterque totum Toſtati, Dupinique ut pote arenæ mobilis fundamentum corruere manifeſtum eſt. Nec multùm curandum de authoritate Navarri in cap. Novit. de judiciis; ubi dicit ſe nolle definire illic litem Romanorum, & Pariſienſium circa juriſdictionem vel datam primò Eccleſiæ, vel datam primò Romano Pontifici: nam ſi illa rem ex profeſſo tractare noluit; non impedit, quòd alii de hoc ex profeſſo tractent, ut ego facio, & hîc ſpecialiter contra Dupinum nobis contrarium.

8. Ex quo etiam deducitur falſum eſſe ſecundum, & tertium Abulenſis aſſertum: neque Collegium Cardinalium, qui ſunt electores Pontificis Papalem habent juriſdictionem, quam novo Pontifici conferre poſſint; ſed hanc Põtifex electus, facta legitima electione, ſtatim à Chriſto immediatè accipit; prout eam in Petro omnibus ejus Succeſſoribus Pontificibus Romanis ad ſtabilem, firmamque ſuæ Eccleſiæ, ad finem uſque mundi, perenitatem promiſit, dicens: *Tibi dabo claves &c.* unde falſum omnino eſt dicere ſolùm vſum clavium, & non proprietatem Petro; & cum illo cæteris ejus Succeſſoribus tribuiſſe; ſi enim Chriſtus illi dumtaxat uſum conferre vellet: diceret: *Tibi dabo uſum clavium, & non claves.*

9. Secundò, aſſerit Dupinus diſſertat. 6. §. 1. pag. 385. ſuam opinionem eſſe communem Summorum Pontificum diſciplinam per hæc verba. *Præterea Romanis Pontificibus adeo perſuaſum fuit Concilii authoritatem ſuâ majorem eſſe; ut ultro ipſi Concilia poſtularint, tanquam ad dirimendas controverſias neceſſaria; ſuaque judicia in illis retractari poſtularint, aut ſaltem paſſi fuerint, docet id conſtans, ac perpetua Romanorum Pontificum diſciplina.* Hæc Dupinus, neſcio qua fronte, eructavit; quæ quàm falſa, & à veritatis tramite aliena ſint, manifeſtè videre potes in hoc noſtro tractatu tota diſceptat. 1. Ubi clariſſimis teſtimoniis fuit comprobatum Concilia etiam univerſalia nihil vigoris habere, niſi à Summo Pontifice approbentur; & ſine Pontifice Romano Concilia dici non poſſe, imo eſſe velut ſine capite truncum, ſine radice arborem, ſine fundamento domum ſubitò collapſuram, ſoloque æquandam. Sed hoc molitur probare ex quintæ Synodi generalis authoritate; quæ loquendo de primo ab Apoſtolis coacto Concilio, in hunc modum profatur: *Licèt Spiritus Sancti Gratia circa ſingulos abundaret Apoſtolos, ut non indigerent alieno conſilio ad ea, quæ agenda erant; non tamen voluerunt, de eo, quod movebatur, ſi oporteret gentes circumcidi, definiri, priuſquam communiter congregati diverſarum Scripturarum teſtimoniis, unuſquiſque ſua dicta confirmaverunt; unde communiter de eo ſententiam protulerunt ad Gentes ſcribentes: viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis &c. Sed & Sancti Patres, qui per tempora in Sanctis quatuor Conciliis convenerunt antiquis exemplis utentes communiter de exortis hæreſibus, & quæſtionibus diſpoſuerunt certo conſtituto, quod in communibus de fide diſceptationibus, cùm proponuntur, quæ ex utraque parte diſcutienda ſunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacii. Nec enim poteſt in communibus de fide diſputationibus aliter veritas manifeſtari; cum unuſquiſque proximi adjutorio indiget.*

10. Sed hęc quid faciunt ad noſtram queſtionem? Num nos negamus neceſſaria aliquando eſſe Cõcilia? Primum probare debuerat hic author non poſſe Papam omnino ſine Conciliis veritates fidei definire; hoc verò ex eo citato loco non probat: imo, quòd Summus Pontifex extra Concilium articulos fidei definire poſſit, ſatis, abundeque demonſtrabitur infra, cum egerimus de infallibilitate Romani Pontificis in determinandis, definiendiſque fidei cauſis. Quòd verò Papa ſæpe indigeat ad definiendum Concilii ope; hoc ne probat Concilii authoritatem Romani Pontificis authoritate majorem eſſe? an quia Rex in ſuo Regno ſupremus non niſi Doctorum conſilio; aliorumque Sapientium, & Magiſtratûs ope cauſas decidat, illorum hominum conventum, majorem, quàm Regem, authoritatem habere dices? certum quidem eſt, ſi ſapiens, ſi prudens ſis: te hoc non eſſe dicturum: plus ergo authoritatis uni Principi temporali minori arrogas, & Supremo totius Chriſtiani orbis moderatori Romano Pontifici minus authoritatis aſcribis? Fruſtra igitur Dupinus defatigatur in congerendo multorum Patrum teſtimonia, ad Conciliorum neceſſitatem comprobandam, cùm ex ea Conciliorum neceſſitate majorem eſſe Concilii, quàm Papę authoritatem ineptè deducatur.

11. Omiſſis ergo, quæ innutiliter accumulat hîc Author: ſolum primò reſpondere volo authoritati Romani Pontificis Innocentii III. lib. 3. Regeſt. 15. epiſt.

15. epiſt. 104. Ubi reſpondet Philipo petenti, ut ſibi liceret cum uxore diuortium facere, per hæc verba: *Verùm ſi ſuper hoc abſque Generalis deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offenſam, & mundanam infamiam, quam ex eo poſſemus incurrere, forſan ordinis, & officium nobis periculum immineret*. Ex his verbis, infert ſic prædictus adverſarius; *Putavit ergo poſſe aliquid Concilium univerſale, quod ſibi facere non liceret: ac proinde authoritatem Concilii ſuâ ſuperiorem agnovit*. Quis non videat futilem iſtius authoris conſecutionem ex Innocentii verbis deductam? Innocentius dixit ſe rem illam non poſſe facere ſine unius Concilii, propter gravitatem negotii, conſultatione: ergo agnovit authoritatem Concilii ſuâ eſſe ſuperiorem? Applica nunc eamdẽ arguendi formam alteri materiæ, ſic: Rex dixit ſe non poſſe hanc rem, ſine ſuorum deputatorum, Conciliorumque conſultatione, & determinatione: ergo Rex authoritatem illorum hominum ſibi ſubditorum ſuâ ſuperiorem agnovit? Debuerat hic author diverſas Regis, & ſuorum conſultorum facultates diſtinguere; & ſic infeliciter illam conſecutionem non deduceret: poterat inferre majorem in concilio, & in conſultoribus rerum peritiam, quàm in Pontifice, quàm in Rege; majorem poteſtatem deducere nullo modo poterat.

12. Secundò reſpondendum duxi alteri Gregorii X. teſtimonio in indictione Concilii Lugdunenſis, quem Pontificem agnoviſſe ſe Concilio inferiorem, neſcio, quo fundamento citatus author aſſeruit. Ut tamen hujus authoris falſitatem apertè videas, tibi ob oculos pono verba Pontificis, quæ ſunt hæc: *Ad quod, cùm nos ſufficere non poſſe ſciamus, levamus oculos ad montem, montem quidem Dei, montem uberem, montem pinguem: unde opportunum nobis provenire auxilium, & humiliter petimus, & devotè ſperamus: & quia ſalubre in his adhiberi remedium intereſt generaliter omnium nos dum fratribus noſtris, aliiſque viri prudentibus exacto, & frequenti tractatu præhabito; prout tantæ neceſſitatis inſtantia exigebat, de ipſorum conſilio Generale Concilium, ſicut imitatione digna Sanctorum Patrum conſuetudo laudabilis, longæque obſervationis exemplum nos inſtruit, opportuno tempore decrevimus congregandũ; & in eo tam circa præmiſſa, quàm circa cætera, quæ ſalutem reſpiciunt animarum, illa Deo auſpice, communi conſilio inveniatur proviſio, & ejuſdem approbatione Concilii roboretur*.

13. Hęc ſunt verba Pontificis, quem Dupino, pro tua citas opinione, & ſolùm contra tuam opinionem citare debueras, fatetur ne ſe ſubditi definitioni Concilii; qui ſe definire dicit, *Decrevimus*? qui præcipit convocari concilium? expectat ne Concilii definitionem à ſolo ipſo Concilio faciendam; qui ſolum Concilii approbationem expectat? Approbare quidem poteſt inferior; at unde deducitur, eum, qui approbat, qui, ut dixi, poteſt inferior eſſe, ut ſuperiorem definire? Papa ſæpe definit, ſacro approbante Cardinalium collegio, inde Cardinales ſupra Papam eſſe deduces? Requiritur Concilium, ut maturius examinet, exploretque opportuna remedia, quibus ipſe inſtructus Pontifex tanquam Judex Supremus melius definiat, quid ipſe definire debeat; an tunc Superioris dignitatem amiſit; quia ſapientioribus conſilium, ut rectè judicet, accipit? Num nos contendimus Pontificem habere major ſapientiam, dum aſſerimus majorem poteſtatem habere? Epiſcopi Conciliarii ſunt Romani Pontificis, non judices; illos non convocat ut ſibi judices, ſed ut conſiliarios expoſcit, ut Doctores conſulit; ut cum illis ipſe definiat; eorumque ſententiæ præſtet vigorem: & ut id, quod intendit ipſe decernere, tam inferioris doctrinâ, approbationeque Concilii, quàm Romani poteſtate Pontificis roboretur. Vides, ut eo, quo nos percellere gladio Dupinus moliebatur, infeliciter ipſum fuiſſe perculſum?

14. Denique prædictus author putat ſe negotium conficere, authoritate D. Auguſtini epiſt. 162. Ubi Donatiſtis Romæ à Pontifice, Synodoque proſcriptis; ita ſcribit: *Ecce putemus illos Epiſcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos fuiſſe Judices, reſtabat adhuc plenarium*

Eccle-

Eccleſiæ univerſæ Concilium, ubi etiam cum ipſis judicibus, cauſa poſſet agitari, ut ſi malè judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur. Ex quibus verbis, ſic Dupinus conſecutionem ſequentem deducit: *Haud dubitavit ergo Divus Auguſtinus majorem authoritatem eſſe Concilii plenarii, ac Generalis* (generale vocavit, & plenarium illud ex tota Africa, Hiſpania, Italia, aliiſque Provinciis, non ex univerſa prorſus Eccleſia); non, inquam, *dubitavit; quin hujuſmodi Concilium, Romani Pontificis, & ejus Synodi, quæ nouem erat Epiſcoporum, judicium infirmare poſſet, ac ſolvere*. Hæc Dupinus; at quàm ineptè ad ſuæ propoſitum quæſtionis! fatetur hic author Concilium illud eſſe particulare; extra propoſitum ergo profert hocConcilium, quod ſolùm eſt particulare, ad probandum Pontificem Romanum Cõcilio Univerſali eſſe ſubiectum: audebit ne dicere Supremum in terris Chriſti Vicarium inferiorem, quàm particulare Concilium, authoritatem habere, & eundem Romanum Pontificem, vni particulari Concilio Pariſienſi v.g. ſubditum eſſe, & ab eo poſſe judicari, & definitiuâ ſententia puniri? In hoc certè oſtendit hic author Auguſtini verba, ſenſuſque minimè percepiſſe. Sanctus Auguſtinus ad convincendos illos perduelles Donatiſtas; qui hæretica pertinacia eis, quæ Romæ Vaticani Oraculo fuerant definita, obluctabantur; ita illos arguebat, putemus, ideſt, ſupponamus, definita Romæ vera non eſſe; ecce nunc habetis plenarium multorum Patrum, præſulumque ſapientiſſimorum conventum, quoniam vos hæretici abſenti Pontifici, qui lingua eſt Spiritus Sancti non creditis; ſupponamus hunc bonum non fuiſſe judicem, tot Patres hic congregatos falſos eſſe judices credetis? an ne definit inferiorem eſſe, quem ad perduelles convincendos, permittit interim eis hæreticis non eſſe verum judicem, ſuperioremque illum, qui abſolutè verus, & Superior Judex eſt? qui permittit quaſi falſum, id, quod eſt verum, ut aliquam veritatem probet; non falſum, ſed verum probare intendit. Docere ne vellet Auguſtinus particulare illud Concilium Superius eſſe Pontifice; qui toties, ut ſupra vidimus, dixerat, ab Africano particulari Concilio ad Pontificem, ut cauſa ultimò finiatur, provocandum eſſe? Crederet ne Auguſtinus Concilium illud plenarium eſſe ad inducendam infallibilitatem fidei, quam jam eſſe certo infallibilem credebat, & non potius plenarium ad pleniorem facti notitiam, quæ inter plures, & præſentes in Africa, & aliis Regionibus, quàm inter paucos, & abſentes Romæ faciliùs poſſet acquiri? fatendum igitur eſt erraſſe Dupinum, dum Auguſtini verba pro nobis dilucida ad ſuos ſenſus pravos detorſit. Omitto cætera, quæ hùc author iſte accumulat, quæ vel nihil probant; vel ipſo lumine naturali, niſi ex compoſito claudantur oculi, falſa eſſe comparent.

SECTIO II.

Oſtenditur falſitas prædicti authoris dicentis Pontificem Romanum Concilii legibus teneri non ſolum directiuè, ſed coactiuè, nec poſſe illas immutare.

15. DVpin. diſſertat. 6. §. 3. ſit ait: *Sequitur hæc propoſitio ex præcedenti; nam ſi Papæ authoritas inferior eſt authoritate Concilii; ſi judicium Concilii ſuperius eſt judicio Pontificis; cùm inferior nihil poſſit in Superiorem, neceſſariò dicendum eſt leges, & judicia Concilii Generalis non poſſe à Romano Pontifice pro libito diſſolvi, aut mutari; at vice verſa, cum ſuperior inferiori leges dicere poſſit, Pontificem Romanum Conciliis, & legibus teneri fatendum eſt*. Hoc Dupinus deduxit ex falſo antecedente, & ideo omnino falſa omnia, quæ ex falſo deducit; ut ſi inferret equum eſſe riſibilem, quia equs eſt homo; ex falſò falſum deduceretur. Quòd verò falſum ſit antecedens à Dupino præmiſſum, jam ex dictis meridiana luce clariùs conſtat, & ex ſolutione eorum, quæ hic author adglomerat, lucidiùs apparebit.

16. I. Adducitur Julius 1. epiſt. ad Orientales: *Id verè ad Synodl, & Epiſcoporum, qui in Concilio (Nicæno) fuerant,*

rant, contumeliam vergeret, ſi quæ illi tanto ſtudio, & cura, velut Deo præſente egiſſent, à nobis, vt vana, futiliaque ab rogarentur, & infra. Nos omnia ſecundum canonem facimus. Miror hominem doctum ex hoc teſtimonio majorem Concilii, quàm Papæ, authoritatem deducere! An quia ſecundum Concilium Univerſale, ac legitimum ea, quæ primum decreverat ſummo ſtudio, & cura, velut præſente Deo, tanquam vana, futiliaque abrogare non debeat, imo nec poſſit: deducendum inde eſt, primum Concilium, majorem, quàm ſecundum authoritatem habere? Deinde quòd ſecundus Pontifex non debeat, & aliquando non poſſit abrogare ea, quæ prior Pontifex decreverat, inferes inde, priorem Pontificem plus, quàm ſecundum, authoritatis obtinuiſſe? quis hoc dicet?

15. II. Liberius epiſt. ad Conſtantinum. *Ad iſtud officium teſtis eſt mihi Deus, invitus acceſſi; in quo cupio quidem ſine offenſa Dei, quandiu in ſæculo fuero, permanere, & nunquam in ea ſtatuta, ſed Apoſtolica, ut eſſent ſemper firmata, & cuſtodita, perfeci, ſecutus morem, ordinemque majorum, nihil addidi Epiſcopatui Urbis Romæ; nihil minui paſſum.*

17. III. Bonifacius epiſt. ad Hilarium Narbonenſem: *Quòd nequaquam poſſumus ferre patienter: quod convenit nos paternarum ſanctionum diligentes eſſe cuſtodes*, & infra: *Nemo ergo eorum terminos audax temerator accedat; nec aliquid in illorum contumeliam partibus ſuis, quæ tibi non videntur conceſſa, defendat. Ceſſet hujuſmodi præſumptio eorum, qui ultra licitum ſuæ limitem dignitatis extendunt; quod idcirco dicimus, ut advertat Charitas tua adeo nos Canonum præcepta ſervare; ut ita quoque conſtitutio noſtra definiat, quatenus Metropolitani ſui unaquoque Provincia in omnibus rebus ordinationem ſemper expectet.*

18. IV. Cæleſtinus 1. epiſt. ad Epiſcopos Illirici. *Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur: ſimus ſubiecti canonibus, qui canonum præcepta ſervamus.*

Sixtus III. in epiſt. ad ejuſdem Regionis Epiſcopos: *Sed ut omne corpus capite regitur; ita ipſum caput, niſi ſuo corpore ſuſtentetur, firmitatem, & vigorem ſuum perdit, & non tenet, quam habuerat, dignitatem.*

19. V. Leo 1. *Nimis hæc improbanda, nimis ſunt prava, quæ ſanctis canonibus inveniuntur eſſe contraria*, & paulo poſt: *Abſit à conſcientia mea, ut tam prava cupiditas ſtudiis meis adiuvetur, &c. Sancti illi, & venerabiles Patres, qui in Urbe Nicæna Sacrilego Ario cum ſua impietate damnato manſuras uſque ad finem mundi leges Eccleſiaſticorum canonum condiderunt; & apud nos in toto orbe terrarum in ſuis Conſtitutionibus vivunt; & ſi quid uſq; aliter, quàm illi ſtatuerũt, præſumitur, ſine cunctatione caſſatur, ut, quæ ad perpetuum generaliter inſtituta ſunt, nulla commutatione varientur.*

20. VI. Idem Leo in epiſt. ac Pulcheriam: *Quoniam, inquit, contra Statuta Paternorum Canonum, quæ ante longiſſimæ ætatis annos in Urbe Nicæna Spiritualibus ſunt fundata decretis, nihil cuique addere conceditur; ita illa corrumpat; quæ, ſicut oportet, à cunctis Pontificibus intemerata ſerventur*, & cap. 3. *Conſenſiones verò Epiſcoporum ſanctorum Canonum apud Nicænum conditorum regulis repugnantes unitæ nobiſcum veſtræ fidei pietate in irritum mittimus, & per authoritatem B. Petri Apoſtoli generali prorſus definitione caſſamus, in omnibus Eccleſiaſticis his legibus obſequentes, quas ad pacificationem omnium Sacerdotum per trecentos decem, & octo Antiſtites Spiritus Sanctus inſtituit.*

21. VII. Simplicius in epiſt. ad Acatium ait *contra definitiones Concilii Chalcedonenſis nil retractari poſſe: qui per univerſum mundum inſolubili obſervatione retinetur, quod à Sacerdotum Univerſitate conſtitutum eſt.*

22. VIII. Gelaſius 1. epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ, ita ait: *Quibus convenienter, & paterna traditione perpenſis, confidimus, quod nullus jam veracior Chriſtianus ignoret uniuſcujuſque Synodi conſtitutum quod univerſæ Eccleſiæ probavit aſſenſus non aliquam magis exequi ſedem, quàm primam.*

23. IX. Hilarius Papa in Romano Concilio, cui præfuit: *Nos, inquit, potiſſimi Sacerdotes adminiſtramus officia, talium*

talium tranſgreſſionum culpa reſpiciet, *&c. ſiquidem reatu majore delinquit*, *qui potiori honore perfruitur*, *& majora facit vitia Sacerdotum ſublimitas perſonarum*.

24. X. Agapetus epiſt. 6. ad Cæſarium Arelatenſem: *Revocant*, *inquit*, *nos*, *quo minus deſideriis tuis veneranda Patrum manifeſtiſſima conſtituta*, *quibus ſpecialiter prohibemur prædia juris Eccleſiæ*; *cui nos omnipotens Dominus præeſſe conſtituit*, *quolibet titulo ad aliena jura transferre*: *qua in re ſapientiæ veſtræ quoque credimus eſſe gratiſſimum*; *quod in nullo contra priſcas definitiones*, *conſtituta*, *vel regulas qualibet occaſione ſubcujuſque perſonæ reſpectu venire concedimus*; *nec tenacitatis ſtudio*, *aut ſæcularis utilitatis causâ hoc facere non credatis*, *ſed divini conſideratione judicii*, *neceſſe nobis eſt*, *quidquid Synodalis decrevit authoritas*, *inviolabiliter cuſtodire*.

25. XI. Gregorius I. lib. 3. indict. 12. epiſt. 30. *Conſtantinæ Auguſtæ negat*, *quod illa petierat*, *ut caput Sancti ad ſe tranſmitteret*: *Quod*, inquit, *vos illa præcipitis*, *quæ facere nec poſſum*, *nec audeo*, & lib. 2. indict. 11. epiſt. 52. ſic ait: *Si Canones non cuſtodiſtis*, *& majorum vultis ſtatuta convellere*, *non cognoſco*, *qui eſtis*. Idem lib. 1. epiſtol. 24. ait ſeſſ. 4. *Concilia generalia velut quatuor Evangelia venerari*.

26. XII. Martinus I. epiſtol. 5. ad Joannem Philadelphiæ Epiſcopum. *Defenſores*, inquit, *divinorum canonum*, *& cuſtodes ſumus*, *non prævaricatores*. Et in epiſt. ad Amandum Thraiecenſem: *ideo*, inquit, *neceſſe habuimus*... *cœtum generalem fratrum*, *& Coepiſcoporum noſtrorum in Romana Civitate congregare*.

27. XIII. Zacharias epiſt. 1. ad Bonifacium cap. 5. ſic ait: *Abſit*, *ut hoc prædeceſſor noſter*, *ita credatur præcipiſſe*; *nec enim ab hac Apoſtolica Sede illa dirigantur*, *quæ contraria eſſe Patrum*, *ſive canonum inſtitutis inveniantur*.

28. XIV. Leo III. in Dialogo, quem de adiectione particulæ, *Filioque* Symbolo facta habuit cum legatis Caroli Imperatoris, negat quidquam ſe poſſe Symbolo adiicere: *Quia*, inquit, *me illis Patribus Conſtantinopolitani Concilii non dicam præferam*, *ſed abſit*, *ut coequare præſumam*.

XV. Nicolaus I. epiſt. 32. ad Epiſcopos Sylvanectenſis Concilii: *Sciat Beatitudo veſtra*, inquit, *non nos regulas*, *atque decreta velle corrumpere*.

XVI. Adrianus II. ita ait: *De his nihil audemus judicare*, *quod poſſit Niceno Concilio*, *& quinque cæterorum Conciliorum regulis*, *vel decretis noſtrorum anteceſſorum obviare*.

29. XVII. Ioanes VIII. epiſt. 331. *Et quia*, inquit, *Eccleſiæ Dei privilegium nos decet immutilatum ſolemniter conſervare*, *ne in aliquo Patrum terminos præferre videamur contra ſtatuta majorum agere nequivimus*.

XVIII. Sylveſter II. epiſt. 145. ſic ait: *Itaque in cauſa Robberti Abbatis*, *ob eam*, *quam ſervamus*, *ac ſemper ſervare volumus fidem*, *hæc tria conſultando proponimus*; *primum non eſſe noſtri juris falcem in alienam meſſem ponere*.

XIX. Gregorius VII. lib. 2. epiſt. 5. *Et quia*, inquit, *venerandi Canones ad Sacerdotii gradum*, *tales provehi contradicunt*, *probare eos non ſatis cautum fore putamus*, *ne quidquam à nobis contrarium Sanctis Patribus in exemplum*, *& authoritatem relinquatur*: *Solet enim Sancta*, *& Apoſtolica Sedes pleraque conſiderata ratione tolerare*: *ſed nunquam in ſuis decretis*, *& conſtitutionibus à concordia Canonicæ traditionis diſcedere*.

30. XX. Eugenius III. epiſt. 8. *Contra Deum*, inquit, *& Sacrorum Canonum Sanctiones nulli omnino petitioni poſſumus præbere conſenſum*.

XXI. Innocentius III. ita ait: *Si ſuper hoc abſq; generali deliberatione Concilii ſtatuere aliquid tentaremus*, *præter divinam offenſam*, *& mundanam infamiam forſan ordinis*, *& officii nobis periculum emineret*, *cùm contra præmiſſam veritatis ſententiam noſtra non poſſit authoritas diſpenſare*.

31. Hæc omnia Dupinus, ad probandam maiorem Concilii, quàm Romani Pontificis authoritatem, inutiliter congerit: legat unuſquiſque attentè, ſeduloque prædicta horum Pontificum teſtimonia conſideret; & manifeſtè videbit; hunc authorem ab ſcopo noſtræ

Digitized by Google

quæſtionis aberrare, nihilque probare: ñam in his Summorum Pontificum teſtimoniis trià tantùm reperiuntur. Primum eſt exhortari ſacros illos Antiſtites ad Conciliorum decreta exactè obſervanda. Secundum ipſoſmet Pontifices illa eſſe ſemper obſervaturos. Tertium contra ipſum Deum acturos, ſi ea non obſervent, vel obſervare non faciant. Quæro igitur ex hoc authore, an ex his tribus aliquid contra ſupremam etiam ſupra Concilium authoritatem poſſit deduci? Certum eſt ex primo non deduci; an quia ipſemet Pontifex exhortatur præſules, ut decreta ſua Pontificia ritè obſervent, inferiorem ſibi ſe ipſum facit? aut quia Rex aliquis ſubditos exhortatur, ad obſervandos à ſe factas leges, vel in Comitiis latas, & à ſe approbatas, inferiorem ſeipſum ſibi, aut ſuis ſubditis præbet? Quis hoc diceret?

32. Minùs hæc major authoritas Concilii ex ſecundo deducitur. Quis enim aſſerere audeat Regem, v.g. Chriſtianiſſimum, qui leges in Generalibus Comitiis ſtabilitas promiſerit ſe exactè obſervaturum, ſuis ſubditis in eo caſu congregatis inferiorem reddi; ab illiſque poſſe puniri, & Brittanorum more damnari? major ne poteſtas ſæculari Regi, in comitiis ſæcularibus, & in comitiis Eccleſiaſticis ſupremo Regi Eccleſiaſtico minor poteſtas concedetur? Multò minùs etiam ex tertio inferioritas Pontificis comprobatur: nam quis inficiabitur poſſe aliquando Pontificem peccare, ſi leges, quas ipſe ſanctè decreverat, ſine ulla cauſa, cum ſuorum ſcandalo violet; ut ſi nunquam jejunet, non abſtineat à carnibus, celebret non jejunus; & ſupponamus eas leges à ſeipſo, vel à ſuis prædeceſſoribus latas fuiſſe; inde ne deduces Pontificem ſibi, ſuiſque prædeceſſoribus eſſe ſubiectum?

33. Cæterùm ut præſenti noſtrę veritati majorem lucem addamus, oportet diſtinguere in Conciliis duo genera Decretorum, alia enim edita ſunt Eccleſiaſtici regiminis diſpoſitiva, ut ſunt leges gubernativæ humanæ; alia verò articulorum fidei definitiva. An nos affirmamus poſſe Pontificem canones fidei mutare? ſi verò ex eo, quòd non poſſit Pontifex variare id, quod in Concilio generali Papæ ut capiti ſuo unito de fide fuit definitum, dicendus eſt Pontifex inferior Concilio; cùm etiam unum Concilium nequeat variare id, quod in altero de fide fuit definitum, dicendum etiam foret unum Concilium Univerſale altero Concilio univerſali eſſe inferius; quod cùm per ſe abſurdum ſit; jam veſtri argumenti paret abſurditas. Quò ad leges gubernativas, cùm hæ pro varietate temporum inutiles, imo aliquando noxiæ poſſint evadere, quis dubitet poſſe Pontificem eas abrogare, imo ad id faciendum omnino teneri; aliter ſuo muneri deeſſe videretur?

34. Igitur leges has gubernativas in Concilio latas, cùm à corpore illo myſtico cum ſuo capite Pontifice integrè ferantur, & niſi ab eo approbentur, confirmenturque, leges non ſint vim obligandi habentes, leges eſſe Pontificias quis dubitabit? Si Pontificiæ, cur illas Pontifex etiam in Concilio editas non poterit juſta cauſà variare, vel etiam abrogare; ſicut leges in comitiis latæ, & à Rege confirmatæ, Regiæ quidem ſunt; & ex cauſa juſta poſſunt à Rege variari, abrogarique?

35. At dices Pontifices his legibus teneri: hoc concedimus. Sed quomodo tenentur? coactivè ne, an directivè? Si directivè dicis; deſeris noſtram quæſtionem, & nihil ad propoſitum pertinens adducis: non negamus enim authorem legum ſuis etiam legibus directivè teneri; hoc enim exigit ratio, lexque naturalis, ut caput cum cæteris membris conformetur; & hoc non obſervans, jam lædit legem illam naturalem, & ab Authore legis naturalis, nempe Deo puniendus erit, quem ſolum in terris habet Superiorem. Si coactivè, à quo Pontifex coactiva poteſtate cogetur, niſi ab authore legis, cùm verò probatum ſit leges in Concilio latas Pontificias eſſe, ſequitur legiſlatorem habere coactivam poteſtatem in ſe ipſum; quod abſurdum eſt. Deinde ſi Populus etiam in comitiis Generalibus quò ad leges ibi latas non habet poteſtatem coactivam in Regem Chriſtianiſſimum, v.g. vel Hiſpaniarum, ut conceditis, quia leges

illæ

illæ à Rege ſunt ſtabilitæ, ac confirmatæ, cur aſſeritis populum Chriſtianum in Concilio congregatum quò ad leges ibi latas, à Pontifice ſtabilitas, & confirmatas in Summum Pontificem vim coactivam habere? Cætus ſæcularis vim coactivam non habet in Principem ſæcularem Pontifice minorem; cætus Eccleſiaſticus in Pontificem Maximum poteſtatem coactivam habebit? Quid eſſet hoc niſi velle jura convelli, rationemque naturalem peruerti?

36. Denique progreditur hic author pag. 395. poſt medium ſic: *Idem agnoverunt Antiſtites Græci, & Latini in Decreto Concilii Florentini, quo ſtatuitur Romano Pontifici paſcendi, regendi, ac gubernandi Eccleſiam à Domino IESU Chriſto poteſtatem eſſe traditam, quemadmodum, & in actis Conciliorum æcumænicorum, & in Sacris Canonibus continetur*. Quæ ultima verba ex falſa Lauonii interpretatione vertit ſic: *Juxta eum modum, qui in actis Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur. Quæ voces*, inquit, *paſcendæ, & regendæ Eccleſiæ univerſæ rationem, & formam reſtringunt; oſtenduntque Pontificem in regenda, & paſcenda Eccleſia teneri Conciliorum, & Canonum authoritatem, & decreta ſequi, nec poſſe aliter, &c.* Et pro hoc ſenſu allegat tunc textum Græcum, & ſic illum in Latino legiſſe Blondum Eugenii IV. Notarium lib. 2. Decad. 10. Marium Vigerium Patavinum, qui Romæ anno 1516. obiit, in Decachordo, chorda 10. Roffenſem artic. 25. contra Lutheranos; Eſchium lib. de primatu Petri cap. 25. Albertum Pighium lib. 4. de Hierarchia cap. vlt.

37. Ut autem intelligas futilitatem hujus authoris pono tibi ob oculos verba decreti Florentini Cõcilii; quæ ita habent: *Item definimus Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem Succeſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, & Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi Univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro IESU Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam geſtis æcumenicorum Conciliorum, & in Sacris canonibus continetur*. Ubi vides eſſe definitum de fide Romanum Pontificem habere à Chriſto Domino plenam poteſtatem ſuper univerſam Eccleſiam; unde ſi Concilium univerſale eſt ſeu repræſentat univerſam Eccleſiam, neceſſariò dicendum eſt Pontificem Romanum poteſtatem habere ſuper Concilium univerſale jam eſſe fide definitum. Adverſarii hanc adeo claram definitionem videndo, mutarunt verba illa, *quemadmodum etiam geſtis, &c.* & poſuerunt illa: *juxta eum modum, qui in actis Conciliorum, & in Sacris Canonibus continentur; quibus verbis*, inquiunt, *Concilium Romani Pontificis poteſtatem reſtrinxit, illamque fecit Sacris Canonibus Conciliorumque decretis ſubiectam*, & pro hoc ſenſu citant ſed falsò prædictos Doctores.

38. Verùm hanc Adverſariorum fallaciam optimè detexit eruditiſſimus Schelſtrate in tract. Concilii Conſtantienſ. in Præfatio. pagin. 6. ſiquidem primus corruptor textûs Florentini decreti fuit Joannes Lavonius, cujus depravatæ verſioni Dupinus, & cæteri adverſarii potiùs, quàm veritati adhærere voluerunt; ideoque in errorem prolapſi ſunt: textus enim Græcus habet ſic καθ' ὃν τρόπον καὶ; quæ verba Lavonius temerè, & ſine ulla authoritate vertenda duxit Latine ſic. Ad eum modum, qui &c. non videns, quòd articulus ὃν, ſiue, *qui*, nullibi in Græco reperiatur, neque advertens, quod articulo illo, *Qui*, deficiente, verba ſenſum, ad quem ea detorquet, minimè reddant, & ut redderent, alio modo in Græco fuiſſent concepta.

39. Conſtet igitur verba illa textus Græci. καθ' ὃν τρόπον καὶ ſignificare, *non ad eum modum, qui*, quaſi Pontificiæ dignitatis limitativa clauſula ſit; ſed tantùm ſignificare, *Quemadmodum etiam*, ut ex Græco in Latinum vertit Abraham Cretenſis Græcè, latinèque doctus, cujus verſioni Patres Latini, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ipſeque Eugenius IV. cum Notariis Sacroſancti Concilii Florentini ſubſcripſere ſcientes optimè in hunc ſenſum de Romani

Pontificis authoritate conveniſſe cum Græcis, qui idem decretum Græcum à latere textus Latini propriis ſigillis obfirmarunt. Et ita hunc ſenſum ſecuti ſunt Albertus Pighius in fine lib.4.de Hierarchia Eccleſiaſtica referens ultima verba Decreti ſic: *Quemadmodum in actis Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur*. Eodem planè modo habet Joannes Fiſcherus Roffenſis Epiſcopus art. 15. Contra Lutherum; nec diſſentit Eſchius tract. de Primatu Petri lib. 2. cap. 23. Editionis Auguſtæ Vindelicorum anni 1530. in codice, quem Clementi VII. Summo Pontifici obtulit referens ex Blondo Decretum Florentinum hoc ſequenti modo: *Quemadmodum & in actis Conciliorum &c.* Quod apud Blondium Decade 3. lib. 10. iiſdem verbis legitur non ſolum in libris editis, ſed & manuſcriptis, quorum duo exemplaria extāt in Bibliotheca Vaticana ſub num. 1939. & 1940. unde patet hos Authores, quos Dupinus pro ſe citat, contra ipſum ſtare. Cretenſis verò citatus, pro conjunctione *Et*, poſuit, *Etiam* quod in rigore Latino idem omnino ſignificatum habet; provt quoque habent omnia originalia Unionis decreta, quorum alia in Italia, alia in Gallia aſſervantur, ut teſtatur Schelſtrate cit.p.4. qui pag.5. refert vidiſſe ſe in Palatio Magni Ducis Etruriæ originale Decretum unionis, cui tam Eugenius IV. cum Cardinalibus, & Epiſcopis Latinis, quàm Imperator Conſtantinopolitanus cum Epiſcopis Græcis ſubſcripſerunt: & tam prædictum originale, quod in Civitate Florentina aſſervatur, quàm exemplar authenticum, quod in ſcriniis Apoſtolicæ Sedis cuſtoditur, habent ſic. *Quemadmodum in actis Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur*. Extat etiam in Archivo Cathedralis Eccleſiæ Bononienſis aliud originale ejuſdem Decreti, cui Eugenius IV. cum novem Cardinalibus, & Imperator Græcorum Joannes Paleologus cum tribus Notariis Concilii Florentini ſubſcripſerunt. Iſtius exemplar in Bibliotheca Vaticana aſſervatur; in quo, ut in ſuperiori, legitur, *Quemadmodum etiam, &c.* Extat item aliud originale Ducis Burgundiæ, quod à paucis annis ex Belgio Lutetiam Pariſiorum migravit, & in Bibliotheca Colbertina repoſitum eſt, & habet ſimiliter ea verba. *Quemadmodum etiam*.

40. Dicas igitur mihi, Dupine, Lavonius ne, de quo liquidò conſtat vitiaſſe textum addendo ſine ulla authoritate particulam, *qui* ut redderet Decretū Pontificiæ authoritatis limitativum; præferendus à te judicatur; & tot exemplaria authentica, & originalia, tot teſtes, iiſque graviſſimi omnino contemnendi? en Authores illi, quos pro te citaſti, contrarium dicunt, ut vidimus; unde vel illos non legiſti, quod magis credo, vel ſi legiſti, mendacium commiſiſſe videris. Manifeſtum igitur eſt; & negari non poteſt ſine ingenti temeritate, & graviſſimo peccato contra Concilii definitionem, in eo decreto manere definitum Summo Pontifici Romano à Chriſto Domino, ſuper Univerſalem Eccleſiam, & ſupra Univerſale Concilium illam repræſentans plenam poteſtatem traditam eſſe; & item ibi definitum eſſe, jam hanc veritatem in Conciliorum actis, & in Sacris Canonibus contineri.

SECTIO III.

Alia ejuſdem Authoris, ex Conciliis malè intellectis deprompta Sophiſmata repelluntur.

41. PRimò, arguit Dupin. diſſert. 6. §. 4. per hæc verba. *Et quidem antiquum fuiſſe Eccleſiæ Romanæ morem, ut, cùm in hæreſeos, vel criminum ſuſpicionem veniſſent, à Synodis judicarentur, docet Concilium Italiæ ſub Damaſo in epiſt. 3. ad Gratianum, & Valentinianum: Memoratus*, inquit, *Frater Damaſus quoniam in ſua cauſa veſtri tenet inſigne judicii, non fiat inferior; quibus & ſi æqualis eſt munere; prærogativa tamen Apoſtolicæ Sedis excellit, ut judiciis publicis videantur eſſe ſubiecti, quibus Sacerdotale caput lex veſtra ſubmovit:* & poſt pauca. *Quod verò ad prædicandum Epiſcopi conſcientiam ſeverioribus ſe dedit ipſe judiciis Sacerdotum, quibus non nominis, ſed etiam morum ratio penſa-*

penſatur, & poſtea. *Quoniam non novum aliquid petit, ſed ſequitur exempla majorum, ut Epiſcopus Romanus, ſi Concilio ejus cauſa non creditur, apud Concilium ſe imperiale defendat. Nam & Silveſter Papa à ſacrilegis accuſatus apud Parentem veſtrum Conſtantinum cauſam proſecutus eſt.* Huc uſque Dupinus ex Concilio Romano: *ex quo*, inquit, *teſtimonio liquet conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ eſſe, ut ejus Epiſcopus à Synodo etiam in moribus judicaretur*.

42. Sed quid hæc ad noſtram quæſtionem? Num nos ipſi negamus poſſe Pontificem Romanum voluntaria ſubjectione apud inferiores ad ſuam innocentiam patefaciendam cauſam propriam proſequi; & ſi id conſequi nequeat apud inferiores ſibi Epiſcopos, ad potentiam etiam Imperatorum tutelam ſuæ defenſionis cauſa confugere? Igitur adverſarius ut quæſtionis noſtræ ſcopum collimaret, non voluntariam, ſed coactivam Pontificis ad Concilium ſubjectionem comprobare debuiſſet: imò ex allato à ſe teſtimonio probaret etiam particulari Concilio Chriſti Vicarium Pontificem Romanum ſubeſſe; majoremque illius particularis Concilii, quàm Papæ authoritatem eminere; quod tamen adverſæ partis authores, quos ipſe ſequitur, minimè audent concedere; dum ſolùm aſtruunt Pontificem Romanum Univerſali ſubeſſe Concilio: unde nihil probat, dum nimis probare molitur.

43. Secundò, ita arguit Adverſarius. Honorium Sexta Synodus cum cæteris hæreticis damnavit, licet mortuum; quod ſi mortuum potuit anathemate percellere, quis dubitet, quin potuerit eum, ſi vixiſſet de Epiſcopatu deiicere? Verùm hic homo latens in corde odium in Sedem Apoſtolicam ſatis oſtendit. Primò, dum Summum Pontificatum per ſimplicem Epiſcopatus nomen indigitat, quaſi Romanus Pontifex Maximus unus; ſicut alii Epiſcopi, foret. Secundò, quòd ea, quæ à graviſſimis Authoribus in Honorii clariſſimam defenſionem adducuntur; nec unum quidem verbum ſcripſit. De innocentia Honorii infra latiùs enucleabimus diſcept. de infallibilitate Romani Pontificis. Admiſſo tamen quod Honorius, tanquam privata perſona, in hæreſim fuiſſet prolapſus, & ab Eccleſia judicatus; quid hoc facit ad quæſtionem noſtram; in qua non loquimur de caſu hæreſis; quia, jam ſæpe ex Sacris Canonibus vidimus, in caſu hæreſis poſſe inferiores etiam contrariis majorum motibus obſiſtere; hoc enim propriè loquendo non tantùm eſt munus judicis, quàm defenſoris Eccleſiæ obire, juxta ea, quæ infra dicemus.

44. Tertiò, Symachi Romani Pontificis cauſam à Synodo Romana ventilatam affert. Ubi PP. Synodi Romanæ anno 501. habitæ ita dicunt: *Decernimus, ut Simachus Papa Sedis Apoſtolicæ præſul ab hujuſmodi propoſitionibus impetitus, quantum ad homines reſpicit; quia totum cauſis obſiſtentibus deſignatis conſtat arbitrio divino dimiſſum fuiſſe, ſit immunis, & liber, &c. totamque hanc cauſam Dei judicio reſervantes, univerſos hortantur, ut ſacram communionem ab eo recipiant*. Et his verbis author iſte deducit Concilium majorem, quàm Pontificem, authoritatem habere: ſiquidem Pontifex, inquit, apud Concilium, tanquam Judicem Superiorem, eſt accuſatus, & ab eodem Concilio tanquam à majore Judice fuit per ſententiam liberatus. Verùm quis non videat hunc textum contra ipſum Adverſarium ſtare? judicat ne Synodus humano judicio Pontificem Romanum, quem Synodus ipſa arbitrio divino tantum judicandum eſſe decernit? totam cauſam Dei judicio reſervat Sancta Synodus; & poteſt aſſeri cauſam illam hominum judicio arrogari? ergo vel Synodus ipſa ſibi adverſatur; vel Adverſarius in eo, quod profert, vehementer errare cenſendus eſt.

45. Ut tamen iſtius hominis vecordia, dementiaq; plus innoteſcat; adverte, quod ipſe in eodem quod obiicit, argumento, ingenuè fatetur; per hæc verba: *Verum quidem eſt, ut nihil diſſimilem, fuiſſe tunc non nullos, qui exiſtimarent Synodum Italorum Epiſcoporum, utpote minorum, & inferiorum Pontifice Romano non habere de eo judicandi poteſtatem*. Synodum inferiorem eſſe Pontifice dixiſſe non nullos agnovit Adverſarius; & ſi vel ſyncerus, vel peritus eſ-

fet.

ſet, idipſum ſacros dixiſſe canones agnoſcere potuiſſet: quo pacto igitur aſſerere audet Dupinus majorem eſſe Concilii, quàm Pontificis, authoritatem; quando cæteri Doctores, quos vocat *non nullos*, quando Sacri Canones, & antiqua traditio, ut ſupra vidimus, & ipſamet Romana Synodus inferiorem ſe agnoſcens Romanum Pontificem tanquam ſuum Superiorem, & ſoli Deo Judicem ſubjectum judicare non audet? Reſpondet Epiſcopos cauſam Deo dimiſiſſe *non ob defectum poteſtatis, ſed ob defectum probationum*, cæterùm quis illi revelavit hanc fuiſſe mentem Concilii? qua authoritate nixus hanc falſam, imo frivolam, ineptamque interpretationem Concilio affinxit? cur non potiùs amplexus eſt ſapientiſſimum Ennodiũ, qui cæteris inhęrens Doctoribus docuit in Apologetico, ideo Concilium non judicaſſe Pontificem, quia Spiritus Sancti lumine illuſtratum agnovit Romanum Pontificem in terris ſolum Deum Judicem habere? Hæc ſunt verba Ennodii: *Aliorum certè hominũ cauſas Deus voluerit per homines judicare, ſed iſtius Præſulem ſuo ſine quæſtione reſervavit arbitrio.*

46. Sed jam vide effrontem iſtius hominis reſponſionem: *Quod*, inquit, *ab Ennodio dictum videtur per adulationem*. Quid audacius? quid temeritate plenius ab homine Catholico, & Chriſtianiſſimi regni alumno circa hoc dici poſſet? Adulatur, qui Sacrorum Canonum ſanctionibus adhæret? Qui doctrinam, interpretationemque Conciliorum decretis, antiquæ traditioni, Sacræ Scripturæ à Sanctis Patribus in hoc vero ſenſu expoſitæ conformem tradidit? & qui oppoſitam his doctrinam inobſequium quorundam hominum ſibi amicorum abſque ullo fundamento loquentium profert, non adulatur? Audacius, deinde, majorique calami libertate author iſte progreditur ſic ſcribens: *Fuit ergo quorundam licet vana perſuaſio propter mores à Concilio Romanum Epiſcopum judicari non poſſe.* Quis in hunc hominem ſic audacter effutientem non excandeſcat? Vana tibi videtur perſuaſio eorum hominum ſapientiſſimorum Sacris Canonibus, & Pontificum decretis, & Conciliorum univerſalium placitis inhærentium? Audi, te rogo, Dupine, Adriani 2. epiſtolam, quæ Synodi octavæ actione ſeptima lecta, & approbata eſt: *Licet*, inquit, *Honorio ab Orientalibus anathema ſit dictum; ſciendum tamen eſt, quia ſuper hæreſi accuſatus fuerat, propter quam ſolùm licitum eſt minoribus majorum ſuorum motibus reſiſtere, vel pravos ſenſus liberè reſpuere.* Erit nè vanum reputandum id quod univerſale Concilium legitimè in Spiritu Sancto congregatum, & à Romano Pontifice in hoc approbatum legit, & approbavit, ſapienter, ſanctèque accepit nimirum Synodum eſſe Pontifice minorem; & hanc licet minorem ſolum in cauſa hæreſis, & non in alia qualibet cauſa contra Pontificem ſeipſa majorem, ſuperiorem licere ferre judicium, & hoc non tam judicandi, quàm reſiſtendi cauſam eſſe? Non hoc vanum eſt; ſed qui huic ſe audacter apponit, vaniſſimus quidem cenſeri debet. Minorem ſe judicat Pontifice Synodus; tu majorem: illa approbat non poſſe Concilium, præter cauſam hæreſis, & in hoc non tam judicando, quàm reſiſtendo, in cauſam Pontificis ſe intromittere; tu contra concilii authoritatem oppoſitum illi aſſeris: en qui Synodi authoritatem Pontificis authoritate majorem faciebas, jam tuam Synodi authoritate majorem facis quid dementius? quid vanius exiſtimari poſſit?

47. Quartò, aſſert exemplum Joannis XII. per hæc verba diſceſſert. 6. §. 4. pag. 399. *In primis verò inſigne eſt judicium à Romano Concilio in Joannem XII. latum; à quo propter horrenda flagitia depoſitus eſt Joannes, & alius in ejus locum electus, & narrat Luitprandus Ficinenſis* lib. 6. cap. 6. *his verbis. Poſt triduum rogantibus, tam Romanis Epiſcopis, quàm plebe, magnus in Sancti Petri Eccleſia fit conventus, ſederuntque cum Imperatore Archiepiſcopi in Italia pro Engelfrido Aquileenſi Patriarcha, quem in eadem urbe languor repente, ut fit, arripuerat, Rodulphus Diaconus, Albertus Mediolanenſis, &c. & enumeratis ſexaginta, & amplius Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & Cardinalibus cum aliquot Romanæ Eccleſiæ Officiariis, urbiſque primatibus. His itaque reſidentibus* (pergit Hiſtoricus) *ſilentium-*

lentiumque ſummum tenentibus, ita Sanctus Imperator exorſus: Quoniam decorum eſſet tam claro Sanctoque Dominum Papam Joannem inter eſſe Concilio, cur tantum declinaverit cætum, vos, ò Sancti Patres, conſulimus, quibus communis labor Eccleſiaſticus, ac commune negotium exiſtit: tunc Romani Pontifices, & Cardinales, Præsbyteri, & Diaconi cum univerſa plebe dixerunt: Miramur Sanctiſſimam prudentiam veſtram, nos hoc velle percontari; quod nec Ibericos, nec Babilonios, nec Indicos incolas latet; non hic eſt ex iis, qui veniunt in veſtimentis ovium; intus autem ſunt lupi rapaces, ità apertè ſævit; ita apertè pertractat negocia, vt nihil circuitionis utatur? Imperator reſpondit: Iuſtum nobis videtur, ut accuſationes nominatim exprimantur. Tunc à Narnienſi Epiſcopo execrandorum criminum accuſatus Joannes literis ad Synodum vocatur, ut ſe de impoſitis criminibus, & ſacrilegiis purgaret.

50. Hanc Epiſtolam cum legiſſet Joannes nullâ accuſationum in ſe prolatarum mentione facta, reſcripſit tandem ſe audiviſſe Synodum in mente habere; ut alium crearent Papam: *quod*, inquit, *ſi facitis, excommunico uos de Deo omnipotente, ut non habeatis licentiam ullum ordinare, & miſſam celebrare*. Hæc Synodus Kalendis Decembris congregata reſpondit Joanni: *Si ad Synodum venire, & objecta purgare non differtis, authoritati veſtræ proculdubio obediemus; ſed ſi venire, & obiecta capitalia crimina purgare diſſimulatis; tunc excommunicationem veſtram parvi pendemus; eam potiùs in vos retorquebimus, quandoquidem juſtè facere poſſumus. Hæ literæ Adriano datæ, ut ad Joannem deferrentur; ſed cum inveniri non potuiſſet, conſtaretque eum ad Synodum non venturum, totius Synodi judicio depoſitus eſt, & electus in ejus locum Leo IV. quem quidem Joannes poſt diſceſſum Imperatoris Roma ejecit; ſed ipſe Joannes paulo poſt è vivis abiit idibus Maii anno 964. Poſt huius mortem à Romanis Benedictus eſt ſubrogatus, ſed eo rejecto, Leo coadunata Epiſcoporum Synodo reſtitutus eſt, & in Benedictum tanquam in invaſorem prolata ſententia*: Hæc, inquit Dupinus, *narrant præter Luitpandum Cõtinuator Reghinonis Adamus Bremenſis, Sigibertus, & alii bene multi, quorum teſtimonia collegit Launojus p. 4. epiſtolarum epiſt. 1. ad Mareſium. Ex iis vero nullus eſt, qui factum Concilii improbet, aut depoſitionem iniquam, & illicitam eſſe ſcribat; imo omnes uno ore eam approbant, Joannem Expapam, & Leonem legitimum Pontificem appellant*. Huc uſque Dupinus.

50. Ego examinare hìc modò prædictam hiſtoriam nolo, utrum vera ſit, nec ne? ſed illam ſupponendo, ſicut author iſte refert; quæro, quid ille cum hac hiſtoriȩ narratione probet? probat factum; ſed jus quibus rationibus probat? An non poſſunt inferiores majorum ſuorum injuſtis conatibus obluctari? ab illorum facto injuſtè impetu ſe defendere? hæc ne juſta defenſio ſubditis authoritatem, juriſdictionemque ullam in majores ſuos conferre cenſebitur? Depoſitus fuit Joannes, inquit: hoc tibi permitto; an quia fuit in facti contingentia depoſitus, & novus alius electus; probas ne ſecundum fuiſſe ritè electum, & priorem iuſtè depoſitum? en concedis Joannem in Pontificatu ad finem uſque vitæ Romæ, ejecto inde Leone, permanſiſſe: an quia Baſileenſe Concilium Eugenium depoſuit, & Amadeum elegit, Amadeus verus Papa permanſit, & non potiùs Antipapa; Eugenius verò Expapa, & non potiùs ad finem vſque vitæ legitimus perſiſtit Papa? fuit Benedictus à Romanis ſubrogatus Pontifex morte Joannis, & à Concilio rejectus: tibi hoc etiam permitto: ſed tunc Sede vacante per Joannis obitum duo erant Pontifices dubii: unus Benedictus, alter Leo; in hoc caſu non negamus Concilium authoritatem habere ſuper Pontifices dubios; ut etiam probat Concilii Conſtantienſis exemplum; quando tres erant Papæ dubii Benedictus XIII. Gregorius XII. Joannes XXIII. & illis depoſitis, vacante jam Sede Martinus legitimè eſt electus. Similiter ergo poterat Concilium illud Romanum tollendi cauſa ſchiſmatis exiſtentibus illis duobus Pontificibus, vel alium tertium, vel unum ex duobus eligere; maluit verò Leonem; quoniam

antea

antea peridoneum judicaverat; & tunc cùm jam Pontificis Joannis obitu Sedes vacaſſet, Leo potuit legitimus eſſe Pontifex: ſed hæc Concilii juriſdictio in Papam, dubium quid ad noſtram quæſtionem de Papa indubitato conducit?

53. Imo Dupinus infeliciter contra ſeipſum illud adducit Concilium: nam ex verbis ipſius Concilii conſtat manifeſtè ipſum Pontifici ſubeſſe: ait enim: *Si ad Synodum venire, & objecta purgare non differtis, authoritati veſtræ proculdubio obediemus*, promitteret ne obedientiam univerſum Concilium Pontifici; ſi Concilium non eſſet ſubditum; & Pontifex ſuperior non eſſet? Unde licèt Pontifex accuſatus fuiſſet de crimine capitali, diabolico, & execrando ſacrilegio, prout ibi dicebatur, quod certè non poterat eſſe aliud, niſi aliqua hæreſis vel ſparſa, vel ab eodem exercita; ſi coram Synodo, vel abjurando, quod feciſſet; vel, quod non fecisſet, probando, ſe purgaſſet; non ullius juriſdictionis, ſed obedientiæ actum Synodus, ſicut promiſerat, exerceret. Quare in eo ſolo caſu, in quo hæreſis Pontificis fuiſſet probata; nec ipſe à ſua contumacia vellet deſiſtere, deponi poſſet, à Deo immediatè, à Concilio miniſterialiter, & declaratiuè; & tunc poſſet puniri; & in carcerem coniici, quippe jam foret Expapa: de quo infra ſuo loco dicemus: hoc verò ad noſtram quæſtionem non pertinet de Papa indubitato, & non hæretico, quamvis multis aliis ſceleribus cooperto. Vides, ut author iſte nihil ex eo facto Concilii, adhuc permiſſo; quod vera ſit narratio, contraveram ſententiam probet?

54. Quintò, adducit Concilium Lateranenſe anno 1112. celebratum: cui Paſchalis, inquit, Pontifex Romanus ſe pro correctione ſubjecit his verbis: *Porro*, inquit, *ſcriptum illud (de inveſtitura contra immunitatem Eccleſiaſticam) quod magnis neceſſitatibus coactus, non pro vita mea, non pro ſalute, & gloria, ſed pro ſolius Eccleſiæ neceſſitatibus, ſine fratrum conſilio, aut ſubſcriptionibus feci; ſuper quo nulla conditione, nulla promiſſione conſtringimur, ſicut pravè factum cognoſco, ita pravè factum confiteor, & omnino corrigi, Deo præſtante, deſidero, cujus correctionis modum, fratrum, qui convenerunt, conſilio, judicioque conſtituo, ne fortè per hoc in poſterum detrimentum aliquod Eccleſiæ, aut animæ meæ præjudicium relinquatur. His à Paſchali dictis, communi omnium favore laudatum eſt; ut fratres omnes, qui donum à Deo ſapientiæ, ſcientiæque perceperant, maturius ſuper hoc conſilium communi collatione ſuſciperent, quid ſequenti die per inſpirationem Spiritus Sancti reſponderent. Die itaque ſexta, quæ & vltima Concilii fuit; fidei ſuæ veritatem Sanctis Patribus per omnia expoſuit aſſerens ſe Scripturas Sanctas veteris, & novi teſtamenti, & Concilia venerāda univerſalia ſuſcipere, Decreta Romanorum Pontificum, & præcipuè Decreta Domini Papæ Gregorii, & B. memoriæ Urbani, quæ cùm ſe probare, & ſemper probaturum eſſe profeſſus eſt in calce Engoliſinenſis Gerardus hanc ex ſcriptis ſententiam recitavit: Privilegium illud, quod non eſt privilegium, ſed pravilegium pro libertate captivorum, & Eccleſiæ à Domino Papa Paſchali per violentiam Enrici Regis extortum. Nos omnes in hoc Sancto Concilio cum eodem Papa congregati canonica cenſura, & Eccleſiaſtica authoritate, judicio Sancti Spiritus damnamus, & irritum eſſe judicamus, atque omnino caſſamus.*

55. Ex his, inquit Dupinus, multa inferri poſſunt Curialium placitis adverſa. Primò, Pontificem errare poſſe. Secundò, errorem ejus à Concilio corrigi, & emendari. Tertiò, modum correctionis ipſi à Concilio præſcribi. Quartò, coram Concilio Pontificem ſe purgare, fideique profeſſionem, ut ſe purgaret, emittere: demum errorem Pontificis damnari, & reiici. Omnes hæ conſequentiæ, quas iſte author à Concilii Laterannenſis facto deducit, in illius hominis pravo ſenſu falſæ quidem ſunt; in ſenſu autem vero acceptæ veræ eſſe poſſunt. Prima vera eſt; nam Pontifex ingenuè ſuum confitetur errorem, dum inveſtituram Henrico, Eccleſiaſtica immunitate contēpta, cōtra Sacros Canones injuſtè conceſſit, licèt metu coactus. Sed quid hoc ad noſtram pertinet quæſtionem? num error ſuperioris ab eo in ſubditum

ditum poteſtatem transferre dicetur? Si verò dicat Dupinus, ſaltem hunc Pontificis errorem infallibilitatem ejus labefactare, id eum non juvat: nam hæc eſt altera quæſtio longe diverſa, quæ hic non agitatur, alibi verò diſcutienda: attamen adhuc contra illam quæſtionem nihil inferri poteſt: non enim inquirimus, utrùm Pontifex quocunque modo ſit omnis erroris immunis; ſed ſolùm, utrùm poſſit errorem pro tota Eccleſia definire, quod ſuo loco non poſſe manifeſtè conſtabit: an ne ſicut ex Concilio deducitur eraſſe Paſchalem: deducitur inde illum errorem definiſſe?

56. Quare nihil nobis obeſt prima ſequela: minùs ſecunda: nam quòd Concilium Paſchalis Romani Pontificis defectum correxerit, nec Pontificem Synodo fecit minorem, nec Pontifice Synodum majorem fecit. Nunquid quòd Paulus Petrum correxerit, id à Petro in Paulum primatum tranſtulit? Nonne poteſt filius familias patrem, ſubditus ſuperiorem corrigere? quis tunc dicere audebit ex ea per inferiores facta correctione, Patrem patriam poteſtatem; Superiorem verò ſuperioritatem amittere? At dices horum tantùm correctionem eſſe fraternam; quæ etiam à ſubditis, ac inferioribus in Superiorem exerceri poteſt; Concilii verò correctionem judicialem eſſe; quæ non niſi à Judice ſuperiore in inferiorem peragitur. Contra; ergo ut probes correctionem eſſe judicialem, ſupponis, & non probas, Concilium Romani Pontificis judicem eſſe: erit nè recta conſecutio, Dupine; ideo correctio à priori probatur eſſe judicialis, quia corrigens eſt judex; & ideo à priori judex eſt; quia corrigit? non ne erit plane vitioſa, ſicut hæc: ideo homo eſt vivens, quia eſt animal; & ideo homo eſt animal, quia eſt vivens? rectè igitur negatur hæc conſecutio; quia poteſt aliquid eſſe vivens, quod non ſit animal, nimirum arbor, quæ vivens eſt vegetativum; ſic rectè negatur illa tua conſecutio; quia poteſt eſſe aliqua correctio, quæ judicialis non ſit, nimirùm correctio ſolùm fraterna: aliunde ergo debes probare Synodum eſſe judicem ſuper Papam; ex hac correctione probatio tua labilis, & infirma eſt. Dices te id probare à poſteriori, videlicèt ex actu ipſo reprehenſionis juridicæ. Bene: ſed unde probas reprehenſionem fuiſſe à Concilio tanquam à Judice, & non tanquam à filio, & ſubdito Patri, ſuperiorique ſuo factam: eſt igitur tuum de ſubjecto non ſupponente argumentum; quod, ut docent Logici; eſt mera petitio principii, circuluſque vitioſus.

57. Minus etiam firma eſt tertia ſequela: nam Pontifex voluntariè ſe ſubjecit Concilio, ut ipſum modum correctionis præſcriberet: ut patet ex verbis Pontificis, ibi. *Cujus correctionis modum fratrum, qui convenerunt, conſilio, judicioque conſtituo.* An ſi eveniat prælatum aliquem erraſſe, culpamque aliquã perpetraſſe, ſi congregatis omnibus ſuis ſubditis conſtituat, ut ipſi modum correctionis præſcribant, deſinet eſſe illorum Superior, & illorum ſubditus eſſe incipiet? Quis hoc dicet? Itaque aliud eſt voluntaria, aliud coacta ſubjectio; ex illo facto non coacta, ſed prorſus voluntaria ſubjectio poteſt deduci; quæ quidem voluntaria ſubjectio Superioris authoritatem non collidit: igitur ex hoc major Concilii, quàm Romani Pontificis, authoritas non probatur.

58. Quarta item conſecutio prorſus evaneſcit, quòd enim Pontifex coram Concilio ſe purgaſſet, nullo modo probat Pontificis inferioritatem, & ſuperioritatem Concilii, quemadmodum ſi Chriſtianiſſimus Rex v. g. Galliæ coram ſuis Regni Magnatibus ad hunc finem à ſe vocatis de aliquo forte delicto contra Regni ſtatum à ſe perpetrato ſe purgaret, promitteretq; ſe in poſterum nunquam delictum ſimile perpetraturum; dicere ne, Dupine, auderes congregationem Magnatum Rege Superiorem eſſe, tale te dicturum non eſſe? certiſſimè reſpondebis. Cur ergo plus authoritatis temporali Regi, quàm Eccleſiaſtico Regnanti, ſupremoque in terris Chriſti Vicario, arrogare audes?

59. Poſtrema denique conſecutio non ſubſiſtit: imo in ea Dupinus propoſitam deſerit quæſtionem, & velut transfuga aliò divertit. Quæſtio noſtra eſt, utrùm Concilium ut à Pontifice diviſum

viſum ſit illo Superius, & eum ſic poſſit judicare, punire, & judiciali correctione emendare? ille autem doctor hujus immemor quæſtionis molitur concluſionem probare ex Concilio non diviſo à Pontifice, ſed illi unito; ut patet ex verbis Concilii: *Nos omnes in hoc Sancto Concilio cum eodem Papa congregati, canonica cenſura, & Eccleſiaſtica authoritate, judicio Sancti Spiritus, damnamus, & irritum eſſe judicamus: atque omnino caſſamus*: poteſt ne dici Concilium, ut diviſum à Papa judicare, quod non niſi cum Papa unitum judicat? ſi Papa ipſe in hoc judicio fert ſententiã, quo pacto ſententia in ſeipſum fertur juriſdictione coacta; quæ ſolùm in alterum à ſe diviſum poteſt haberi? Si igitur hæc Pontificis ſubjectio Concilio facta, voluntaria fuit, & non coacta, ineptè deducitur ex hoc facto coactiva Concilii in Pontificem maximum juriſdictio; ſi, ut liquet, non probatur coactiva juriſdictio Concilii, nulla ſanè Concilii ſuperioritas in Pontificem comprobatur. En quomodo iſte author in ſuis probationibus evadit infelix, & dum invadit alios perculſurus, perculſus abit, & utinam pœnitentia correctus!

60. Dupin. diſſertat. 6. §.4. pag. 402. ita ait: *Unum hîc addam Concilii VIII. Decretum, quod rem extra omnem controverſiam ponit: hoc quippe Canone 21. reverentiam quidem Romano Epiſcopo* (nota, quomodo vir, qui ſe Catholicum Romanum profitetur, refugit ſemper nominare Pontificem maximum, ſed ſolùm ſimplicem Epiſcopum nominare) *debitam tuetur; ita tamen, ut poſſit in eum à Concilio ferri*, & mox ponit verba Concilii; quod nos alibi citavimus pro ſuperioritate Papæ ſupra Concilium; & eſt clariſſima pro noſtra veritate probatio; is vero deceptus author illud ad ſuos pravos ſenſus detorquet: ut verò rẽ clariſſimè videas, tibi ob oculos pono Concilii verba, quæ ita habent: *Si quis tanta efferatur audacia, quemadmodum Photius, & Dioſcorus ſive ſcripto, ſive ſine ſcripto inſanias quaſdam contra Cathedram Coriphæi Apoſtolorum Petri audeat jactare, eandem, atque illi ſententiam damnationis ſubeat. Siqua verò Oecumenica collecta Synodo de Romana etiam Eccleſia controverſia extiterit, licebit cum decenti reverentia, de propoſita quæſtione percontari, reſponſumque admittere, & ſive juvari, ſive juvare, non tamen imprudenter contra Senioris Romæ Pontificis ſententiam dicere.*

61. Ex his verbis pro noſtra Catholica veritate claris, dilucidiſque ſuam Dupinus opinionem deducere dimolitur. Et conatus veram ſapientiſſimi, ſubtiliſſimique Doctoris Cajetani Concilii interpretationem convellere, ita loquitur: *Nec eſt, quòd putet Cajetanus hoc ſe telum vitare, dicendo ſenſum Canonis eſſe non poſſe ſine audacia de Pontifice Romano judicari, contrarium enim, inquit, ſupponit Synodus, cùm vult de rebus ad Pontificem, Eccleſiamque Romanam ſpectantibus à Synodo inquiri: ad quid enim, pergit, inquireretur, niſi ut judicium ferretur? &c.* omnia hæc Dupini futilia, & clariſſimè Sacro Concilio adverſa: quod, ut meridiana luce clarius illuceſcat, diligenter adverte, tria potiſſimum hîc à Concilio decerni. Primum illos eſſe audaces, temerarioſque, qui Romanum Pontificem, Romanamque Eccleſiam judicare moliantur. Secundum eos, ſicut Photium, & Dioſcorum ſimilem audaciam intentantes, eandem damnationis ſententiam ſubire. Tertium ſi fortè contra Romanam Sedem, Pontificemque Romanum nata quæſtio fuerit, ipſum Pontificem decenti reverentia de propoſita quæſtione veneranter eſſe percontandum, ſive interrogandum, reſponſumque ejus eſſe admittendum, ſive Concilium Pontificem juvet ad veritatem melius inquirendum, ſive ipſum Conciliũ juvet Pontifex ex data ſibi à Chriſto clavi ſcientiæ ad rem patefaciendam, dilucidandamq; & ne ita ſint imprudentes, ut contra Romanos Pontifices ſententiam dicant.

62. An pro Superioritate Pontificis Romani ſupra Concilium clarius teſtimonium poſſet afferri? Si Sacra Synodus voluiſſet, noſtram, quam propugnamus, veritatem definire, quibus verbis clarioribus uti poſſet? eodem, quo Dioſcorum, anathemate percellit eos, qui, pernicioſos contra Romanum Pontificem

tificem intentaverint auſus, illi Pontifici ſententiam dicendo; & ſupponit hîc Synodus ſe poſſe contra Pontificem ſententiam dicere? non ne ſuppoſitionem illam præſenti ſuo facto, deciſioneque labefactat? Quid decernit, nata fortè quæſtione de Romana Eccleſia, Romanoque Pontifice, illum prius eſſe ſumma cum reverentia veneranter percontandum, interrogandumque, & illius eſſe reſponſum admittendum; docere voluit eos ſic reverenter, & veneranter interrogantes eſſe Pontifice Superiores, & eum, à quo reverenter expectant reſponſum omninò admittendum, illis inferiorem eſſe? At dicis: ad quid ea orta de Romano Pontifice quæſtione, Concilium agit inquiſitionem? Concilium reſpondet, ut illum adjuvet, & ab eo adjuvetur; tu dicis, ut illum judicet, & ab eodem ipſe condemnetur: en contraria factis conſideras; & Concilium contra Concilium detorques: quid Patres illi, ſi hac tempeſtate viverent, dicerent; videndo nunc non ſolum non expectari, & non admitti Pontificis reſponſum, ſed illius decreta convelli, ſupprimi, contemni, prohiberi; idque tam maturè, tanta præmiſſa examinatione tractata, ſacriſq; ſanctionibus Conciliorum univerſalium decretis conformia? non eos ſic audacter, libereque contra Romanum Pontificem inſurgentes, repellerent, damnarent, execrarentur? Si Patres proſcribunt eos, qui ipſum reverenter non auſcultant; quantò magis eos, qui ſumma irreverentia voci ejus reſiſtunt; conſtitutioneſque aſpernantur? Vides, quàm parum juvent Concilia Dupinum; & quàm infeliciter eodem, quo jugulare alios moliebatur, gladio juguletur!

SECTIO IV.

Alia contra Pontificis Romani authoritatem in Concilia argumenta, ſeu potius futilia cujuſdam Pariſienſis moderni ſophiſmata refelluntur.

63. MAymburgus, qui affectum erga Pontificem Romanum ſimul cum Regione, cujus alumnus fuerat, deſervit, in cauſa Cæciliani per Melchiadem Romanum Pontificem, & poſtea per Synodum Arelatenſem abſoluti; exiſtimat plane deceptus, & allucinatus ex inde deduci majorem Concilii, quàm Romani Pontificis, authoritatem eſſe. Colligit hoc præcipue ex D. Auguſtino, qui ſic de illo Concilio loquitur: *Putemus illos Epiſcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuiſſe: reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ Univerſalis Concilium; ubi etiam cum ipſis judicibus cauſa poſſet agitari; ut ſi male judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur:* quæ verba nos jam ſupra expendimus, ex illis Auguſtini verbis exclamat Maymburgus, quaſi jam bellum confectum, parta victoria, tropheum erectum: & ſic ait in ſuo tractatu hiſtorico cap. 18. fol. 159. *Ingenuè, liberèque fateor; nullo magis exemplo conſtare Pontificum ſententias tribunali Conciliorum ſubmitti; in hoc enim examinari poſſunt, corrigique, ſi injuſtæ ſint.* In primis hiſtoriam Concilii Arelatenſis tractat eleganter, & Laconicè Gallia vindicata. Differt. 3. §. 1. pag. 43. & ſequentibus. Ego hic obſervandum duxi duntaxat aliqua, quæ inſervient ad debellandam hujus authoris audaciam; qua verbis Auguſtini à ſe perperam intellectis vſus eſt, ut Summi Pontificis authoritatem Sanctâ Scriptura, ſacriſque Canonibus, & Conciliorum decretis jam dudum ſtabilita enervaret. Obſervo primò hæreticos Donatiſtas omnem lapidem moviſſe, ut Cæcilianum Epiſcopum Catholicum, ſanctiſque moribus imbutum à ſua Carthaginenſi ſede deturbarent. Varia illi falſa crimina impoſuerunt, de quibus poteſt videri author citatus. Accuſatus igitur Cæcilianus fuit apud Conciliabulum Epiſcoporum illius regionis. Cæcilianus videns eos præſules odio, & non juſtitia moveri negat ſe adeſſe poſſe: fuit igitur condemnatus, de hoc D. Auguſtin. ep. 162. ita ait: *Conſpirantem multitudinem inimicorum non curabat, cum videret ſe, & Romanæ, in qua Apoſtolicæ Cathedræ, & cæteris terris, ſemper viguit principatus, unde Euangelium ad ipſam*

Africam venit, per communicaterias literas eſſe coniunctum, ubi paratus eſſet cauſam ſuam deendere. Cæcilianus innocentia ſua,& Romanę Cathedrę ſecurus,illa ut ultimo aſylo fretus, hoſtibus, quos tales eiſe ſciebat, contemptis, cauſam Romæ fecit eſſe præſentem. Donatiſtæ cum & cauſæ,& Romæ diffiderent, à Conſtantino Imperatore, qui tunc in Galliis morabatur, Gallos judices petunt; Conſtantinus literas Romam mittit ad Melchiadē;apud quem cauſas majores agitari oportere bene callebat: additi verò ſunt, ut perduellium os obſtrueretur, tres è Gallia præſules, Maternus Colonienſis, Rheticius Auguſtodunenſis, & Marinus Arelatenſis Epiſcopi, quibus Itali quindecem adjuncti: examinatâ maturè cauſa, Cæcilianus fuit omnium votis abſolutus, præcipuè verò à Melchiade Pontifice Maximo. Ita referunt AA. apud citatum, præſertim Auguſt. in citata Epiſtola, ubi laudat Summi Pontificis ſententiam per hæc verba: *Qualis ipſius Melchiadis ſententia prælata eſt, quàm integra, provida, atque pacifica*, & poſt pauca, de eodem Summo loquens Pontifice, ſic ait: *O virum optimum! ò filium Chriſtianæ Pacis, & patrem Chriſtianæ plebis!* Item Optatus lib. 3. contra Parmenian. ibi: *Etiam Melchiadis ſententia, qua judicium clauſum eſt, &c.* & lib. 1. contra Parm. ſic ait: *ſufficit ergo etiam Donatum* (qui erat ejus iniquæ factionis fomes præcipuus) *tot ſententiis eſſe percuſſum, & Cæcilianum tanto judicio eſſe purgatum; & tamen Donatus ab Epiſcopis appellandum eſſe credit, ad quam appellationem Conſtantinus ſic reſpondit: ò rabida furoris audacia! ſicut in cauſis Gentilium, appellationem interpoſuerunt.*

64. Obſervo ſecundò acta hujus Concilii Arelatenſis fuiſſe miſſa Romam, ut à Sylveſtro, qui in Melchiadem jam tunc demortuum, ſucceſſerat, confirmarentur. Ita habetur poſt acta Concilii, & ingenuè fatetur Bail Doctor Pariſienſis tom. 2. ad hoc Concilium: *Ipſa, inquit, Synodus Arelatenſis ſubditam ſe agnovit Pontificis juriſdictioni, ut teſtata eſt per Epiſtolam Synodicam ad Sylveſtrum Melchiadis Succeſſorem, miſſam eo fine, ut quæ ſtatuiſſet, authoritate Pontificia confirmaret.* Obſeruo tertiò ex eruditiſſimo Schelſtrate de antiquit. illuſtrat. p. 2. diſſertat. 1. c. 7. a. 3. §. 1. n. 122. & ex Euſebio lib. 10. cap. 5. & præſertim Auguſt. cit. epiſt. 162. Donatiſtas à Concilio etiam Arelatenſi ad Conſtantinum Auguſtum provocaſſe, propter quod in eoſdem invectum eſſe Imperatorem in epiſtola ad Chreſum Epiſcopum Syracuſanum: ubi ſic ait: *Tantæ authoritatis Epiſcopos, quorum judicio, & Cæciliani innocentia, & eorum improbitas declarata eſt; non apud alios collegas, ſed apud Imperatorem accuſare auſi ſunt, quod malè judicarint. Dedit illi Arelatenſe Concilium; non quia jam neceſſe erat; ſed eorum perverſitatibus cedens; & omnino cupiens eorum impudentiam cohibere.* & iterum *Neque enim auſus eſt Chriſtianus Imperator ſic eorum tumultuoſas, & fallaces querelas ſuſcipere, ut de judicio Epiſcoporum, quæ Romæ ſederant, ipſe judicaret.* Obſervo quartò conveniſſe Patres ex toto ferè Occidente, Gallia videlicèt, Hiſpania, Italia, Africa, ac etiam Britannia; atque hæc fuit cauſa, cur Auguſtinus loco citato Concilium illud plenarium, & univerſale appellaverit; non quòd ex univerſali fuerit Eccleſia congregatum; cum Orientales Eccleſiæ non adfuerint, nec fuerint vocata, ſed univerſale dixit, ideſt ex univerſo Occidentali Patriarchatu, qui omnes Occidentales complectitur Eccleſias, ex prædictis illis Regionibus, Gallia, ſcilicèt, Hiſpania, &c. Unde ſtrictè, propriéque loquendo, particulare quidem, & non univerſale dicendum. Obſervo quintò in eo Concilio Cęcilianum non ut reum, ſed ut jam à Romano Pontifice abſolutum, liberumque interfuiſſe; & ideo tam in Epiſtola Synodica, quàm in ſententia contra Donatum lata, ſicut cæteri alii Patres Cæcilianus ſubſcripſit; ut ex ipſis Concilii actis liquidò conſtat. Unde patet Concilium illud Cæcilianum tanquam indubitatiuè à Summo Pontifice abſolutum, non jam ut reum, ſed Judicem in Concilio aſſidere voluiſſe: quomodo ergo Cæcilianum jam judicatum judicavit ut reum, quem ut Judicem admitit?

65. Ex his à me obſervatis manifeſtè liquet Maymburgum, cæteroſque illius partiarios allucinatos eſſe, ſuæque falſitatis prorſus convictos; & quam audacter, temerèque Maymburgus protulerit verba illa futilia: *Ingenuè, liberèque fateor, nullo magis exemplo conſtare Pontificum ſententias tribunali Conciliorum ſubmitti*; cùm tamen contrarium omnino ex illo facto, exemploque deducatur; ut jam pondero, Concilii, Patrum, Imperatoriſque ſententias adducendo; quæ omnia pravo Mayburgi ſenſui, falſæque imaginationi penitus adverſantur. Quæro ex iſto authore, an quia perduelles illi, ac perfidi Donatiſtæ à Concilio illo ipſos damnante ad Imperatorem provocarunt; infert ne plenarium illud Concilium in cauſa præſertim ſpirituali Imperatori ſubmitti? Si Catholicus ſit, ac in Sancta Scriptura, Sacriſque Canonibus verſatus, credo id non dicturum, & ſi contumaciter id affirmet, quis eum inter hæreticos perduelles recenſendum eſſe negabit? Si ergo ex provocatione à Concilio ad Imperatorem nefas eſt inferre Imperatori Concilium ſummitti; cur ille infert ex eorundem perduellium provocatione à Chriſti Vicario Pontifice Romano ad Concilium, Supremum hunc Chriſti Vicarium Concilio ſummitti? Approbare ne cenſebitur Imperator illam ad ſe, & ad Concilium provocationem, quam ipſe vocat rabidam furoris audaciam, dicens: *O rabida furoris audacia; ſicut in cauſis Gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt*? quos vocat ſic appellando à Papa Gentiles, & minime Chriſtianos, appellationem Chriſtianam, rectamque judicabit? Ait totius Eccleſiæ lumen Auguſtinus de hac ſceleratorum hominum provocatione loquens Concilium illis datum fuiſſe, non quaſi hoc eſſet neceſſarium, finita jam per Supremum Judicem Pontificem Romanum cauſâ, ſed ut cederetur eorum peruerſitatibus, & omnino eorum impudentia cohiberetur, dicens: *Dedit ille Arelatenſe Concilium, non quia jam neceſſe erat, ſed eorum perverſitatibus cedens, & omnino cupiens eorum impudentiam cobibere*; & Maymburgus non erubeſcit dicere datum fuiſſe Concilium, quia neceſſe erat cauſam ultimò terminari per Concilium? Auguſtinus provocationem illam ad Concilium perverſam, Imperator furore plenam, Maymburgus, juſtam, ſanctam, neceſſariamque appellat? Juſtum ne Chriſtianum, ac Religioſum Maymburgo, ſuiſque ſequacibus eſſe videtur, deſerere Auguſtinum, & Calvino adhærere ſic loquenti: *Conſtantinus appellationis judicium dedit Epiſcopo Arelatenſi; ſedet ille Judex, ut poſt Romanum Pontificem, quod viſum fuerit, pronuntiet. Si Romana Sedes Summum babet judicium ſine provocatione, cur ſibi tam inſignem calumniam irrogari permittit Melchiades, ut ſibi Epiſcopus Arelatenſis præferatur?*

66. En gladius Calvini hæretici, quem vibrat nunc Maymburgus Catholicus. Infelix homo, qui non niſi pudendis, execrandiſque telis utitur. Si tamen vertit deceptæ mentis oculos ad peſtifera Calvini verba; cur ad Catholicorum reſponſa non advertit? Sed ut iſtius hominis adverſus Apoſtolicam Sedem odium novercale compareat, aſcribit ille Concilio; quod ipſum ſibi Concilium arrogare non præſumit: Concilium hoc ſe agnoſcit ſubditum Pontifici; Maymburgus hoc Concilium adducens, temerè profert ſupra Pontificem Concilium eſſe: non extra Galliam de hoc teſtimonium producam. Bail Doctor Pariſienſis tom. 2. ad hoc Concilium ut ſupra obſervavimus, ita ait: *Ipſa Synodus Arelatenſis ſubditam ſe agnovit Pontificis juriſdictioni, ut teſtata eſt per Epiſtolam Synodicam ad Sylveſtrum Melchiadis Succeſſorem, miſſam eo fine, ut quæ ſtatuiſſet, authoritate Pontificia confirmaret*. Quid opus eſſet, quærere Romanum Pontificem, ad confirmanda Synodi Decreta; Si Romano Pontifici ſubdita non eſſet Synodus? Si jam ultimo terminatum eſt judicium in Synodo, cur pergit Synodus ad Pontificem, ut ulterius terminetur, ſubſiſtat, roboreturque? Si quis aliena diripiens in alterum transferret, juſta ne eſſet iſta translatio? poſſet ne fur ille rectè dicere tertio illi: hæc tanquam verus dominus poſſide? Quid ſi ipſe tertius religione

tactus acceptare renueret, dicens ſe rei furto ſublatæ dominum eſſe non poſſe? En caſus Maymburgi, à Summo Pontifice in Concilium transferre conatur ſupremam juriſdictionem; Concilium ſe ſubditum agnoſcens Romano Pontifici, juriſdictionem illam non acceptat; non erubeſcit hic homo, ſi verè intellectum habet, hanc translationem dominii, ſeu juriſdictionem veram, validamque eſſe, dicere? Ego quidem licèt hunc hominem amiſiſſe fidem aſſerere non auſim; non amiſiſſe intellectum aſſerere non poſſum. Unde mirum non eſt, quòd etiam noſtræ quæſtionis terminos non intellexerit: noſtra quæſtio eſt, utrū in rebus fidem ſpectantibus major ſit Pontificis, quàm Concilii etiam Univerſalis, authoritas? hic author Concilium præfert; allegatq; Cæciliani exemplum: at in eo non de fide, ſed de facto, & delicto agebatur, an, ſcilicèt, Cæcilianus Sacros Codices prodidiſſet; & martyres in carcere clauſos inediâ confici permiſiſſet; quæ quidem quæſtio de facto eſt, non de jure, ac de fide: ergo ineptiſſimè producit exemplum, factumque, quod ad noſtrum non facit intentum; an, ut jam ſupra dicebamus, nos negamus potuiſſe Patres factum melius noſcere, quàm Pontificem longe remotum? num dubitare aliquis debeat, poſtquam Supremus Princeps aliquo de facto ſententiam pronuntiaverit, poſſe iterum inferioribus judicibus cauſam examinaturis factum committere; quia poteſt accidere, ut inferiores illi Judices deputati majorem de illo facto, ac delicto notitiam poſſint acquirere? affirmare ne audeat aliquis intellectûs lumine potēs inferiores illos judices à Supremo Judice deputatos majorem, quàm Supremum, authoritatem habere? majorem illos facti notitiam habere poſſet inferri; majorem juriſdictionem habere nullo modo inferri poſſet.

67. Idcircò Summi Pontifices Romani in approbandis œcumenicis etiam Conciliis, ad id; quod de fide eſt, præſertim attendunt; cætera verò, quæ factum ſpectant, ipſis permittunt; quia de facto ipſo pleniorem notitiam habere poſſunt? Ita S. Leo epiſt. 53. ad Pulcher. & 59. ad Synod. Chalc. ibi. *Ut & fraterna univerſitas, & omnium fidelium corda cognoſcant non ſolùm per fratres, qui vicem meam executi ſunt, ſed etiam per approbationem geſtorum Synodalium propriâ vobiſcum iniſſe ſententiam, in ſola videlicet fidei cauſa &c.* Ita etiam Gelaſius Papa tom. de anathem. ubi ſic ait: *Ne fortè, quod ſolent, dicant; quòd ſi Synodus Chalcedonen. admittitur, omnia conſtare debeant, quæ illinc videantur eſſe deprompta. Cognoſcant illud ſecundùm ſcripturas Sanctas, traditionemque majorum, ſecundùm Canones Regulaſque Eccleſiæ, pro fide communi, & veritate Catholica, pro qua hanc fieri Sedes Apoſtolica delegavit, factamque firmavit à tota Eccleſia indubitanter admitti; alia autem, quæ per incompetentem præſumptionem illic prolata ſunt, vel potius ventilata, quæ Sedes Apoſtolica nullatenus delegavit, mox à Vicariis Sedis Apoſtolicæ contradictum manifeſtum eſt; quæ Sedes Apoſtolica, etiam petente Martiano Principe, nullatenus approbavit;* id habent alii Pontifices; ut in toto hoc opere patebit. Itaq; fidei quæſtiones, & majores cauſæ ad Summum Pontificem ſpectant: & hoc ipſum etiam Maymburgus ſibi contrarius, vel ſui oblitus aſſeruit in hoc ſuo tractatu cap. 5. ubi hæc de Gallico idiomate in Latinum fideliter tranſlata verba ſcripſit: *Cum dubitari non poſſit majorem eſſe Pontificis Romani, quam ſingulorum Epiſcoporum, quantacunque dignitate ipſi ſint, aut Synodorum particularium authoritatem, ſequitur, ut ab Epiſcopis quibuslibet, Synodiſque ad tribunal Pontificis appellari poſſit: hujus officii eſt, de majoribus cauſis judicare, quales ſunt, quæ fidem, aut Epiſcoporum depoſitionem ſpectant.* Poteſtne Maymburgus negare Arelatenſe particulare fuiſſe Concilium, cum non fuerit ex tota Eccleſia, ſed ex una tantùm parte coactum? Si igitur aſſerit à Concilio particulari ad Papam, tanquam ad habentem majorem, quàm Concilium illud, authoritatem provocari poſſe, & debere; quo pacto aſtruit, nullo magis exemplo conſtare Pontificum ſententias tribunali Conciliorum ſubmitti, quàm in hoc Arelatenſi Concilio, quod fatetur eſſe parti-

particulare? Quid eſt hoc, niſi apertè, pugnantia edocere?

68. Ex his manifeſtè deducitur quando Pontifices aliquando latam à ſe ſententiam ad Concilium deferebant; non id efficere, quòd Concilio ſubeſſent, ſed quia in rebus factum ſpectantibus major penes plures, quàm penes unum notitia ſit; & ut omnem tergi verſandi occaſionem adverſariis adimerent, aditumque ad excuſationum latebras, ad quos obſtinatè poſſent confugere, penitus præcluderent, nec aliud Pontificis, & Concilii tribunal erigebatur, ſed unum, idemque erat, quia nihil valiturum, niſi Roma ſubſcriberet, roburque adderet: & quod illi ſtatuiſſent, ipſa firmaret; Patres ergo numerum, ſed pondus Pontifices dabant; ideoque Concilia etiam generalia ſedulò procurabant, ut à Pontificibus Romanis confirmarentur; aliter illis nihil roboris ineſſe judicabant, ut in toto hoc tractatu habes; & eleganter expreſſit Zoſimus epiſt. ad Epiſcopos African. apud Baronium ad annum 418. ubi ſic ait. *Quamvis Patrum traditio Apoſtolicæ Sedis authoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio diſceptare nullus auderet; idque per canones ſemper, regulaſque ſervaverit, & currens adhuc ſuis legibus Eccleſiaſtica diſciplina Petri nomine, à quo ipſa quoque deſcendit, reverentiam, quam debent, exolvunt: tamen cum tantum nobis eſſet authoritatis, ut nullus de noſtra poſſit retractare ſententia, nihil edimus, quod non ad veſtram notitiam noſtris ultrò literis referremus, dantes hæc fraternitati, ut in commune conſultentes, non quia, quid deberet fieri, neſciremus, aut fateremur aliquid, quod contra Eccleſiæ utilitatem veniens diſpliceret; ſed pariter nobiſcum voluimus habere tractatum, de illo &c.* Quodnam, te rogo Maymburge, pro authoritate Pontificis ſupra Concilium clarius teſtimonium poſſet adduci? Zoſimus ex divini Numinis oraculo profatus eſt à mille, & plus ducentis annis, florente tunc Eccleſia, nullum ad ambitionem, faſtûſque ſuperbiam, aut aliena vſuſpandi cupiditatē aperto oſtio, jam tunc ex Patrum traditione conſtare Romanam Sedem, in qua vivida ſemper Petri poteſtas, nulli alteri in terris tribunali ſubeſſe; à nullo de illius poſſe retractari ſententiâ; à nullo ejus poſſe judiciū definitionemque reſcindi; & ſolùm, ut habeatur fraternitatis conſortium Romanum Pontificem ad Epiſcopos, cætumque Chriſtianorum cauſas referre, ut plus ipſe notitiæ, non juris accipiat: non ut Concilium judicet, tanquam disjunctum à Pontifice tribunal, ſed ſi aliter factum ſe habeat, ſuggerant Pontifici, quid fieri oporteat: nec mirum, novumque videatur hoc Privilegium Supremo Vicarii Chriſti tribunali, judicioque concedi; quando etiam Regio Senatui nulla ineſt poteſtas reſcindi à Rege decreta, ſed ſolùm proponendi, oſtendendi, ac deprecandi. Hæc adverſarius, ne à veritatis tramitte deflecteret attendere debuiſſet; clarèque videret majorem eſſe Pontificis, quàm Concilii authoritatem, Romanoque Pontifici Concilium; non Concilio Pontificem Romanum ſubmitti.

69. Multo debilius telum contorquet Maymburgus ex Siricio Papa, quem dicit fateri ſe Capuenſi Concilio ſubmitti: verba Syricii ſunt hæc. *Cùm hujuſmodi fuerit Concilii Capuenſis judicium, ut finitimi Bonoſio, atque ejus accuſatoribus Judices admitterentur, advertimus, quòd nobis judicandi forma competere non poſſit*, & paulo poſt. *Primum eſt, ut ij judicent, quibus judicandi facultas eſt data*, (ſcilicèt, à Concilio) *vos enim totius Synodi vice decernitis, nos quaſi ex Synodi authoritate non convenit, &c.* ex his verbis Syricii Pontificis Romani Maymburgus conſecutionem deducit in hunc modum; *En Siricium Concilio ſubmiſſum! Si enim major Siricii poteſtas, quam Concilii eſſet, cur non poſſet Concilii decretum, factamque delegationem reſcindere, & cauſam aliis judicibus creditam ad ſuum*, hoc eſt, *altius, præſtantiuſq; Tribunal auocare?* Hoc argumentum Maymburgo more ſolito infelix, in multis peccat. Primò, planè videtur ipſum verba Pontificis, eorumque intellectum minimè percepiſſe: nam cùm illi litigantes nollent eos Judices à Concilio deputatos, primùm decidi cauſam à Pontifice poſtulabant; cui Pontifex

fex reſpondit, cùm accuſatores, & accu ſatus judicibus à Synodo delegatis vicini eſſent, & à ſe valdè remoti, non tam commodè proceſſus judicialis, ſeu, quod idem eſt, forma judicandi ei competere poſſet: deinde deputatos à Concilio, illius vice judicare debere, ſibi autem id non poſſe convenire; quia vice inferioris Superiorem non convenit judicare, id ſignificant, illa verba: *Vos totius Synodi vice decernitis; nos quaſi ex Synodi authoritate non convenit*. Primùm verò judicare ex noſtra ſupremâ authoritate, foret ordinarium judicandi modum inter turbare. Hic eſt verus intellectus Pontificiæ reſponſionis: non enim decet Supremum Superiorem inferiorum jura, privilegiaque prævertere; quod eleganter expreſſit D. Gregorius Magnus epiſt. ad Domin. Carthaginen. Epiſcopum lib. 2. epiſt. 39. v. *cauſam*, vbi ſic ait: *De Eccleſiaſticis privilegiis, quod veſtra fraternitas ſcribit, hoc poſtpoſita dubitatione teneat: quia ſicut noſtra defendimus, ſingulis itaquoque Eccleſiis ſua jura ſervamus, nec cuilibet, favente gratia, ultra quàm meretur, impertiar; nec ulli hoc, quod ſuis juris eſt, ambitu ſtimulante derogabo: ſed fratres meos per omnia honorare cupio*.

70. Extat adhuc ejuſdem Gregorii exemplum memoria dignum; dum Trajanus quidam Melitam Inſulam, ubi Epiſcopus deſignatus, proficiſcens à Gregorio poſtulaſſet pro viæ ſolatio, quatuor Monachos ex Monaſterio Syracuzano Epiſcopo ſubjecto, noluit Pontifex id concedere, niſi habita priùs illius Epiſcopi licentia, ſic dicens. *In qua re, ne Reverendiſſimi fratris, & Coepiſcopi noſtri Joannis privilegiorum videremur prærogativam minuere; ita hoc illi noveris eſſe conceſſum, ut tamen fratris noſtri Joannis ſit arbitrio per omnia ſervandum*. Dicet ne Maymburgus Gregorium Magnum, dum aſſerit ſibi non convenire particularium Eccleſiarum ordinariam juriſdictionem diſturbare, impedireque, ſed illis ſemper ſua jura illæſa ſervare, illis Eccleſiis particularibus eſſe ſubiectum? audebit ne aſſerere, hunc Pontificem Maximum, dum negat ſibi licere facultatem dare educendi Monachos Syracuſano Epiſcopo ſubjectos abſque ejus licentia, eidem Syracuſano Epiſcopo ſubmitti? en, quod fecit Gregorius, fecerat Siricius; negavit ſibi convenire Concilii Capuenſis, & Bonoſii Epiſcopi juriſdictionem ordinariam inter turbare, ſed illam illæſam ſervare; num ex hoc facto poſſit inferri Concilium illud ſanè particulare, inferioremque Epiſcopum juriſdictionem ſupra Pontificem Romanum habere; huncque Pontificem Summum illis planè ſubmitti? quo pacto igitur Maymburgus aſſerere audet Siricium Pontificem Maximum Concilio Capuenſi ſubmitti, dum illi procurat illæſa jura ſervare; dum prudens, ſapienſque, ſicut Magnus ille Gregorius, renuit videri eidem Concilio licèt inferiori privilegiorum prærogativam minuere? An ne, quia Romanus Pontifex Tuſculanum Epiſcopum ſuam ordinariam juriſdictionem exercere ſinit, nec ſibi conveniens judicat illum interturbare; Tuſculano Epiſcopo Papam ſubmiſſum eſſe dicetur?

71. Secundò, fallit argumentum Maymburgi; ſibique ipſum adverſari manifeſtum eſt, nam Concilium Capuanum non œcumenicum fuit, ſed particulare, ut nullus negat; ſequeretur ergo etiam Concilio particulari Pontificem ſubiici: quod tamen etiam ipſe Maymburgus non admittit; ſic enim in ſuo jam citato tractatu docet per hæc verba in Latinum fideliter tranſlata: *Pontificis Romani poteſtas omnibus Eccleſiæ particularibus Synodiſque ad Tribunal Romanum appellari poteſt*. Quomodo igitur aſtruit Capuano Concilio ſubjectum eſſe Pontificem, quem fatetur Capuano Concilio præſtare; & ab illo ad Pontificem tanquam ad Superiorem Judicem appellari poſſe? en PP. ejuſdem Concilii, & illorum præcipuus D. Ambroſius Doctor Eccleſiæ fatentur Synodum illam Pontifici eſſe ſubjectam: ſic enim ſcribit ad Theophilum Alexandrinum: *Sanè referendum arbitramur ad Sanctum Fratrem noſtrum Romanæ Sacerdotem Eccleſiæ; quoniam præſumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi diſplicere nequeant: ita enim utile erit conſultum*

tum ſententiæ, ita pacis, & quietis ſecuritas, ſi id veſtro ſtatuatur conſilio, quod communioni noſtræ diſſenſum non afferet; ut nos quoque accepta noſtrorum ſerie ſtatutorum cum id geſtum eſſe cognoverimus, quod Eccleſia Romana haud dubiè comprobaverit, læti fructum huiuſmodi examinis adipiſcamur. Vides, ut Ambroſius fulgentiſſimum Eccleſiæ lumen, Doctorque præſtantiſſimus Capuanam Synodum Romano Pōtifici ſubjectam prędicaverit; & ſolùm ſe lætos fructum illius examinis, ideſt, geſtorum Concilii, adepturos, ſi Romana Sedes haud dubiè comprobaverit? Si hæc, imo ſi ſe ipſum legiſſet Maymburgus, qua fronte diceret ex Capuano Concilio probari Summū Pontificē Concilio eſſe ſubmiſsum?

72. Tertiò, fallit argumentum Maymburgi; quia nonnulli affirmant Epiſtolam illam non eſſe Siricii, ſed Ambroſii lib.10. Epiſtolarum epiſt.79. cum hac inſcriptione, Divi Ambroſii ad Theophilum, & Aniſium excuſanti ſe de judicio ferendo inter Bonoſium Epiſcopum; & quamvis Ambroſii eſſe negent alii; non inde ſequitur Siricii potiùs, quàm alterius eſſe: ergo ſaltem dubium eſt, an ſit Siricii, nec ne: eſt ne bona, efficaxque probatio, argumento dubio rem tanquam certam probare velle? Ex quo manifeſtè patet, quàm ineptè, vanèque Maymburgus hæc futilia verba protulerit: *Exemplo Siricii nihil clarius, ſinceriuſque contra Pontificis authoritatem afferri poſſe*; quàm verò aptè, verè, ſolidèque Catholicus Doctor proferre poſſit: *Exemplo Siricii nihil clarius, ſinceriuſque pro Pontificia authoritate afferri poſſe.*

SECTIO V.

Alia ejuſdem Authoris frivola, deridendaque ſophiſmata refelluntur.

73. Aliud telum, ſed imbelle quidem, & ſine ictu in nos contorquet Adverſarius, videlicèt ex authoritate Sylveſtri II. Pontificis Romani ſic loquentis epiſtol. 2. ad Epiſcopum Senonenſem, ſub nomine Gerberti, quando adhuc ad Pontificatūs honorem non erat aſſumptus: *Conſtanter dico, quod ſi ipſe Romanus Epiſcopus in fratrem peccaverit, ſepiuſque admonitus Eccleſiam non audiverit, hic*, inquam, *Romanus Epiſcopus præcepto Dei eſt habendus ſicut Ethnicus, & Publicanus.* Ex hac Sylveſtri, tunc Gerberti authoritate Maymburgus in hæc verba contra Romani Pōtificis authoritatem audacter prorupit: *Potuiſſet*, inquit, *clarioribus verbis hic Papa* (nota, vocaſſe Papam; quando Papa non erat, ſed tum illi infeſtus; alios vero Summos Pontifices, quando tales ſunt, dumtaxat Epiſcopos appellat) *profiteri Pontifices Romanos, quantumvis Eccleſiæ capita; non ideo tamen legibus Conciliorum, quæ Univerſalem Eccleſiam repræſentant, exemptos eſſe.* Ut videas, quàm futile, vanumque ſit hoc iſtius Authoris argumentum, animadvertere oportet hiſtoriam, quam Laconicè narratam habes apud Galliam vindicatam diſſert. 3. §. 1. pag. 62. ego ſolùm ea, quæ pro argumenti ſolutione ſunt neceſſaria, ex ea depromam: Arnulphus ſacrilegii, & proditionis, ac læſæ maieſtatis reus Rhemenſi Concilio ſiſtitur. Diviſum eſt Concilium; quidam, qui partiali affectu, Epiſcopatum ab Arnulpho in alium transferre deſiderabant, Arnulphum inconſulto Romano Pontifice deponi poſſe judicabant: alii verò, inter quos erat Floriacenſis Abbas præcipua doctrinâ, ſanctitateque conſpicuus, & poſtea Martyr, judicabant oppoſitum eſſe ſequendum: quia dicebant *ex Sacrorum Canonum ſententia majores cauſas, & Epiſcoporum depoſitiones Romano Pontifici reſervari*: affectus, vel metus Regis rationi prævaluit; Arnulphuſque fuit inconculto Pontifice à ſua Sede per Rhemenſe Concilium depoſitus: cauſabantur miſſos Romam legatos octodecem menſium ſpatio ad limen Palatii Pontificii præſtolatos eſſe, non admiſſos, non auditos rediiſſe. Igitur Concilium ſilentio Pontificis habito pro conſenſu, ut dicebant, juxta Regulam juris, *qui tacet conſentire videtur*; Arnulpho depoſito Gerbertus ſuffectus eſt. Huic Rhemenſis Concilii ſententiæ contra jus latæ, utpote cauſa Pontifici Maximo ſecundum Canones reſervata, Seguinus Epiſcopus Senonenſis renuit ſubſcribere, reliqui verò

Epiſcopi, quanvis inviti, metu tamen, & reverentia Regis Arnulpho infenſi ſubſcipſere. Ita refert Aimonius lib. 5. ubi ſic: *Venerabilis autem Seguinus non conſenſit in degradationem Arnulphi, neq; in ordinationem Gerberti: juſſio autem Regis urgebat: alii vero Epiſcopi licet inviti, tamen propter timorem Regis* (Hugonis Capeti) *degradaverunt Arnulphũ, & ordinaverunt Gerbertum*. Quid mirum igitur eſt, quòd Gerbertus tunc privatus, & ſuæ rei conſulens illa præfata verba protulerit. *Ipſe vero Gerbertus*, inquit citatus Aimonus in Appendice lib. 5. cap. 45. *intelligens*, quòd injuſtè Pontificalem ſuſcepiſſet dignitatem, pænitentia ductus eſt; quando, videlicet, miſſo Leone Apoſtolicæ Sedis Legato, nouaque Synodo Rhemis coacta, Arnulphus pulſo Gerberto, Sedi ſuæ reſtitutus eſt; qui Gerbertus propter hæc Gallis offenſus in Germaniam ad Ottonem Imperatorem confugit; & hujus patrocinio ad Pontificatum Romanum evectus eſt, voluitque Sylveſter 2. nominari. Hic verò ſimul ac in ſupremo fuit throno collocatus, damnavit, quæ tanta olim contentione contra Arnulphum, Romanumque Pontificem declamaverat: nam ſic ſcribit in Epiſtola ad Arnulphum, quam refert Balluſius in lib. 7. De Marca c. 25. vbi ſic ait: *quapropter tibi Arnulpho quibuſdam exceſſibus Pontificali honore privato ſubvenire dignum duximus: ut quia tua abdicatio Romano aſſenſu caruit, Romanæ pietatis munere crederis poſſe reparari*. En Gerbertus jam in meliorem frugem redactus, jam ſui facti pænitens, jam non Gerbertus Sedi Apoſtolicæ infeſtus, ſed jam veterem exuens, & novũ hominem induens confitetur injuſtam Arnulphi depoſitionem; non quia culpâ; ſed quia Sedis Apoſtolicæ conſenſu caruit: faceturque ad ſolum Pontificem Romanum majores cauſas, & Epiſcoporum depoſitiones pertinere; idq; *etiam in Galliæ, reliquiſque orbis Chriſtiani Provinciis receptum, & in mores verſum* teſtatur de Marca lib. 7. c. 25. n. 9. ac Gloſſa Pragmaticæ ſanctionis titulo de concub.

74. Ex quibus jam manifeſtè apparet Maymburgici vanitas argumenti, & ejuſdem in Sedem Apoſtolicam invidia, malevolentiaque: nam duo Concilia Rhemenſia circa hunc Arnulphi caſum extitere. Primum Conciliabulum, iniquum, Sedique Apoſtolicæ inobediens; & hoc ſecuti ſunt Perduelles Centuriatores hæretici. Centur. 10. cap. 9. & ſeorſum Francofurdienſes, atq; hujus prioris Conciliabuli ſectarii noſtrorum temporum, tanquam à ſe inventum prædivitem theſaurũ bis in lucem protulere. Secundum, juſtum, validum, verumq; Concilium, à Sede Apoſtolica approbatum; cui Catholici homines adhærent, priori adhæſit Gerbertus, quando adhuc non erat Sylveſter, ſed illi Epiſcopatui ambitioſè inhians, Sediſque Apoſtolicæ contemptor, & ita rabidi furoris contra injuſtè quidem depoſitum, Romano diſſentiente Pontifice, ut Maymburgus ipſe fateatur Decad. lib. 1. fol. 95. *Gerberti ſcripta*, præſertim Epiſtolas ad Seguinũ (qui, ut dictum eſt, Conciliabulo non ſubſcripſerat) *data plus fellis, quam rationis habere*. Poſteriori Concilio adhæſit, illudque approbavit Sylveſter, quando jam non Gerbertus humanæ gloriæ cupidus, & Romanæ Sedi infeſtus, ſed ejuſdẽSedis per quàm ſtudioſus, prioriſq; errati valde pænitens. Dicat mihi nunc Maymburgus; cui fas ſit credere? conciliabulo, an Concilio? homini ambitioſo, an moderato? homini, in ſuis ſcriptis plus fellis, quàm rationis habenti, an homini, qui jàm non contra, ſed juxta rationem loquitur, & operatur? Hæreticis Perduellibus, an fidelibus Catholicis? en Maymburgus non Catholicis, ſed Perduellibus, non Concilio Apoſtolicæ Sedis approbatione coacto, ſed ab eadem improbato Conciliabulo; Gerberto errati, & non ejdem pœnitenti infeliciter adhæret; & tamẽ Catholicus eſt Maymburgus; & tamen fatetur Epiſcoporum depoſitiones, cauſaſq; majores ad Pontificem Romanum ſpectare, ut vidimus ex ſuo jam citato tractatu: quid aliud hoc eſt, niſi & apertæ veritati, clariſſimæ rationi, & ſibi ipſi adverſari? Igitur hoc RhemenſisConciliabuli factum; hæc iniqua Archiepiſcopi Arnulphi depoſitio ſine conſenſu Pontificis facta illi potiùs pudori, quàm argumento eſſe poterat; & nihil niſi ſuam inſipientiam, invidiamque probat.

DISCEPTATIO QVINTA.

Explicantur veri Senſus Concilii Piſani, & Conſtantienſis.

1. ADverſarii noſtri præſertim Maymburgus, & ejus quaſi tranſcriptor Dupinus exiſtimant his trium Cõciliorum præſidiis negotium confeciſſe. Licèt autem nos jam toto hoc noſtro opere verum iſtorum Conciliorum intellectum pro noſtra, & vera ſententia clarè, dilucideque ex optimis rationibus, ac Doctorum, Patrumque illis Conciliis aſſiſtentium teſtimoniis explanaverimus; quia tamen adverſarii multa involvunt, quibus incautos poſſint fortè decipere, operæ pretium futurum eſſe duxi, eorum cavillationes, næniaſque, & quaſi tenues araneæ telas levi flatu dirumpere. Sit igitur.

SECTIO I.

Concilium Piſanum nihil ſavere Adverſariis; nobiſque multum prodeſſe demonſtratur.

2. UT clariùs doctrina hæc, noſtræque ſententiæ veritas innoteſcat, præmittenda nobis eſt cauſa Piſanum Concilium convocandi, quod & jam alibi præſertim verò in noſtro opere de Fide prælibavimus. Cùm Gregorius XI. Avenione, ubi 73. annos Romani Pontifices ſederunt, Romam rediiſſet, atque paulo poſt, anno videlicet 1378. è vivis emigraſſet; Purpuratorum cætus in conclave de more coadunatus Bartholomæum Neapolitanum, qui Purpuratorum numero non fuerat cooptatus, Pontificem elegerunt, qui Urbanus VI. eſt appellatus: hic, cùm jamdudum Pontificum diuturna mora abſentium Roma quaſſatam, & ferè convulſam Eccleſiam reparare, atque inſtaurare, priſtinoque ſtatui reſtituere vellet; à præcipuis Eccleſiæ membris Cardinalibus videlicet reformationem incepit, quippe reliquum corpus, præcipuâ ſanata parte facillimo negotio ſanaretur, & majorum exemplo inferiores alii confirmari facilè poſſent. Hanc Pontificis reſolutionem Purpurati Patres, quòd ſe tractari viderant aſperiùs, quàm ipſi expectaverant, ægrè nimis tulere, amor in odium commutatus: electionem Pontificis factam Cardinalium dolor, & pœnitentia ſequitur: hinc inde modum factum reſcindedi, novamq; electionem ſibi dulciorem peragendi. Arrepta occaſio antiqua Romanæ Urbis conſuetudo; qua Populus Romanus ante Vaticanũ confluens durante conclavi aliquoties optimum ſibi dari Pontificem, qui bene Dei regat Eccleſiam, magno clamore depoſcit; eoque tempore, malorum omnium ex abſentia Pontificum recenti memoria, crebriùs, altiuſque ſubclamabant, ut non niſi ex Romanis, Italiſuè Pontifex fieret, ne Sedes Apoſtolica, pari tranſactis damno pullulante aliò demigraret. Hinc Cardinales ademptam ſibi eligendi libertatem; ſeditionis factæ à Romano Populo metu coactos Pontificem elegiſſe dictitabant: ſed re verâ prudentiſſimus quiſq; judicaverat non electioni metum, ſed metui electionẽ præceſſiſſe, non a Populo Romano juſta poſcenti, ſed à Pontifice Romano injuſta reformanti terror incuſſus: & quidem hunc falſum fuiſſe prætextum probat optimis rationibus Author Galliæ vindicatæ diſſert. 3. §. 4. p. 90. & ſequen. Igitur electores hoc electionis irritæ prætextu aliquanto poſt fundos delati, ibi Cardinalem Robertum, qui Clemens VII. eſt dictus, Pontificem elegerunt; qui confugit ad Gallos, ſeditque Avenione vſque ad annum 1394. quo mortuo Succeſſorem habuit Petrum de Luna Benedictum XIII. appellatum. Aliunde verò Vrband VI. demortuo ſucceſſit Bonifacius hujus nominis nonus; Bonifacio Innocentius VII. ac tandem Innocentio Angelus de

Corario, qui anno 1406. electus eſt, fuitque Gregorius XII. appellatus. Hinc ab electione Clementis dicti VII. natum ſchiſma duorum Pontificum. Ut autem hoc pernicioſum ſchiſma tolleretur, coactum eſt Concilium Piſanum; vocati ad illud Gregorius, & Benedictus; cùm verò adeſſe renuerint, à Concilio ſunt dejecti; electuſq; eſt Alexander V. demortuo ſucceſſit Joannes XXIII. qui Conſtantienſe Concilium indixit, ut infra ſuo loco dicetur. Hinc verò majus in Eccleſiam damnum ex Piſano Concilio pullulavit; nam ante Piſanum duo tantum Pontifices erant Gregorius, & Benedictus, qui Concilio obſtitere; ac Joannes XXIII. qui Alexandro per Piſanum Concilium electo ſucceſſerat. Hæc eſt de hoc Piſano Concilio vera, & ſuccincta narratio. Audiamus nunc Maymburgi comentum.

3. Sic loquitur in tractatu ſuo hiſtorico chr. 21. fol. 184. de Gallico in latinum à Gallia vindicata differt. 3. §. 3. p. 76. fideliter tranſlato. *In Concilio*, inquit, *Piſano, quod anno 1409. congregatum, & peractum eſt, multis cùm ſcriptis, tum exemplis oſtenſum eſt, Pontifices Concilio ſubdi, & ab iſto judicari, puniri, damnarique poſſe. Nam primò cùm quidam in Sacro illo Senatu ſuſtinuiſſent, nullam Conciliis eſſe in Pontifices Romanos poteſtatem; Patres eam proteſtationem deriſui habuere, utpote nulli antiquitati exemplo fultam. Deinde quidam Petrus Plauſt doctrina celebris, & unus ex Univerſitati Pariſienſis deputatis, quæ tunc temporis ad ſupremum gloriæ pervenerat, egregiè, multiſque rationibus oſtendit, multùm Eccleſiam ſupra Pontifices eſſe, & conſequenter etiam Concilium, quo Eccleſia repræſentatur: addiditque hanc eſſe Pariſienſis, omniumque Galliæ Univerſitatum ſententiam. Ut primum peroravit, exſcenditque Cathedra, ſecutus eſt Novarienſis Epiſcopus, ſeque ex ſuggeſtu oſtendens, & voce, qua omnibus intelligi poſſet, proteſtatus eſt, centum, & tres Doctores, ac Theologiæ Licentiatos, qui ex variis Univerſitatibus confluxerant, juſſuque Cardinalium hanc cauſam diligenter examinaverant, cum Pariſienſi Schola in eandem ſententiam convenire, imo, & Bononienſem, ac Florentinam fama, doctrinaque celebres, & Florentinam quidem ſcripto libello, quem viginti Doctores ſubſignaverunt, mentem ſuam expreſſiſſe. Tandem re in Concilio maturè, lenièque diſcuſſa, Benedictum XIII. & Gregorium XII. quanquam eorum alter verus Pontifex eſſet, Papali dignitate abdicarunt, initiſque ſuffragiis novum Eccleſiæ Pontificem dedere, Alexandrum videlicet V. quem pro vero legitimoque Pontifice, & tota ferè Eccleſia, ſi paucos excipiat Benedicto, Gregorioque addictos, agnovit, & ipſe Alexander, quamvis notæ ſanctitatis, morique vicinus, ubi finiri ambitio ſolet, ſe verum Pontificem profeſſus eſt. Patet ergo authoritatem Concilii ſupra Pontificem in Concilio Piſano multis modis oſtenſam eſſe. Et verò fuiſſe hoc Concilium œcumenicum, & unum ex majoribus conventibus, qui unquam in Eccleſia peracti ſunt; patet ex numero, & dignitate Prælatorum, qui illi adfuerunt; quippe Cardinales quinque ſupra viginti, Patriarchæ quatuor, Epiſcopi 182. Abbates 290. inter quos capita, & Generales omnium Ordinum, Magni Ordinum Sancti Sepulchi, Theutonici, Rhodiorumque Magiſtri, Univerſitatum Pariſienſis, Tholoſanæ, Aurelianenſis, Andegavenſis, Cracovienſis, Viennenſis, Pragenſis, Colonienſis, Oxfordienſis, Cantabrigenſis, Bononienſis, Florentiæ, aliarumque Deputati, Legati quoque Metropolitanorum, & Cathedralium ſupra centum, Theologiæ, ſacrorumque Canonum ſupra 300. Doctores; Oratores denique Galliæ, Poloniæ, Boemiæ, Cypri, Siciliæ Regum, Ducum quoque Bavariæ, Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabanti, Brandeburgi, omniumque ferè Germaniæ Principum, præter alios Hiſpaniæ, Aragonia, Hungariæ, Suetiæ, Norvergiæ, Daniæque Reges, qui tandem Concilio Piſano adhæſere. Ergo quo primùm tempore conferri inter ſe conciliorum poteſtas, & Pontificum cæpit, tot Regnorum, Provinciarum, Univerſitatum, Ordinum, Doctorum, Epiſcoporum, hoc eſt totiùs ferè Chriſtiani Orbis vox una, & ſententia fuit Pontifices Concilio ſubeſſe, ab eoque judicari, puniri, deponique poſſe.* Hactenus Maymburgus.

4. Sed omnia hæc Maymburgi, more ſuo, plena dubiis, falſis, & malè, ineptèque deductis, ſpecie tamen veri colora-

Digitized by Google

loratis, & quaſi pictura hominis benè, artificioſèque depicti; quam ſi fixo tandem obtutu inſpicias, præter colores, nihil inveneris. Et in primis Gregorium XII. & Benedictum XIII. fuiſſe Pontificatu ejectos, electumque Alexandrum V. narrat, utrum verò id jure, & legitima poteſtate factum non probat, nec unquam probare poterit. Non ſufficit probare factum, niſi jure id factum eſſe pobetur. An quia Chriſtum à Judæorum Magiſtratu, Senatuque fuiſſe damnatum, Euangelica veritate juſtè damnatum fuiſſe probatur? Quid intereſt factum, ſi jus dubium, minimèque probatum relinquis? Piſanum Concilium fuiſſe legitimum non eſt adeo certum, imo valde incertum, ſeu potius legitimùm non fuiſſe, aſſerit Antoninus p. 3. Chronic. tit. 22. §. 2. & id diſſertat. 2. cap. 1. p. 72. & 75. & 76. latè probat Schelſtrate in hac re diligentiſſimus ſcriptor. An ex hoc peracto Concilio abſque Romano Pontifice ſaltem probabiliter putato vero congregato ſchiſma ceſſavit? Imo Eccleſia, quæ ante Piſanum Concilium in duas fuerat partes diſciſſa; poſt illud Concilium in tres partes diſciſſa remanſit: antea duorum capitum, poſt modum trium capitũ multò deformius monſtrũ Eccleſiæ apparuit; quod benè obſervavit S. Antonin. 3. p. tit. 22. c. 5. §. 2. & cap. 6. §. 2. ubi vocat Concilium Piſanum Conciliabulum, per quod non ſublatum, ſed augmentatum ſchiſma in Eccleſia fuit: *Piſanum Concilium*, inquit, *vel Conciliabulum cùm non eſſet alicujus eorum, qui ſe pro Pontifice gerebant, authoritate congregatum, non erat ablatum ipſum ſchiſma, ſed augmentatum ex duobus, tribuſve ſe pro Papa gerentibus*. Et idem teſtatur Gregorium à multis Deum timentibus, & peritis creditum fuiſſe verum Pontificem tempore ejuſdem Concilii. Si ergo à Piſano Concilio depoſitis Gregorio, Benedictoque, & electo Alexandro, adhuc multi ſanctitate, doctrinaque præſtantiſſimi, Deumque timentes, nec Alexandro adhæſere, nec à Gregorio ſunt disjuncti, nec tamen pro ſchiſmaticis, ſed pro veris, piiſque Catholicis habiti ſunt, evidenter deducitur, Conciliũ Piſanum non fuiſſe pro vero, & œcumenico reputatum, nec novam Alexandri electionem, Gregoriique abdicationem pro legitima habitam: aliter illi, qui tali obſtitere Concilio, Pontificique electo; & Gregorio dejecto adhæſerunt, non pii, Deumque timentes, ſed impii, ſchiſmatici jure merito cenſerentur. Non ne poſt Concilium Piſanum, & electum Alexandrum, Neapolitanum, & Siciliæ regnum, Romandiola, Duceſque Bavariæ, & plurimi Germaniæ præſules, antiſtiteſque Gregorio ahæſere? ligatus ne erat Gregorius voto, quod emiſerat abdicandi ſe Pontificatu, Petro de Luna cedente, qui adhuc poſt Piſanum Concilium, minimè ceſſerat; nec ſchiſma ceſſaverat, cum Regna, Provinciæ non paucæ Benedicto, poſt illud etiam peractum Concilium religioſè, pièque parerent; Aragonia videlicet Navarra, Caſtellæ Regna, Scotia, Baleares, Corſica, Sardinia, aliæque Nationes, quæ ab Hiſtoricis dignis fide narrantur; & ipſe Eugenius IV. in Apolog. contra Baſileenſes fatetur *obedientias Gregorii, & Benedicti fuiſſe non modicam Chriſtianitatis partem*?

5. Dices licèt per creationem Alexandri V. non fuit ſublatum ſchiſma: inde tamen non valet inferri: ergo Concilium Piſanum fuit illegitimum; & Alexander V. illegitimè electus: nam pari ratione poſſet inferri Concilium Florentinum ſub Eugenio IV. fuiſſe illegitimũ; quia per ipſum non fuit ſublatũ ſchiſma Baſileenſe; quinimo vel Græcorum propter quæ auferenda fuit coactum. Similiter poſſet deduci Martinum V. fuiſſe illegitimè electum in Concilio Cõſtantienſi: quia per ejus electionem nõ fuit ſublatũ ſchiſma Benedicti XIII. Reſp. eſſe manifeſtam diſparitatem, nam poſt Piſanum illud ſchiſma non erat mortiferum; ſi quidem, ut conſtat ex dictis, adhuc poſt Piſanum non peccabat mortaliter, qui illis obedientiis adhærebat: at poſt Florentinum, & Conſtantienſe: ſi quis partibus illis ſchiſmaticis adhæreret, mortaliter peccaret: & ſimiliter peccaret mortaliter, ſequens partes oppoſitas Piſano; ſi hoc, ſicut Florentinum, & Conſtantienſe, legitimum foret: quod non pecca-

peccabant, ut dictum eſt: unde patet diſparitas. Imo etiam dato, quòd Concilium Piſanum fuerit legitimè, canonicèque celebratum, ritè dejecti Gregorius, & Benedictus, & benè electus Alexander V. adhuc illorum dictorum Pontificum obedientias probabiliter oppoſitum tenuiſſe docuit Petrus ab Aliaco Epiſcopus Cameracenſis in concluſionibus à Philipp. Labe editis: qui Epiſcopus, durante Concilio Conſtantienſi, librum ſcripſit, & ſic ait. *Licèt Concilium Piſanum fuerit legitimè, & canonicè celebratum, & duo olim contendentes de Papatu iuſtè, & canonicè condemnati, & electio Alexandri V. fuerit ritè, & canonicè facta; prout hæc omnia tenet obedientia Domini noſtri Papæ Joannis XXIII. tamen duæ obedientiæ duorum contendentium probabiliter tenent contrarium; in qua opinionum diverſa, & adverſa varietate non ſunt minores difficultates juris, & facti, quàm ante Concilium Piſanum erat de juſtitia duorum contendentium.* Quis dubitet doctorem hanc doctrina, & Religione conſpicuum non ex peculiari aliquo affectu, ſed ex vi apertæ veritatis cognitæ ſic ſcripſiſſe: nam à Joanne XXIII. Sacram purpuram obtinuerat, ejuſque partes ſequebatur; & nihilominus veritate, rationeque convictus aliarum obedientiarum probabilitatem aſtruebat; partemque ſuam ultra probabilitatis terminos non extendebat: & hanc ipſam Petri de Alliaco ſententiam amplexum eſt Concilium Conſtantienſe, approbavitq; anno 1415. die 4. Jannuarij Joannem Dominicum Cardinalem Gregorii XII. cum rubro Cardinalitiæ dignitatis inſigni galero admittens: conſtat hoc ex actis Concilii Conſtantienſis in manuſcriptis Codicibus Bibliothecæ S. Victoris à Maymburgo ſæpè laudatis: quæ ſic habent: *Alii aſſeruerunt licentiam fratri Joanni Dominici concedendam cum capello rubeo ingrediendi; & hujus ſententiæ fuit R. D. Petrus Cardinalis Cameracenſis, & quidam alii: die nanque 22. Januarii D. Frat. Joannes Dominici tituli S. Marci Præsbyter Cardinalis Raguſinus, ut Cardinalis cum capello rubeo medius inter Dominos Ducem Bavariæ, & Ducem Briegæ ſequentibus Dominis Wormatienſi, Spirenſi, Werdenſi Epiſcopis in obedientia dicti Gregorii perſiſtentibus, qui omnes prædictis legatis Gregorii extra Conſtantiam obviavere, & Civitatem Conſtantiæ ſunt ingreſſi, &c.* Præterea mota inter PP. Concilii Conſtantienſis lite, an in ædibus arma, inſigniaque Pontificia Gregorii XII. deberent affigi, datis vtrinque variis Patrum ſententiis, tandem à Concilio fuit deciſum affigenda fore; ſi Gregorius ipſe adeſſet. Conſtat ex actis Concilii apud eruditiſſimum Schelſtratte in tract. de ſenſu decretorum Concilii Conſtantienſis fol. 153. quæ ſic habent. *Alii verò aſſerebant ſupradicta arma in locis prædictis in obedientia Domini noſtri Joannis XXIII. conſtitutis affigi non potuiſſe, & per conſequens, ex quo deleta fuerant, reponi non debere, & hujus ſententiæ fuit D. Patriarcha Gradenſis, & alii, qui plures, quàm alteri ſententiæ adhæſerant dicentes, niſi Angelus de Corario perſonaliter veniret, ipſius arma ibidem non debere dipingi.*

6. Ex quibus manifeſtum eſt, adhuc poſt Concilium Piſanum peractum, & poſt duos illos Pontifices ab eodem Concilio Piſano ejectos obedientiam Gregorii XII. in ſua probabilitate manſiſſe: nam ſi à Cōcilio Conſtantienſi non judicaretur Gregorius vt probabiliter verus Pontifex, neque Cardinalis ab eo factus tanquam probabiliter verus Cardinalis admitteretur, ſed ut omninò falſus reiiceretur; nam quo pacto, ſi Gregorius ipſe veniret, permitteret Concilium Conſtantiæ, illum Pontificiæ dignitatis inſignibus uti, ſi omnino falſus eſſet Pontifex, & ſine ulla probabilitate veri? non videretur potiùs quędam ſcena mimum repræſentans, quàm grauiſſimorum Patrum Concilium in Spiritu Sancto legitimè, ſanctèque congregatum?

7. Sed nihil clarius indicat Conſtantienſis Concilii Patres abdicationem Gregorii à Piſano Concilio factam, & conſequenter ipſum Piſanum Conciliū pro nihilo reputare; quàm dum ſeſſ. 4. voluerunt, ut Gregorius ipſe, non obſtante, quòd Conciliū ipſum Cōſtantienſe à Joanne XXIII. eſſet indictum, illud idem per ſuum legatum ibi nomine ipſius Gregorii præſidentem, & per Impe-

rato-

ratorem Sigiſmundum indiceret; & tunc, & non prius jure Pontificatus ceſſit; permitteretur ne præſidere Conſtantienſi, ſi jam validè à Piſano fuiſſet ejectus? non crederetur validè ejectus, ſi Piſanũ Concilium legitimum fuiſſe Patres arbitrarentur? Deinde ſi PP. Conſtantienſes Gregorium vere jam Pontificatu à Piſano dejectum, & Pſeudo Pontificem crederent, quo pacto de illo tanta veneratione dicerent: *Ille Dominus, qui in ſua obedientia dicitur Gregorius XII.?* quo pacto etiam ſeſſ. 14. ſerio diceretur; *Dictam convocationem, & confirmationem, in quantum ad Gregorium pertinet, & attinet, eis admiſerunt*; rectè ne, aut ſerio dici poſſet convocare, authorizare, confirmare Concilium; qui nec probabiliter eſſet Pontifex? qui Pontificatu dejectus erat? An ne, qui vocem non habet, convocare, cui non ineſt firmitas confirmare, qui authoritate caret, authorizare poteſt? Abdicavit ſe poteſtate Gregorius; jure ceſſit ſuo: num dici ſeriò poſſit ſua ſe poteſtate abdicare, jure ſuo cedere, qui nec probabilem, vel ſaltem dubiam poteſtatem; nec probabile, vel ſaltem dubium jus habet? Sanè foret hæc indulgentia, ſimulatioque ſcænæ digna theatro, ſed graviſſimo quidem indigna Concilio. Huic rationi Maymburgus tract. Hiſtorico de Magno ſchiſmate Occidentali lib. 5. fol. 309. ineptè ſatis, parumque conſideratè reſpondet id fuiſſet factum; *ut Synagogam ſuam cum apparatu, pompaque funeraret, inani quidem ſolatio, ſed innoxio*. At non videt Maymburgus per hanc allegoriam ad Hæbreorum Synagogã à lege Chriſti honorificè tumulatam ſe ipſum jugulare; & contra ipſum jacula contorqueri? fuit tumulata Synagoga; ergo non fuit antea Synagoga? fuit mortua: ergo non fuit antea viva?

8. Nec dicere valet obedientiã Gregorii fuiſſe quidem probabilem, & quodammodo vivam, ſed à Concilio Piſano occiſam, & ut mortuam jam in Concilio Conſtantienſi funerali pompa cum inſignibus tumulatam: at quis non videat, qui tantum de narratæ à ſe hiſtoriæ veritate gloriatur; vel authorem non legiſſe, vel ex induſtria veritatem ſuppreſſiſſe? Non ne ex actis Concilii Conſtantienſis multo poſt Piſanum tempore celebrati ſupra relatis conſtat adhuc durante ipſo Conſtantienſi Concilio Gregorium probabiliter verum Pontificem reputari? quomodo igitur obedientia illa fuerat jam à Piſano occiſa, ſi poſtea in Conſtantienſi ſupponitur, & admittitur viva? fortè per miraculum ex mortua rediit ad vitam? Audiat Maymburgus Gerſonem ſuum, cujus authoritatem tantopere laudat, ſic dicentem in 1. parte operum. *In ſchiſmate præſenti tam dubio, temerarium, iniurioſum, ſcandaloſum eſt aſſerere omnes tenentes iſtam partem, vel alteram eſſe extra ſtatum ſalutis, vel excommunicatos, vel rationabiliter de ſchiſmate ſuſpectos*, & infra: *Tota ratio fundatur in hoc; quod nunquam fuit tam rationabilis, & vehemens cauſa dubitationis in aliquo ſchiſmate, ſicut in iſto, cujus ſignum evidens eſt opinionum Doctorum, & inter doctiſſimos, & probatiſſimos ex utraque parte; poteſt ergo illud dici rationabiliter dubitabile, quod plurimi, & maximè ſapientes dubitabile reputant, & prædicant*. Sed multò poſt Concilium Piſanum, tempore ſcilicèt Conſtantienſis Concilii, ut ſupra vidimus, Patres Conſtantienſes, Doctoreſque ibi ſapientiſſimi, & probatiſſimi de illis obedientiis cum varietate opinionum ex utraque parte rationabiliter dubitabant: ergo juxta doctrinam, rationationemque Gerſonis, temerarium, iniurioſum, ſcandaloſum aſſerit Maymburgus dicendo illam Gregorii obedientiam poſt Piſanum Concilium mortuam eſſe, & conſequenter illam tunc (quandiu Gregorius non ceſſit, & ſe Pontificatu non abdicavit) ſequentes extra ſtatum ſalutis eſſe. Erat ne extra ſtatum ſalutis S. Vincentius Ferrerius, qui novem poſt Concilium Piſanum annis Benedicto conſtanter adhæſit, quod etiam Maymburgus citatus ultro fatetur? erant tunc extra ſtatum ſalutis Regna Scotiæ, Navarræ, Caſtellæ, Aragoniæ, Sardiniæ, aliæque Provinciæ, quæ adhuc poſt Piſanum Concilium, à quo Benedictus fuit depoſitus, eidem Benedicto adhæſerunt? vitabantur ne tanquam

quam Ethnici, & Publicani à fidelibus? Non ergo Concilium Piſanum Oecumenicum, legitimumve fuit, nec Alexander, ab eo Conclio electus, ejuſque Succeſſores, veri, & indubitabiles Pontifices fuerunt; alioquin non Sanctus, ſed Ethnicus, & Publicanus eſſet, qui Eccleſiam in eo Concilio, ſi legitimum fuiſſet, repræſentatam, nollet audire, veroque, ac legitimo Pontifici parere.

9. Ultimò tandem concluditur Piſanum Concilium planè dubium eſſe, ac incertum ex validiſſimo teſtimonio Patrum Conſtantienſium, prout conſtat ex geſtis Concilii in quatuor manuſcriptis Codicibus apud Schelſtratte in tract. de Concilio Conſtantienſi fol. 6. ubi major, ſaniorque pars Concilii, videlicet ex Nationibus Gallica, Hiſpanica, & Italica cum Collegio Cardinalium, cùm peteretur, an omiſſo interim Reformationis articulo, ad indubitati Pontificis electionem procederetur; ita loquuntur: *Eccleſia in periculo remaneret: quia vix, aut nunquam Summus Pontifex indubitatus poſſet haberi, quia vix congregaretur indubitatum Concilium deficiente capite, ad quod pertinet convocare.* Ecce fatentur Patres Concilii Conſtantienſis nullum Concilium eſſe indubitatum ſub incerto Pontifice; & multo magis, quando nullus eſt Pontifex, qui Concilium indicat, convocetque, niſi in eo caſu in quo Pontifex notoriè hæreticus nollet Concilium indicere: tunc enim Epiſcopi per concordiam convocari deberent legitimè;etiam non indicente Pontifice; quia Deus non debuit Eccleſiam ſuam ſine remedio relinquere. Oſtendant nunc Adverſarii à quo Pōtifice Piſanum fuit Concilium convocatum, & indictum? à Pontifice certo, ac indubitato? Nullus erat tunc certus, ac indubitatus Pontifex in Eccleſia: pars enim Eccleſiæ Benedictum, pars Gregorium ſequebatur; unaquæque ſuum ſecundum jus probabile, conſequenter incertum, à Pontifice dubio? certum quidem eſt, nec ipſi adverſarii negant; non fuiſſe ab altero ex duobus, qui tunc erant, Gregorio, videlicèt, & Benedicto, dubiis, & incertis convocatum. Si neque ab indubitato, nec à dubio fuit Pontifice convocatum, ritèque indictum; & vix, aut nunquam poteſt eſſe Concilium indubitatum capite deficiente, ut Conſtantienſes Patres expreſſe teſtantur; qua ratione, & fundamento, adverſarii dicunt Piſanum Concilium legitimum,indubitatumque fuiſſe? Si legitimum eſſet Piſanum Concilium, Divus Antoninus illud Conciliabulum appellaret? Divus Vincentius ab illo averteretur? Concilium Conſtantienſe adhuc poſt depoſitionem Beuedicti, & Gregorii ab illo Concilio Piſano factam eos Pōtifices tanquam probabiliter veros aſſereret? ei Concilio non adhærentes admitteret? Et quemlibet eos depoſitos Pontifices ſequentem non abominaretur, & non tanquam Ethnicum, Publicanumque reputaret?

10. Imo Maymburgus ipſe, tam parum veri tenax, quàm parum ſibi conſtans in ſuo tractatu hiſtorico de magno ſchiſmate Occidentali lib. 6. fol. 379. ad annum 1415. ſic ait. *Eorum ſententiam, qui Benedictum pro vero Pontifice agnoſcebant, probabilem fuiſſe, (quanvis contraria magis probabilis eſſet) & ideo viros ſanctitate, doctrina, & dignitate præcipuos potuiſſe illam ſecura conſcientia amplecti.* Si ergo, teſte Maymburgo, hæc propoſitio, Benedictus, vel Gregorius verus eſt Papa, eſt probabilis: ergo Concilio Piſanum, quod eos Pontifices depoſuit, non fuit certum, ſed valde incertum, & dubium: ſi enim certum, legitimum, & infallibile eſſet; quomodo Benedictus ab eo depoſitus, foret probabiliter verus Papa? nam quis dicat propoſitionem adverſam legitimo, & infallibili Concilio Oecumenico,probabilem eſſe?

11. Ex quibus manifeſtum eſt Maymburgum non bene aſſeruiſſe Concilium Piſanum fuiſſe legitimum, indubitatumq; & in hoc illis Sanctis in Altari ab Univerſali Eccleſia adoratis, & ipſi Concilio Conſtantienſi, & tandem ſibi adverſari. Si ergo Piſanum Concilium dubium valde fuit, & illegitimum, depoſitio eorum Pontificum ab illo facta, legitima eſſe non potuit, quomodo igitur ex facto injuſto Conciliabuli contra

Ponti-

Pontificem jus Conciliabuli illius in Pontificem probare demolitur? Si ſubditus uſurpata ſibi juriſdictione Regem ſuum damnaret; major inde ſubditi ſupra Regem authoritas probaretur?

12. Cæterum permittamus Maymburgo id, quod incertum eſt, videlicèt, Concilium Piſanum fuiſſe legitimum,& œcumenicum, potuiſſeque Pontifices illos dubios quidem, ut verè erant, judicare, & punire; inde ſolùm probare potuit Concilium eſſe ſupra Papam dubium: ſed hoc quid ſpectat ad noſtram quæſtionem, in qua ſolum quærimus, utrùm ſit ſupra Papam indubitatum? non ne Author iſte à ſuo propoſito longe aberrat? intendebat probare Concilium eſſe ſupra Papam indubitatum, & à tota Eccleſia receptum; & affert exemplum de Papa dubio, & ſolum ab aliqua parte Eccleſiæ recepto, ab alia verò non admiſſo; quid eſt hoc, niſi quærenti Hiſpaniam, ei Galliam oſtendere; & volentem ad Orientalem plagam ire,iter agere ad Occidentalem? Itaque duo inquiri poſſunt. Primum, utrùm Concilium Univerſale, ac legitimum majorem habeat authoritatem, quàm Papa dubius, ſchiſmaticus, & hæreticus? Secundum, an major ſit authoritas Univerſalis Concilii, quàm Pontificis indubitati Catholici, & legitimi? De hoc ſecundo tota eſt controverſia: de hoc ſecundo loquuntur Propoſitiones Pariſienſium: hoc ſecundum ſuſceperat probandum Maymburgus: at Concilium Piſanum nihil omnino de hoc ſecundo; ſed de primo tantùm loquitur: ergo probatio Maymburgi nulla eſt contra nos; cùm ſolùm probet à nobis conceſſa: minimè verò probet à nobis negata: eſt ne bonus modus nos impugnandi, probare id, quod nos concedimus; & omittere probare, quod negamus? certè qui in aliquot concertationibus hoc uteretur probandi genere, ludibrio à ſpectantibus exſibilaretur.

13. Quod verò Piſanum Concilium de ſolo Pontifice dubio, ſchiſmatico, hæretico ve loquatur, tam clarum, perſpicuumque eſt, ut vel illud leviter prælibanti facillimè innoteſcat; & valde mirandum eſt Maymburgum, cæteroſque illum ſequentes acta Concilii Piſani minus fideliter allegaſſe; vt quod veris armis evincere non poterat, artificioſis in cautos, phantaſticâ velut umbra, larvâque deterreret. Ut vero facilè hoc intelligatur, tanquam certum præmittimus, quo tempore Piſanum Concilium celebratum eſt, in eoque Concilio Gregorius, & Benedictus fuere dejecti; nullum indubitatum, certumque Pontificem extitiſſe, ſed Eccleſiam in duas eſſe partes diſectam; Italia cum ſuis Inſolis, Germania, Vngaria, Polonia, Angliaque Gregorio adhærebat; Hiſpania vero, Scotia cum ſuis Inſulis Benedicto. (Gallia enim incerta fluctuabat hinc, & inde) Totum incertum, valdeque dubium ſecundum varias juris, factique rationes. Schelſtrate in compendio pag. 24. hæc verò incertitudo, uter ex duobus Pontifex eſſet; (quippe duplex caput Eccleſiæ monſtrum erat; nec dici poterat pulcherrima Chriſti Sponſa) hæc inquam incertitudo tanta fuit; ut Univerſitates Pariſienſis, & Bononienſis eam omnino inextricabilem judicaverint; atque ita in quadam Scriptura Concilio miſſa, hæc loquuntur. *Stante dubio inextricabili Papatûs propter dubium facti, & juris, ne in ſubverſionem fidei Eccleſia ſic maneat perpetuo diviſa cum tanto ſcandalo, & animarum perditione, proviſio ſpectat ad Concilium, ut utrumque eis non cedentibus poſſit à Papatu eiicere*. En Univerſitates illæ in eo ſolum caſu dubio, uter Pontifex verus, an falſus ſit, poſſe à Concilio Papatu deiici, eis cedere nolentibus, edocent; ineptiſſimè igitur eas adverſarii allegant, quando Pontifex dubius non eſt, ſed legitimus, imo ſi Univerſitates illæ quæſtionem pro Papa indubitato deciderent; ad propoſitam quæſtionem non reſponderent.

14 Et adeo metuebat Concilium judicare Papam etiam dubium, ut non obſtante hac duarum illuſtrium univerſitatum ſententiâ aſſerente poſſe Pontificem dubium à Concilio judicari, & Pontificatu deiici, id facere non fuerit auſum, niſi prius eorum Pontificum notorio ſchiſmate, atque hæreſi notoria legitimè probata, ut Sacris ſe Cano-

nonibus conformaret; quibus ſancitum eſt in ſolo caſu hæreſis notoriæ poſſe Pontificem à Concilio licèt Papâ inferiore pro bono Eccleſiæ deponi, ut ſupra jam ſæpius adnotavimus; & infra ſuo loco dicemus. Auderet ne Piſanum Concilium indubitatum Pontificem judicare, quod etiam dubium judicare metuebat, tantamque diligentiam, & ſedulitatem jam Doctores, jam Univerſitates conſulendo adhibebat, ut id de Pontifice dubio poſſet efficere? Quod non prius eſt auſum deponere Pontificē dubium, quàm illum ſchiſmaticum, notoriumq; hæreticum probaviſſet; Pontificem certum, ac indubitatum, catholicumque deponere auderet? Et idcirco antequam Pontifices illos dubios, cedereque nolentes è Pontificatu lata ſententia deiiceret, hanc prius cauſam apposuit: *Quòd, videlicèt, eſſent notorii ſchiſmatici, nec non notorii hæretici, & à fide devii*. Credebant enim Patres Piſani Concilii, ſecluſo caſu hæreſis, nec quidem eos Pontifices, licèt dubios à Concilio judicari, multòque minùs deponi poſſe: quod ex ſingulis hujus Piſani Concilii ſeſſionibus liquido conſtat: nam ita ſeſſione 3. habetur: *Declaratio ad Decretum latum contra duos contendentes de Papatu ob contumaciam ipſorum in cauſa fidei, & ſchiſmatis contumacia*. Et paulo poſt: *Sancta Synodus Dominos Petrum de Luna, & Angelum Corariū de Papatu contendentes, & quantum in eis Eccleſiam Dei in notorio ſchiſmate tenentes, & proclamatos in cauſa ſchiſmatis, & fidei ad hoc præſens, & Sacrum Concilium*. Et ſeſs. 9. *Inſuper Sacra Synodus ex cauſis, quibus ſupra pronuntiavit, ſtatuit, & decrevit, præfatos contendentes de Papatu in præſenti cauſa ſchiſmatis, & fidei contumaces, &c.* Et infra; *Item eadem Sacroſancta Synodus in favorem fidei, & ſchiſmatis extirpandi, &c.* & ſeſsion. 13. in oratione Magiſtri Petri Plauſt. *Et poſt modum poſuit opinionem Univerſitatis Pariſienſis, videlicèt, quòd Petrus de Luna eſt ſchiſmaticus, pertinax, & hæreticus, etiam accipiendo hæreſim propriè, & ſtrictè, & præciſus ab Eccleſia Dei, &c.*

15. Idem habetur ſeſs. 14. & 15. vbi ſententia in Benedictum, Gregoriumq; à Concilio lata recitatur in hunc modum: *Chriſti nomine invocato Sancta, & Univerſalis Synodus declarat, &c. utrumque fuiſſe, & eſſe notorios ſchiſmaticos, & antiqui ſchiſmatis nutritores, nec non notorios hæreticos, & à fide devios*. Et in 1. concluſione Univerſitatum Pariſienſis, & Bononienſis: *Uterque de Papatu contendentes ex debito Paſtoralis officii veri, vel prætenſi ſtante ſchiſmate tam inveterato tenetur, & debet cedere, ex quo propter dubia juris, & facti ſuper Papatu aliter dari non poteſt unio, & pax in Eccleſia Dei, &c.* & in 3. concluſ. *Papa ſtante tali ſchiſmate, pertinaciter reſiſtendo incurrit crimen notorium, propter quod ſubiicitur proviſioni Concilii; & ultra hoc concluditur ſchiſmatis nutritor, cujus obſtinatione, & vetuſtate deſcenditur in hæreſim, & fides læditur, cujus proviſio pertinet ad Concilium*.

16. Hactenus acta Concilii, ex quibus meridiana luce clariùs innoteſcit cauſam depoſitionis eorum Pontificum aſſignari tum à Concilio, tum ab illuſtribus illis Academiis Pariſienſi, & Bononienſi in ſchiſmate, & hæreſi notoris pertinaciam, & meritò; non enim ignorare poterant ſapientiſſimi Patres, Doctoreſque præſtantiſſimi ſacros de hac materia Canones, præcipuèque Epiſtolam Adriani II. in octava Synodo actione 7. lectam, & approbatam, ubi inter alia ibi decreta, hæc habet: *Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum Præſulibus judicaſſe legimus, de eo verò quemque judicaſſe non legimus. Licet Honorio ab Orientalibus anathema dictum ſit, ſciendum tamen eſt, quia fuerat ſuper hæreſi accuſatus; propter quam ſolum licitum eſt minoribus maiorum ſuorum motibus reſiſtere*. Ubi vides Adrianum, & Synodum ipſam nec Concilio Oecumenico permittere, ut extra caſum hæreſis (propterquam, ſcilicèt, Honorio Univerſale Concilium, & non propter aliam cauſam, anathema dixit) Pontificem judicet: nec Concilium illud œcumenicum Adriani Epiſtolam improbavit, ſed potiùs ſummis laudibus eam extulit. Manifeſtum igitur eſt Concilii Piſani mentem, doctrinam, decretaque ad ſolum

lum

lum ſchiſmatis, & hæreſis caſum ſpectare; proindeque ex Concilio Piſano nullum prorſus argumentum deduci poteſt ad caſum noſtrum de Pontifice legitimo, ac indubitato non ſchiſmatico, & hæretico, ſed fideli, & Catholico.

17. Ex his duo manifeſtè deducuntur. Primum eſt Maymburgum, ejuſque perpetuum ſectatorem Dupinum noſtræ quæſtionis terminos minimè percepiſſe: nam tota noſtra controverſia eſt; utrùm Univerſale Concilium extra caſum hæreſis, & pernicioſi ſchiſmatis, duorum, vel plurium Pontificum, de quibus datur perplexitas, authoritatem habeat ſupra Pontificem indubitatum, certum, & legitimum? illi vero Authores probant ex illo Concilio aliam concluſionem longè diverſam, nimirum Concilium ſupra Pontificem dubium, in caſu ſchiſmatis, & hæreſis authoritatem habere: ergo vel nihil probant contra noſtram concluſionem, quam pugnandam ſuſceperant, probando aliam diverſam, quam nos non negamus; vel terminos quæſtionis ignorarunt, minimèque perceperunt. Secundum eſt, ipſum Maymburgum verba Concilii, Pariſienſiſque ſententiam pervertiſſe cum gravi ſimplicium lectorum, quos fallit, injuria, damnoque. Sic enim in tract. de Prærogativis Eccleſiæ cap. 21. fol. 148. quod & notavit Author Galliæ vindicatæ, Diſſert. 3. §. 3. pag. 87. Maymburgus habet: *Petrus Plauſt unus ex Univerſitatis Pariſienſis deputatis, longa, doctaque oratione, quam in pleno Patrum conſenſu peroravit, multis rationibus Eccleſiæ Univerſalis, & conſequenter Concilii, quod eam repræſentat, authoritatem Pontificiæ authoritati præſtare oſtendit; addiditque hanc eſſe Pariſienſis, & omnium Galliæ Univerſitatum ſententiam*. In quibus verbis ponit Maymburgus Concilii poteſtatem ſupra Pontificem abſolutè, & non in caſu hæreſis, ſchiſmatis, & dubii Pontificis; cum tamen verba illa, quæ refert, aliter ſunt ſcripta in actis Concilii ex editione Lucæ de Acher. ſeſſ. 13. Philippi Labb. editione Pariſienſi. Et ita habent. *Decima ſeſſio fuit die Mercurii, die 29. Maii, in qua poſt Miſſam, & Litanias Magiſter Petrus Plauſt pro Univerſitate Pariſienſi dixit opinionem Univerſitatis eſſe iſtos duos contendentes debere reputari ſchiſmaticos, & hæreticos pertinaces, firmans authoritatem Concilii ad decidendum hanc cauſam, & declarandum eos eſſe ab Eccleſia præciſos, & abiectos, &c.* Poſtea verò verſus medium. *Unus Epiſcopus Italicus dictus Novarienſis legit quandam ſchedulam facientem mentionem, qualiter ſecundum ordinationem Dominorum Cardinalium per D. Cardinalem Mediolanenſem fuerunt ſimul congregati omnes Magiſtri in Theologia, & Licentiati, qui ad dictum Concilium de multis partibus, & Univerſitatibus convenerunt, & inter eos fuerit habita plena deliberatio ſuper iſta materia; & poſtea in eandem opinionem convenerunt, & concordes fuerunt, videlicèt, quod dictos contendentes tenent ſchiſmaticos, &c.*

18. Quis non videat longe diverſam fuiſſe Pariſienſis, aliarumque Univerſitatum ſententiã ab ea, quam illis affingit Maymburgus? nam illæ non dicunt, Concilia eſſe ſupra Papam, ut ille ſine ullo fundamento audacter ſcribit; ſed dicunt. *Benedictum, & Gregorium pro ſchiſmaticis, & hæreticis habendos, & Concilium eſſe in hac cauſa cognoſcenda judicem*. Non ne vides eſſe toto cœlo diverſum: *Concilia ſunt ſupra Summum Pontificem Romanum legitimum, indubitatumque, & Pontifices Benedictum, & Gregorium dubios quidem, & ſchiſmatis nutritores pro ſchiſmaticis, & hæreticis habendos à Concilio judicari, deponique poſſe?* Quare author iſte verba, pro ut erant in actis, non poſuit, niſi ut illorum ſenſum perverteret? cur ea omiſit, quæ verum ſenſum reddebant, niſi quia ſuam labefactabant opinionem; noſtramque veram doctrinam corroborabant? cur tacuit verum, niſi, quia opinioni ſuæ, quàm veræ ſententiæ noſtræ, maluit adhærere?

19. Ex tota hac ſectione concluditur hoc dilemma: vel Concilium Piſanum non fuit legitimum, ſed Conciliabulum; ut probatum eſt in prima parte, vel legitimum, ut permiſſum eſt in ſecunda: ſi primum, nihil ex eo poteſt concludi contra Summi Pontificis authoritatem: nam ex principio falſò ſequi verum non

 poteſt.

Digitized by Google

poteſt. Si ſecundum; probatum, oſtenſumque jam eſt Concilium Piſanum non loqui de poteſtate Concilii ſupra Pontificem verum, & indubitatum, ſed ſupra dubium, ſchiſmaticum, & hæreticum, de quo hûc quæſtionem non agitamus: ergo ex illo contra nos nullum poteſt argumentum deduci. Quare falsò concludit Dupin. tract. de Antiqua Eccleſiæ diſciplina diſſertat. 6. p. 404. dum ſic ait: *Nec ſolùm Piſana Synodus ſuam in Pontifices authoritatem exercuit, ſed etiam decreto ſancivit: Concilium generale univerſam repræſentans Eccleſiam eſſe ſuperius Papâ; & ad illud pertinere cognitionem, ac judicium controverſiarum, quæ Pontificatum Romanum ſpectant: ea verò*, inquit, *quæ à Concilio geſta, & definita fuerunt, approbavit, & confirmavit Alexander V. qui tunc*, inquit, *ab omnibus pro legitimo Pontifice habebatur, & Concilium generale, & legitimum pronuntiavit, quo etiam nomine donatur Concilium illud ab omnibus, qui de eo tum temporis ſcripſerunt*. Hactenus Dupinus: ſed totum mendaciis intermiſtum; in primis falsò dicit Synodum Piſanam exercuiſſe authoritatem in Pontifices veros, de quibus tantùm inter nos eſt controverſia; ſed ſolùm in dubios, ut manifeſtè manet probatum ex ipſius Concilii Piſani actis; & ex Pariſienſis, aliarumque Univerſitatum teſtimoniis. Secundò, falſum ſcribit Concilium Piſanum definiſſe Concilium Univerſale eſſe ſuperius Papâ vero, & legitimo; cùm ex dictis actis Concilii conſtet nec etiam dubios Pontifices Benedictum, & Gregorium judicare voluiſſe, niſi, probata prius eorum Pontificum in notorio ſchiſmate, & notoria hæreſi, contumacia: ſi enim, ut dicebamus, non audebat judicare Pontifices dubios, niſi probarentur eſſe ſchiſmatici, & hæretici; quomodo definiret ſuam authoritatem ſupra Papam certum, indubitatumque non ſchiſmaticum, & hæreticum, ſed Catholicum? imò in ipſomet decreto allegato ſe explicat Synodus, dum dicit ſolùm habere authoritatem in Romanum Pontificem, quando controverſia eſt de illo, videlicèt, quando controvertitur, utrùm ille ſit verus, & legitimus, & dantur dubia juris, & facti; ut in caſu illo, de quo in Concilio agitabatur.

20. Tertiò, falſum narrat Alexandrum V. ab omnibus pro vero, & legitimoque Pontifice habitum fuiſſe: cum tamen oppoſitum ex dictis liquidò conſtet; non ne D. Antoninus; D. Vincentius Ferrerius, aliique ſupra relati per Alexandri electionem non ſublatum, ſed auctum ſchiſma fuiſſe dixerunt? non ne in tres partes ſciſſam ſe vidit Eccleſia, & exinde uſque ad Joannem XXIII. triplici capite deformatum monſtrum? qua veritate dici poteſt Alexandrum fuiſſe ab omnibus ut verum, & legitimum Pontificem receptum, cùm ab eo tempore plus creverit ſchiſma, Univerſitateſque Galliæ, aliarumq; Provinciarum Concilium Univerſale ad ſchiſma illud extirpandum convocari debere unanimiter judicarunt? cur illud Piſanum Concilium Pontificemq; Alexandrum ibi electum Concilium Conſtantienſe, Patreſque illius congregati de illo tantopere dubitarunt? ſi fuit legitimus, & ab omnibus receptus Pontifex Alexander, cur non ceſsavit ſchiſma, ſicut Martini V. legitimi, ab omnibuſq; recepti Pontificis electione ceſsavit? Ecce fundamenta, quibus adverſarii adnituntur, plena fallaciis, mendaciiſque reſperſa; quibus, & incautos decipere; & peritos ad riſum provocare viſi ſunt; & nihil aliud, quàm & ſibi dedecus perpetuum, & narratæ à ſe hiſtoriæ contemptum infeliciter aſſequuntur.

SECTIO II.

De vero ſenſu Concilii Conſtantienſis à Martino V. confirmati.

21. EXiſtimant adverſarii ex Concilio Conſtantienſi ſententiam ſuam certam, ſtabilitamque eſse; & incipiunt victoriã canere, triumphum agere, trophæum erigere; ſed vana quidem eſt eorum gloriatio, falſa victoria, triumphuſque mendax, & inane trophæum: nam Concilium Conſtantienſe illos potius jugulat, noſtramque ſententiam veram eſse confirmat; quod jam alibi comprobavimus; & hic evi-

den-

dentiùs, nervoſiùſque enucleabimus, declarando verum ſenſum hujus Conſtantienſis Concilii, præſertim in manuſcriptis Codicibus authenticis originalibus; quod totum debetur accuratiſſimæ eruditiſſimi Canonici D. Emanuelis à Scheltrate diligentiæ; quæ rebus ex antiquitate obſcuris miram lucem attulit; & obſcuras, ad quas adverſarii confugiebant, latebras, & labyrintos tuto filo detexit; atque ut quiſque poſſit rectâ pergere, viam aperuit.

22. Suppono prius (quod & jam alibi prælibavi) anno 1305. poſt longam in Conclavi moram; tandem Cardinalis Pratenſis, & præcipuè Philippi Galliæ Regis ope Archiepiſcopum Burdigalenſem Pontificem electum fuiſse, qui Clemens V. eſt nominatus; hic Sedem Apoſtolicam in Galliam tranſtulit, eamque Avenione fixit; & ibi vltro 70. annos Apoſtolica Sedes permanſit ſub variis Pontificibus, videlicet ipſe Clemente V. Joanne XXII. Benedicto X. alias XIII. Clemente VI. Innocentio VI. Vrbano V. Gregorio XI. Fama eſt hujus tranſlationis cauſam fuiſſe Clementis occultas cum Rege Galliæ pactiones, de quo videri poteſt D. Antoninus p. 3. tit. 21. cap. 1. Tandem anno 1379. Gregorius XI. ſive variis Italiæ legationibus ſive multis ob abſentiam Pontificum, Italiæ, Romæque infortuniis, ſive demum S. Brigittæ, Magnæque Chatarinæ Senenſis precibus, oraculis etiam accedentibus permotus, Gallia relictâ, Romam rediit. Vix unus effluxit annus, Pontifex diem obiit. Succeſſit Cardinalium electione Archiepiſcopus Barenſis, dictus Vrbanus VI. qui quidem zelum acuens; à ſe omnium, præſertim Gallorum animos avertit: ut aſſerit Author Galliæ vindicatæ; & ideo Cardinales, ut ſupra adnotavimus, Fundos abjere; ibique novum alium Papam Cardinalem Gebennenſem ſub nomine Clementis VII. elegere: honeſtus titulus ſchiſmati præfixus, videlicet priori electioni metus incuſſus, libertaſque ad validam electionem omnino neceſſaria penitus ablata. Verùm coloratus quidem, non verus titulus fuit: & Urbanus trimeſtri jam regnaverat tutus, cum ipſiſq; Cardinalibus varia jam pro tota Eccleſia expediverat negotia; quo ſe jam ab Eccleſia receptum ſatis oſtenderat; validamque fuiſſe priorem electionem, plenaque libertate factam, ut jam ſectione præcedenti diximus, probat ibi citatus Author; certum tamen eſt, utcumque ſe res habuerit, ex Clementis electione diuturnum, obſtinatumque ſchiſma natum eſſe, & non niſi poſt 40. annos extinctum.

23. Clementi ſucceſſit Petrus de Luna dictus Benedictus XIII. Urbano autem VI. ſucceſſit Bonifacius IX. poſt Innocentius VII. huic tandem Gregorius XII. & ſic erant duo in Eccleſia Pontifices, videlicèt Gregorius ex ſerie Urbani VI. & Benedictus ex ſerie Clementis; in hac perplexitate Pontificum; convocatum fuit, provt ſupra vidimus, Concilium Piſanum; quod depoſuit duos illos Pontifices; & elegit Alexandrum V. cui demortuo ſucceſſit Balthaſar Coſſa dictus Joannis XXIII. & erant tunc tres thiaræ Gregorii, Benedicti, Joannis. Ad quod tollendum ſchiſma Concilium Conſtantienſe fuit Joanne indicente convocatum anno 1414. 16. Novembris prima ſeſſio habita eſt: in qua nihil de unione actum. 19. Novembris ad Valvas Ædium Auguſtinianorum inſignia Gregorii affixa ſunt: fuit verò maxima inter Patres decertatio, utrum conſervanda, aut auferenda eſſent: omnium tandem ſententia fuit, ſi Gregorius coram adeſſet, inſignibus Pontificiis uti poſſe: credebant enim Gregorium probabilem eſſe Pontificem, & conſequenter alios duos Benedictum, & Joannem ſolum probabiles Pontifices eſſe. Die 24. Decembris Sigiſmundus Imperator Cōſtantiam ingreditur. Imperatoris pompa multorum Principum; & 3000. æquitum; Archiepiſcopum Moguntinum thorate ex rubro holoſerico inſignem, ferro armatum 600. equites comitabantur: plus miles, quàm Præſul; Patriarchæ 4. Cardinales 29. Archiepiſcopi 47. Epiſcopi 160. aucti poſtea ad numerum 300.

24. Anno jam 1415. incipiente menſe Januario, prout ſupra jam eſt adnotatum, Joanni Dominico Gregorii Legato

gatoCardinali à Patribus permiſſum eſt in inſignibus Cardinalis uti. Conſtat ex Regeſto Conſtantiæ in duobus manuſcriptis authenticis, & ex Codicibus Bibliothecæ Sancti Victoris Pariſienſis. Menſe Februario Cardinalis Sancti Marci libellũ ſparſit, contra Joannis XXIII. authoritatem; alii ſubito in ejus defenſionem ſurrexere, dicentes Joannem Papam eſſe indubitatum, nullaque hæreſi contaminatum, proindeque hæreſim aſſerere cogi poſſe ad Pontificatu cedendum. Verum Cardinalis Cameracenſis, quamvis obedientia Joannis, ad litem dirimendam aliquot Patribus concluſiones obtulit; in quarum prima continebatur. *Duas obedientias* Joanni contrarias ſubſtinere electionem Alexandri ejuſque Succeſſorum non eſſe legitimè, & canonicè factam, & in hac diverſitate opinionum non eſſe minores difficultates juris, & facti, quantæ ante Concilium Piſanum erant de juſtitia duorum contendentium; & ideo attenta perplexitate caſus præſentis pro pace Eccleſiæ acceleranda poſſe de Papatu contendentes ad ceſſionem compelli, & nolentes, deponi, patet hoc ex Cardinalis Cameracenſis concluſ. 3. & 6. ex quatuor codicibus manuſcriptis apud Labbeum in appendic. Concilii Conſtantienſis tom. 2. editionis Pariſienſis, Schelſtrate fol. 152. & huic ſententiæ aſſerenti Joannem XXIII. Papam eſſe dubium; poſſeque ad cedendum Pontificatu compelli, adhæſere Patres. Hoc etiam anno Gregorius XII. Legatis ſuis concedit, ut acta Concilii confirment, & ipſius nomine præſint; per id verò temporis, in arcanis Conciliis amovebatur Joannes, ne videlicèt pacis conſilia ſolitis ejus artibus diſturbarentur; ex quo evidenter ſequitur, prout jam ſupra notavimus Gregorium à Concilio ut probabiliter Papam habitum fuiſſe; de quo videri poteſt ſeſſ. 14. Conſtan. Concilii.

Die 2. Martii, Joannes promiſit cedere Pontificatu; ſed ſequentibus diebus videns Synodum agere de ejus abdicatione; priùs quàm Gregorius, & Benedictus abdicarētur, Schafhuſam occultâ fuga ſe alta nocte proripuit; ſecuti ſunt à Concilio legati, qui reditum ſuaderent.

Die Martii 23. Gerſon contra Pontificis authoritatem peroravit. Ioannes ſumma indignatione conqueſtus de Gerſonis audacia Vaticanum dilacerantis: hoc ipſum ægrè tulit Rex Galliarum, ut etiam fatetur Maymburgus lib. 5. de magno ſchiſmate à p. 282.

Die Martii 26. celebrata eſt ante meridiem ſeſſio 3. duobus tantùm Cardinalibus aſſiſtentibus, videlicèt Cameracenſi, ac Florentino: fuit in hac ſeſſione decretum: *Concilium Conſtantienſe per receſſum Joanni XXIII. diſſolutum non eſſe, ſed nec diſſolvi debere ante ſchiſmatis extirpationem, neque ad alium locum transferri poſſe ſine conſenſu Concilii*, hoc videri poteſt apud Labbeum in Append. Synod. conſt. tom. 11. & in manuſcripto authentico Capranicenſi.

24. Die 29. Schahuſa Joannes profugit, vicinam metuens Conſtantiam. Turbati Patres; & à pluribus Germaniæ, Angliæ, Galliæque Nationum deliberatum, ut ſequenti die ſeſſio 4. perageretur; in eaque capita ſequentia decernerentur. Primò, *quod Concilium Conſtantienſe poteſtatem habeat immediatè à Deo, cui etiam Papa obedire teneatur in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem ſchiſmatis, & reformationem Eccleſiæ in capite, & in membris*. Secundò *quod cogi poſſit, ſi obedire contumaciter contempſerit*. Tertiò, *alia complura; quæ omnia, cùm & Nationi Italicæ diſplicerent; & Sacro Cardinalium Collegio ad deliberandum non eſſent oblata, renuerunt Cardinales, Gallicique Oratores ſeſſionem adire, niſi ſecundum capitulum, quo dicebatur, Pontificem cogi poſſe*, omitteretur, & in primo decreto illa verba, *De reformatione Eccleſiæ in capite, & in membris, delerentur*, quod etiam communi omnium ſuffragio à Patribus ſequenti die acceptum eſt: cùm verò Cardinalis Florentinus, ad quem ſpectabat publicè legere decreta, verba prædicta ope Nationum non deleta vidiſſet, ſicut delenda eſſe Patres deliberaverant, continuò decretum abripuit: unde clauſula de reformatione Eccleſiæ in capite, & in membris, in ea 4. ſeſſione omiſſa eſt. *Imo, & Cardinales monuerunt Nationes, ut ſuſpenderent ad tempus materias illas,*

quæ

Digitized by Google

quæ magnas habent difficultates, *& maturam exigunt deliberationem*, ea videlicèt, quæ authoritatem Pontificis attinebant.

26. Quòd verò eæ clauſulæ, in quibus authoritas Concilii Papâ Superior aſſeritur in 4. Conſtantienſis Concilii nova compilatione, ex indeque in alias poſtea editiones fuerint derivatæ, probat tam evidentibus rationibus diligentiſſimus Schelſtrate de ſenſu Conſtantienſis Concilii diſſert. 1. à cap. 1. ut adverſarii quicquam reſpondere nullo modo poſſint, niſi vel confitendo ſuum errorem, vel apertam veritatem negando. Ut tamen res clariùs eluceſcat; præmonenda ſunt decreta quartæ, & quintæ ſeſſionis Synodi Conſtantienſis juxta editionem per Baſilienſes fieri juſſam: & ita habet decretum primum quartæ ſeſſionis. *Quod ipſa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitimè, generale Concilium faciens, & Eccleſiam Catholicam repræſentans poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet, cujuſcunque ſtatus, vel dignitatis etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad extirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris*.

26. Quintæ verò Seſſionis decretum primum habet. *Et primo declarat, quod ipſa* (Sancta Synodus Conſtantienſis) *in Spiritu Sancto legitimè congregata Generale Concilium faciens, & Eccleſiam Catholicam repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cujuſque ſtatus, vel dignitatis etiam Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationum præſentis ſchiſmatis, & generalem reformationem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris*. Ejuſdem quintę ſeſſionis decretum ſecundum ita habet: *Item declarat, quòd quicumque cujuſcunque ſtatus etiam Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem præſentis ſchiſmatis, & generalem reformationem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris*. His ergo ſuppoſitis in 4. & 5. ſeſſione decretis; probatur Baſilienſes Patres decretum quartæ ſeſſionis Concilii Conſtantienſis cum duplici defectu citare; & cum eodem duplici defectu edi juſſiſſe. Primus defectus eſt; quia ibi fuit omiſſa clauſula, *Ad fidem*, ut patet ex primo decreto quartæ ſeſſionis ſupra poſito. Secundus defectus eſt: quia in eo decreto addita fuit clauſula, *ad reformationem Eccleſiæ in capite, & in membris*; quæ clauſula in decreto quartæ ſeſſionis Concilii Conſtantienſis omiſſa fuit, ut jam conſtat ex dictis, & deinde probatur primò, quia in codice manuſcipto Concilii Conſtantienſis poſt verba illa, *Ad fidem*, & ad extirpationem dicti ſchiſmatis, ſubjungitur: *Iſte* (articulus) *imperfectè fuit factus, ut ſequitur; ideo ſuppletur in ſeſſione ſequenti*: quibus verbis clariſſimè demonſtratur, verba illa, *ad reformationem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris*, à ſeſſione quarta ab eſſe debere, quod enim perficitur, mutari oportet de minùs in plùs perfectū: quo pacto autem mutatum eſſe diceretur, in quinta ſeſſione; ſi idem omnino, quod erat in quarta ſeſſione, in quinta poneretur? juvat hìc manuſcripti codicis actorum Cōcilii Conſtantienſis verba attexere: quæ ita habent: *Penultima die Martii, quæ fuit vigilia Paſchæ, fuerunt pronuntiati quidam articuli per unum de Cardinalibus minus ſufficienter: quapropter ſexta die Menſis Aprilis iidem articuli per unum alium de Concilio, Rege præſente, pronuntiati ſunt reformati. Primus hic erat: Synodus in Spiritu Sancto congregata Generale Concilium faciens Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans poteſtatem immediatè habet à Chriſto; cui quilibet cujuſcunque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem ſchiſmatis, ac reformationem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris*. Hoc manuſcriptum hominum memoriæ reliquit Gobelinus Perſona Decanus Besfeldienſis, & Officialis Paderbornenſis, qui teſtatur circa finem operis illud à ſe ſub Bonifacio IX. incohatum, & ſub Martino Papa V. anno Pontificatus ejus primo, die 1. Menſis Junii, anno Domini 1418. Illuſtriſſimo Sigiſmundo, Romanorum, Theutoniæ, & Ungariæ Regnorum in ſceptris agente conſumatum fuiſſe. Quem codicem

Digitized by Google

dicem manuſcriptum teſtatur Schelſtrate diſſert. 1. c. 2. p. 43. cohærere cum altero à ſe citato manuſcripto, qui eâdem vigilia Paſchæ, qua celebrata fuit quarta ſeſſio, refert de articulo primo eum imperfectum pronuntiatum fuiſſe, videlicet ſine illis verbis, *Ad reformationem generalem Eccleſiæ Dei, in capite, & in membris*. Et uterque codex, addit, oſtenditque citatus Author, conformis eſt, in hoc, quòd uterque refert articulos illos imperfectè, & minùs ſufficienter per unum Cardinalem in quarta ſeſſione fuiſſe pronuntiatos, & ideo ſexta die Aprilis, in qua quinta ſeſſio celebrata fuit, per unum alium ex Concilio pronuntiatos fuiſſe, jam reformatos. Quodnam teſtimonium clariùs, evidentiùſque poſſet afferri? Quod enim reformatur, neceſſe eſt, ut jam diverſum fiat: quomodo autem dici poteſt diverſum eſſe in quinta ſeſſione, à decreto in quarta pronuntiato, ſi unum idemque decretum in utraque ſeſſione pronuntiatum foret?

28. Probatur ſecundo ex ipſomet Concilio Baſileenſi, cujus authoritatem Adverſarii tanti faciunt; quod, ut conſtat ex Regeſto Actorum Baſileenſium apud Authorem citatum p. 44. ita ait: *Ob diverſas opiniones de poteſtate Concilii Generalis in his, quæ pertinent ad reformationem Eccleſiæ, ſuper prima definitione præſcriptus, fuerat omiſſus articulus de hoc faciens mentionem, & ſequens, qui ex primo dependet*. Quid clariùs? quid evidentiùs eſſe poſſit? poteſt ne primus, & à primo ſequens articulus de poteſtate Concilii ſupra Papam ob varias in oppoſitum opiniones in eadem ſeſſione quarta dici omiſſus, & non omiſſus? ſi fuit uterque ille articulus in ſeſſione quarta omiſſus, quomodo vtrûque illum in eadem ſeſſione admiſſum eſſe dicitis? ſi fuit admiſſus, quomodo illum omiſſum fuiſse teſtatur Concilium? Deinde ſi jam illud decretum erat poſitum in quarta, cur repetitum eſt in quinta? Manifeſtum igitur eſt Concilium Conſtantienſe in ea quarta ſeſſione non habere illas clauſulas, *de reformatione Eccleſiæ in capite, & in membris*, nec de ſuperioritate Concilii ſupra Papam; ac proinde ex illa quarta ſeſſione nihil concluditur de ſuperioritate Concilii ſupra Papam indubitatum.

Sed quæres, cur in fere omnibus editionibus Concilii Conſtantienſis poſt Conciliabulum Baſileenſe editis clauſulæ illæ, *ad reformationem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris*, & quæ declarant Superioritatem Concilii ſupra Papam poſitæ in quarta ſeſſione reperiantur? Ratio in prompta eſt; & aſſignatur ab antiquis Scriptoribus, Recentibuſq; apud eruditum Schelſtrate de ſenſu Concilii Conſtantienſis diſsert. 1. c. 1. p. 13. & hæc eſt: Viderant Baſilienſes poſt electionem à ſe factam Antipapæ Felicis V. Subaudiæ Ducis in locum Eugenii IV. legitimi, & indubitati Pontificis, ipſos toto orbe Chriſtiano ludibrio haberi, quòd contra Sacros Canones rem adeo execrabilem auderent Summum Pontificem indubitatum deponendo, ut ſe id juſta causâ juriſque præſidio roboratos feciſſe oſtenderent, ad Concilium Conſtantienſe confugêre: ſed cùm vidiſſent in quinta ejuſdem Concilii ſeſſione; in qua de ſuperioritate Concilii minus conciliariter, & valdè tumultuanter actum eſſet, conſequenterque nihil inde concludi, procurarunt, ut per aliquos ſuæ iniquæ factionis partiarios Doctores compilatio Conſtantienſis Concilii fieret cum ea clauſula exprimente Superioritatem Concilii poſita in ſeſſione quinta non conciliariter facta, poneretur que in ſeſſione quarta, ubi erat omiſſa: quæ quidem ſeſſio plus conciliariter fuerat facta, proindeque majoris authoritatis, utpote à Martino V. confirmata; quia omnia conciliariter facta in Conſtantienſi Concilio decreta, ut infra videmus, confirmavit: & hac arte, doloque inſtruti Baſilienſes typis eam novam, vitiatamque compilationem mandari juſſerunt; bullaque ſigillo cereopendenti confirmarunt; quæ ſic habet: *Satuimus, ac decernimus, & mandamus, quatenus præfatis decretis, geſtis ſuperiùs inſertis in judiciis, & extra ubicumque producta, exhibitaque fuerint, vel oſtenſa, in omnibus, & per omnia ſtetur, ac fides plenaria adhibeatur; perinde ac ſi bulla ejuſdem Conſtantienſis*

Syno-

Synodi bullata forent, nec ad illorum probationem aliud adminiculum quomodolibet requiratur .... Datum Baſileæ pridie nonas Februarii, anno à Nativitate Domini 1442.

28. Notant autem Authores præcipuè Schelſtrate cit. pag. 14. exemplar hujus Compilationis Baſileenſis authenticum in Germania fuiſſe aſſervatum uſque ad annum 1490. & eo ipſo anno Joannē Nuober ex Inderdorffa, titu̅m liberalium Magiſtrum, & Sacræ Theologiæ Bacchalaurum illud exemplar propria manu deſcripſiſſe, ejuſque copiam cum originali convenire, teſtari Matthiam Strinbach publicum authoritate Apoſtolica Notarium; ut patet ex hoc ejus teſtimonio. *Concordant ſeſſiones, & decreta ſuper ſcripta &c.* cujus verba integra habes apud Schelſtrate citatum. Extat etiam hoc teſtimonium in Conſtantienſis Concilii editione, quæ anno 1500. in oppido Imperiali Agenouw ad fidem ſupradictæ copiæ cum originali fideliter collatæ in lucem prodiit. Obſervat autem citatus Author pag. 17. hanc fuiſſe primam editionem Concilii Conſtantienſis in compilatione ejuſdem à deputatis Concilii Baſileenſis facta: antiquiores verò editiones ante eam Baſileenſium compilationem factam non habere illas clauſulas in quarta ſeſſione Conſtantienſis Concilii; quibus aſtruitur major Concilii, quàm Papæ authoritas. Unde prima editio anno 1511. opera Abbatis Vicentini anno 1524. & opera Jacobi Merlini Doctoris Sorbonici, Pariſiis anno 1535. & Coloniæ typis Quentelianis anno 1530. Et omnes iſtæ editiones concordant cum antiquis codicibus manuſcriptis, allegatis à Schelſtrate, nec habet in quarta ſeſſione Conſtantienſis clauſulas illas, *Ad reformationem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris*, nec ſequentes, quæ Pontificis authoritatem comminuunt. Conſtat ergo Baſileenſes arte, ac induſtria clauſulas illas Pontificię authoritati adverſas, fuiſque intentibus facientes falsò addere. Videant ergo adverſarii, an potius fallaciæ detectæ, an veritati meridiana luce clariori adhærere velint.

SECTIO III.

Diſſoluuntur facilè, quæ adverſarii contra hanc veritatem opponunt.

29. Opponitur primò præcipuè à Maymburgo in ſuo tract. hiſtor. chr. 22. fol. 197. Manuſcriptos Codices ex quibus multa hactenus teſtimonia deducta ſunt, non poſſe dictis Concilii Conſtantienſis jam editis, & ducentorum annorum poſſeſſione probatis quidquam præjudicare: quidquid ergo ex illis productum eſt, infirmæ fidei, & vacillantis eſt. Verùm ſi hoc argumentum quidquam virium habet, fruſtra manuſcripti tanta diligentia in antiquis Bibliothecis aſſervantur: fruſtra etiam ipſe Maymburgus lib. 2. de ſchiſmate magno Occidentali tanto pretio habuit quoddam manuſcriptum in favorem Clementis VII. cujus tantùm manuſcripti authoritate fultus electionem Clementis Urbani electioni præferre auſus eſt falſitatis damnando Monachum S. Dionifii, Juvenalem de Urſinis, Spondaneum, alioſque præſtantiſſimos ſcriptores omnium ſemper ore laudatos: vult author iſte, ut nos à ſe producto manuſcripto ad tollendam Urbano, imponendamque Clementi ſupremam tiaram, fidem adhibeamus; & tot à nobis productis manuſcriptis tempore Conſtantienſis Concilii natis inter ſe ſumma conformitate cohærentibus ad tollendam authoritatem uni Baſileenſi Concilio, conciliabulo communiter habito, & compilationi Conſtantienſis Concilii ab eo factæ; ad tiaram ſupremam in Summo Pontifice indubitato firmiter collocandam, fidem adhibere recuſat? Concilium Baſileenſe; quod tantopere commendant adverſarii, ad evulgandam typis Conſtantienſem Synodum, manuſcripto à ſuis deputatis in hac parte ſuſpectis, & manuſcripto à Strinbach, & Horber ex Inderdorff; ut ſupra vidimus, uſum fuit, & ſolemni bulla munivit; & in hoc vos bene proceſſiſſe dicitis; nos autem utentes tot Codicibus ab Authoribus minimè ſuſ-

ſpectis manuſcriptis male procedimus? Veritas, ut inquiunt Tertullianus, de præſcriptionibus, & Auguſt. in Pſal.61. ejus naturæ eſt, ut nullo tempore, nulla loci ſublimitate, nullaque perſonarum authoritate præſcribatur; & certi juris eſt, ea, quæ â principio vitioſa fuere, nulla temporis diuturnitate convaleſcere poſſe. Quid intereſt ſint jam ducenti fere anni delapſi; ex quo compilatio Conſtantienſis Concilii per Baſilienſes edita fuit, ſi veritate detectâ, probatur à principio fuiſſe compilatio vitioſa?

30. Opponitur ſecundo Authoritas Gerſonis, qui Conſtantienſi Concilio interfuit; & illi mens Patrum melius innoteſcere potuit: qui in ſermone coram Patribus habito ſecunda poſt Epiphaniam Dominica hæc habet. *Huic veritati* (loquitur de decretis pro authoritate Concilii in quarta, & quinta ſeſſione) *fundatam ſupra petram Sacræ Scripturæ quiſquis à propoſito detrabit, cadit inbæreſim jam damnatam, quam nullus unquam Theologus maximè Pariſienſis, & Sanctùs aſſeruit. Vidi nuper Sanctum Thomam, & Bonaventuram: hîc reliquorum libros non habeo; dant ſupremam, & plenam Summo Pontifici poteſtatem Eccleſiaſticam: rectè procul dubio, ſed hoc faciunt in comparatione ad fideles ſingulos, & Eccleſias particulares: dum enim comparatio facienda fuiſſet ad authoritatem Eccleſiæ Synodaliter congregatæ, ſubjeciſſent Papam, & uſum poteſtatis ſuæ eidem Eccleſiæ, tanquam Matri ſuæ.* Tria in his verbis Doctor iſte aſſerit, ſi bene notes. Primum nullum Theologum contrarium aſſeruiſſe. Secundum eſt, eſſe hæreſim, ſentire contra illa decreta in quarta, & quinta ſeſſione Concilii Conſtantienſis. Tertium Divum Thomam, & Divum Bonaventuram ſolùm ſupremam, plenamque poteſtatem Summo Pontifici aſcribere ſupra ſingulos fideles, & ſupra particulares Eccleſias; non ita ſupra univerſalem Eccleſiam Synodaliter congregatam: nam huic ita ſumptæ tanquam Matri ſuę Summum Pontificem, & ſe, & ſuæ poteſtatis vſum ſubiicere debere, proculdubio, inquit, Sancti illi Doctores dixiſſent. Omnia hæc in ſenſu, quo doctor iſte loqui videtur; & in ſenſu, quo adverſarii verba illa Gerſonis uſurpant; falſa eſſe evidenter oſtendam: falſum eſt ſecundum, videlicèt nullum Theologum, nullum Sanctum aſſeruiſſe majorem Pontificis, quam Concilii authoritatem. Quid falſius dici poteſt? Gelaſius, Nicolaus I. Cæleſtinus, aliique, quos ſupra commemoravimus, Pontifices, pluresque Patres ſupra relati, innumerique Theologi inſigni doctrina, morumque ſanctitate præſtantiſſimi nō fuerunt Theologi? Sancti non fverunt? ecce illi omnes clariſſimis, & expreſſiſſimis verbis poteſtatem Supremam Summi Pontificis ſupra Concilium docuerunt; quos videre potes in noſtra prima Diſceptatione quos ideo hîc non repeto.

31. Falſiſſimum etiam eſt primum: nam vel loquitur de Papa indubitato, vel de Papa dubio; ſi de indubitato, neceſſe eſt, concedere ex ſua ſententia, omnes, qui majorem Pontificis, quàm Concilii authoritatem tuentur, hæreticos; atque adeo omnes Catholicos præter paucos Pariſienſes, hæreſis labe infectos eſſe; quo quid falſius, & abſurdius? ſi loquitur de Papa dubio, quid facit ad noſtram quæſtionem de Papa indubitato? deinde etiam eſt falſum, quod Gerſon aſſumit. Si enim Gerſon damnat hæreſis contrarium opinantes; id etiam adverſariorum confeſſione falſum eſt: alioquin omnis Hiſpania, Italia, Polonia, Germania, ac tota ferè Europa hæreſis damnanda, hæretici etiam tot illi Sancti, & Doctores, & integra regna, quæ Gregorii, & Benedicti partes ſequebantur; & quæ decreta illarum Seſſionum nunquam pro legitimis habuere. Tertium etiam aperte eſt falſum: Divus enim Thomas, & D. Bonaventura tam clarè loquuntur pro ſuperioritate Pontificis ſupra Concilium; ut illos non legiſſe, uel ſaltem non intellexiſſe videatur, qui non loqui ipſos de majori Pontificis, quam Concilii, authoritate affirmet. Audiamus Sanctum Thomam in 2. 2. q. 1. a. 10. in corpore. *Ad illius*, inquit, *authoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ ſunt fidei*; *ut ea ab omnibus inconcuſſa fide*

de

de teneantur: hoc autem ad authoritatem Summi Pontificis, ad quem majores, & difficiliores Eccleſiæ quæſtiones deferuntur; & hujus ratio eſt, quia una fides debet eſſe unius Eccleſiæ; quod ſervari non poſſet, niſi quæſtio fidei de fide excorta determinetur per eum, qui toti Eccleſiæ præeſt: & ideo ad ſolam authoritatem Summi Pontificis pertinet nova æditio Symboli, ſicut, & alia omnia, quæ pertinent ad totam Eccleſiam, ut congregare Synodum, &c. & ad 2. *Unde pertinet ad Summum Pontificem, cujus authoritate Synodus congregatur, & ejus ſententia confirmatur.* Per D. Thomam ſolus Pontifex, & non Synodus, terminare ultimo poteſt res fidei: quomodo ergo Synodus eſt Superior Pontifice in rebus pertinentibus ad fidem? Si enim determinatio ultima ad cauſam fidei deberet fieri à Synodo; determinatio fidei per Pontificem facta, ultima nō eſſet; quod eſt directè contra verba, & ſenſum D. Thomæ. Synodus non poteſt congregari, jubeat Pontifex, niſi Pontifex id poteſt facere: quomodo igitur poteſtas Concilii major eſt Pontificis poteſtate? Sententia Concilii non valet ſine Pontificis confirmatione, quo pacto ergo major eſt Concilii, quàm Pontificis authoritas, & poteſtas?

32. Idem D. Th. q. 10. de potentia a. 4. ad 13. ſic ait: *Ita etiam Summus Pontifex hoc ſua authoritate poteſt* (loquitur de interpretatione Symboli) *cujus authoritate ſolâ Synodus congregari poteſt, & à quo ſententia Synodi confirmatur, & ad ipſum à Synodo appellatur; quæ omnia patent ex geſtis Concilii Calcedonenſis*, & opuſculo contra impugnantes Religionem: *Sancti Patres*, inquit, *in Conciliis congregati nihil ſtatuere poſſunt, niſi authoritate Summi Pontificis interveniente, ſine qua nec Concilia celebrari poſſunt.* Quibus verbis clarius explicare poſſet D. Thomas majorem Pontificis, quàm Concilii, poteſtatem? Pontifex poteſt Symbolum interpretari, Synodus abſque Pontifice non poteſt; & non eſt major Pontificis, quàm Synodi poteſtas? à Synodo poteſt dari ad Pontificem appellatio, quæ ſemper eſt à minori ad majorem; & non eſt major Pontificis, quàm Synodi authoritas? Patres in Conciliis congregati nihil ſtatuere poſſunt niſi authoritate Summi Pontificis interveniente, & Patres in Conciliis congregati excedunt Summi Pontificis poteſtatem? falſum ergo eſt dicere D. Thomam non docere Summi Pontificis authoritatem Conciliis eminere. Non minus clarè loquitur D. Bonaventura: ſic enim ait: *Summus verò Pontifex, penes quem prima in terris reſidet authoritas non à Rege, non à Principe ſæculari, non ab homine judicatur, ſed ſolius Dei reſervatur arbitrio.* Si à Concilio tanquam à Superiore judicatur Pontifex; ergo prima authoritas in terris non eſt in Summo Pontifice; ſed in Concilio; ſi à Concilio Pontifex judicatur: ergo cauſa Pontificis non ſolius Dei reſervatur arbitrio: quæ omnia verbis apertiſſimis, & claro Divi Bonaventuræ ſenſui adverſantur. Credendum ne eſt Gerſonis authoritati in eis verbis, in quibus tot falſitates, erroreſpue intexit? Igitur argumentum ex prædicti authoris teſtimonio nihil concludit.

33. Opponitur tertiò, dato, quod in quarta ſeſſione omiſſa ſit illa clauſula, *Ad reformationem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris*, & alia, quæ Pontificem Concilio ſubdit; at in ſeſſione quinta nos illam clauſulam, ex qua conſtat in rebus ad fidem ſpectantibus Pontificē ſub eſſe Concilio, ineſſe non negamus: quid ergo intereſt, in quarta non ſit; ſi in quinta reperitur; & Concilium non minoris eſt authoritatis in vna, quam in altera ſeſſione? Hoc argumento triūphare videntur adverſarii: ſed immeritò: nam magnum inter quartam, & quintā ſeſſionem diſcrimen intercedit: Si quidem in quarta ſeſſione circa eam quæſtionem de Summo Pontifice Conciliis ſubiiciendo magnâ utrinque contentione decertatum eſt; quibuſdam Patribus pro vna parte, quibuſdam vero pro alia oppoſita pugnantibus, rationeſque, & authoritates afferentibus; & ideo, communi omnium ſententia decretum fuit, ut clauſulæ illæ Summo Pontifici noxiæ omitterentur, donec res adeo difficilis, ac ſummi momenti, majori maturitate, ac examine decideretur: at vero in quinta ſeſſione, furtim, & non

conciliariter, majori, ſaniorique illorum Patrum parte repugnante clauſulæ illæ ſunt poſitæ: cum verò Martinus V. ſolum ea confirmaverit decreta; quæ conciliariter ſunt facta; illa quinta ſeſſionis decreta minimè confirmavit; imo expreſsè improbavit; ut infra latius videbimus, & jam ſupra prælibavimus. Quod autem Patres in ſeſſione quinta præcipitanter, & non conciliariter ſe geſſerint, probat manifeſtè ex 4. Codicibus manuſcriptis in authentica forma, & valde inter ſe cohærentibus Schelſtrate diſſert. 2. cap. 2. pag. 100. & ſequentibus, in quibus deſcribitur Cardinalium reſiſtentia, & proteſtatio ſe non conſentiendi, ſed ſcandalum vitandi animo ad quintam illam ſeſſionem Pontificiæ dignitati præjudicialem accedere: item non fuiſſe oſtenſa Cardinalibus ea decreta deliberanda: ſic enim habent acta Concilii Conſtantienſis in prædictis 4. Codicibus manuſcriptis: *penè in omnibus decretis Concilii factum eſt, Cardinalibus ita arctò, & brevi tempore oſtenſa ſunt decreta jam concluſa in Nationibus ut non fuerit in eorum poteſtate ſufficienter deliberare: imo in magnum contemptùm habiti ſunt.* Teſtatur item Epiſcopus Calaguritanus in ſuo Dialogo de authoritate, & poteſtate Romani Pontificis *ſeſe audiviſſe à magnæ authoritatis viris, qui Conſtantienſi Concilio interfuerũt, quòd contra decreta ſeſſionis quintæ reclamaverint complures Prælati, & Doctores,* de quibus etiam affirmat Cardinalis Turris Cremata lib. 2. de Eccleſia pag. 99. *quòd plures Patres doctiſſimi non præſtiterint conſenſum, aut aſſenſum ſuum*; quod etiam confirmatur ex articulis Joannis XXIII. ubi ſic dicitur: *Privatis Conſiliis ſuffragia etiam Laicorum, ſub tractis Prælatorum ſuffragiis, recepta fuiſſe; neque in ſeſſionibus publicis vota ſingulorum, ſed quatuor dumtaxat Nationum audiri conſueviſſe,* & liquet ex epiſtola ejuſdem Joannis XXIII. ad Regem Poloniæ Ladiſlaum, ubi inter varias rationes, quibus fugam ſuam honeſtat; hanc attexit: *Quòd quorundam cæca, & inconſulta temeritas uſque adeo ab ipſo Concilii principio ita omnia pervertere, ita omnia perturbare concupivit, ut non concordiam, ſed diſſenſionem, non unionem, & pacem Eccleſiæ, ſed ſchiſmata, & ſcandala quærere viderentur, qui nullo antiquorum Conciliorum ritu obſervato, non publicè, ſed ſparſim, & privatim de rebus Eccleſiæ Conciliabula celebrabant in contemptum Sedis Apoſtolicæ, &c.* Accedit etiam codex manuſcriptus Conſtantienſis Concilii geſta continens; qui in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi, teſte Schelſtrate, aſſervatur. In quo dicitur *Cardinalium vota non fuiſſe admiſſa, Cardinaleſq; repulſam paſſos fuiſſe,* quod etiam Illuſtriſs. Apamenſis Epiſcopus Spondaneus, qui hunc Regium codicem vidit, conteſtatur: quamvis in hoc, quod putaverit, Cardinalem præſidem pro ſe, & Cardinalium Collegio in prioribus ſeſſionibus, per verbum, *Placet*, ſuffragium tuliſſe, omnino fallatur; cum ex dictis manifeſtè conſtet oppoſitum.

34. Hoc ipſum aſſerit Eugenius IV. in Apologia contra Baſileenſes, dum contra decreta Conciliorum Conſtantienſis, & Baſileenſis in Romanæ Sedis contemptum edita: *Nonnulli reclamaverint graviores, qui ſtrepente multitudine ſuperati, ſicut his noviſſimis temporibus, quibus carnales exuberant paſſiones factum eſſe manifeſtum eſt, audiri nequiverunt.* Tandem ex geſtis Concilii Conſtantienſis planè conſtat Franciſcum Zabarellam Cardinalem Florentinum omnium ſui temporis Canoniſtarum facilè principem, ad quem ex officio ſpectabat Concilii decreta publicè pronuntiare, decreta illa quartæ, & quintæ ſeſſionis tanquam iniqua, Sediſq; Apoſtolicæ injuria, & non conciliariter facta, tactum religione, conſcientiæq; ſcrupulo ea noluiſſe recitare; ideoque PP. illi decreta prædictæ ſeſſionis quintæ per alium, videlicèt Poſnanienſem pronuntiari fecerunt; & additur in Geſtis, *quia Cardinalis Florentinus illa noluit pronuntiare.*

35. Dicant mihi nunc adverſarii: dici ne poſſunt conciliariter, hoc eſt, ſecundum regulas juris facta decreta; in quibus Cardinalium Collegio, aliiſque gravioribus Patribus illius Synodi ſumma opumvi obluctantibus, contra Sedis

Apo-

Apoſtolicæ authoritatem leges ſunt conſtitutæ? in quibus, Cardinalibus negata, laicis vero conceſſa ſunt vota? conciliariter ne ſunt facta, quæ nullo antiquorum Conciliorum obſervato ritu, non publicè, ſed privatim receptis ſuffragiis à Nationibus, contemptis præſtantiſſimis Patribus, & Doctoribus, decreta ſunt? Nationum diſſenſiones, ſchiſmata, & ſcandala nonne potius cóciliabula, quàm Concilia, poſſunt ritè vocari? Manifeſtum igitur eſt decreta illa quintæ ſeſſionis eo tumultuanti modo conſtructa conciliariter non fuiſſe facta; proindeq; non fuiſſe approbata a Martino V. qui ſolum ea decreta Conſtantienſis Concilii, quæ conciliariter facta ſunt, approbavit. Ex quibus patet argumentum ſupra poſitum, quod præcipuè Dupinus nobis oppoſuit; nullam omnino vim habere: quia ideo in quarta ſeſſione clauſula illa, Summo Pontifici adverſa, fuit à Patribus omiſſa; quippe Patres ventilata pro vtraque parte quæſtione, reque maturâ diligentiâ perſpecta rationes non invenerunt, cur poneretur; imo plures, propter quas omitti deberet; atque ideo omiſſa fuit; & hac ratione fuit illa ſeſſio conciliariter facta: quinta verò ſeſſio non fuit conciliariter facta, ut demonſtratum eſt; & idcirco, nihil intereſt, quòd clauſula illa dans majorem Conciliis, quàm Romano Pontifici, poteſtatem in ea ſeſſione poſita fuerit; quia ex illa ut pote non conciliariter facta nihil concluditur.

36. Urget Maymburgus in ſuo tract. hiſtor. c. 23. pag. 254. ſe non negare factas fuiſſe illas proteſtationes, reclamationes in contrarium; ſed hoc validis, legitimiſque Conciliorum determinationibus non obſtare; aliter Tridentini Concilii decreta corruerent, quia multæ hujuſmodi proteſtationes, reclamationeſque Patrum fuerunt, in contrarium factæ. Cæterũ ego ab hoc authore quæro, an contingere poſſit, ut aliqua ſeſſio alicujus Concilii ſit illegitimè, &, ut dicunt, non conciliariter facta? certè, ſi doctus, ſi peritus ſit, id non poſſe eum negare crediderim. Quæ igitur ſeſſio poteſt eſſe illegitima, ſi hæc quinta ſeſſio illegitima non eſt, & non conciliaris, ubi ſine ulla deliberatione, furtim, & privatis votis, & ſolum ad placitum Nationum, hominumque laicorum, numero potius, quam ratione, jureq; prævalente, Cardinalibus, graviſſimiſque Patribus, ac Doctoribus præſtantiſſimis non auditis, imo contemptis. in re maximi negotii, videlicèt, ad ſupremam Conciliis concedendam, & ſupremo totius orbis Rectori Chriſti Vicario auferendam poteſtatem? Quid clarius, quid apertius, expreſſiuſque in Sacris Scripturis & veteris, & novi teſtamenti, quàm Chriſtum Dominum verum eſſe Deum, Patri conſubſtantialem, ideſt, ejuſdem naturæ cum Patre? & tamen in re tam clarâ, liquidaque Patres Concilii Nycæni non auſi ſunt agere, quod in re dubiâ auſi ſunt agere divisi illi Patres Conſtantienſes in illa quinta ſeſſione majoremque indaginem depoſcente. Illi Patres Nicæni non niſi libratis cauſæ momentis in re adeo perſpicua, dilucidaque decretum edidere; Patres verò illi Conſtantienſes in re adeò difficili, maximèque periculoſâ, non auditis Partibus, imo repulſis, non examinata cauſâ, ſed nec brevi tempore Cardinalibus ad maturam deliberationem dato, conſultis Laicis, Eccleſiaſticis derelictis, minimèque, ut conſtat, auditis; de Suprema Poteſtate Summo Pontifici auferenda; eaque Concilio aſcribenda, contra apertos Canones, quos non viderunt, nec legerunt, nec adduxerunt, decreta conſtituêre; & dicenda ſunt conciliariter, ideſt, Conciliorum obſervato ritu decreta?

37. Exemplum de Tridentino, aliiſque œcumenicis Conciliis non venit ad rem, neque ad propoſitam noſtram quæſtionem: nam vel illi, qui reclamarunt, proteſtatique ſunt in Tridentino, aliiſque Conciliis univerſalibus, ac legitimis, poſtea definitis à Concilio ſuum conſenſum præbuerunt, vel non, ſed perpetuò reſtiterunt, ut fecit Lutherus, & alii perduelles. Si primum, ſua illa prima reclamatio revocata eſt; & ut ſic jam non nocet. Si ſecundum, jam ipſi tanquam hæretici, rebelleſque ab Eccleſia ſunt proſcripti; quod quidem in noſtro caſu, etiam adverſariorum

con-

confeſſione non evenit: nam illi Patres, qui ad quintę ſeſſionis decreta ſunt proteſtati, & juridicè reclamarunt, gravior, & ſanior pars erat Concilii,& nulla facta prioris proteſtationis, ac reclamationis revocatione ad ſequentes ſeſſiones tanquam viri Catholici, præſtantiſſimique Doctores admiſſi ſunt, & uſq; ad finem, ut conſtat ex Geſtis Concilio interfuere: ſi autem decreta in illa ſeſſione quinta conciliariter eſſent facta, quomodo admitterentur ad Concilium quo ad ſequentes ſeſſiones, ſi in antecedentibus rebelles fuerant; & adhuc in ea rebellione perſtabant? igitur exemplum Trid. ad noſtrum propoſitũ non venit. Minus etiam ad propoſitũ venit id, quod addit Maymburgus, videlicèt in Concilio Piſano quæſtionem iſtã de Superioritate Concilii ſupra Romanum Pontificem fuiſſe primùm agitatam, & deciſam: nam ut ſupra vidimus, vel Piſanum Concilium legitimum non fuit, ut ſancti illi ſupra allegati, & alii graviſſimi Patres judicarunt, & ſic illius authoritas non ſufficit: vel ſi legitimum fuit; de Papa indubitato non egit, ut à nobis ſupra demonſtratum eſt; imo ex propoſitis ibi variis circa Concilii authoritatem Doctorum ſententiis, ſolum illam amplexum fuit; eorum Doctorum, qui aſtruebant Concilium in caſu præſentis ſchiſmatis ſupra Pontifices authoritatem habere, quinimo etiam Concilium ipſum non eſt auſum Pontifices illos dubios, judicare, ac deponere, niſi prius probata eorum hæreſi, ut ex geſtis Piſani Concilii affert Schelſtrate diſſert. 2. & diſſertat. 3. p. 142. & pag. 159. ubi etiam refert veſtigia Patrum Piſanorum inſequi voluiſſe Conſtantienſe Concilium: quo pacto ergo Piſanum Concilium decidit poteſtatem Concilii ſupra Papam indubitatum; quod neque etiam judicare voluit Pontificem dubium, niſi hæreſeos crimen accederet?

SECTIO IV.

Oſtenditur Concilium Conſtantienſe in ea quinta ſeſſione Eccleſiam Univerſalem non repræſentaſſe.

38. Aliqui Doctores pro noſtræ ſententiæ veritate pugnantes contra quoſdam Pariſienſes, aſſerunt quartæ, & quintæ ſeſſionis decreta vigorem non habere; quia non ſunt facta ab Eccleſia univerſali; ſola autem Eccleſia univerſalis habet poteſtatem judicandi Papam dubium in caſu illius ſchiſmatis; aliter in eo caſu poſſet unum particulare Concilium alicujus Provinciæ, aut Nationis Joannẽ XXIII. Benedictum, & Gregorium judicare, punire, aut deponere; quod neque ipſi adverſarii cõcedunt. Quod verò eo tempore quartæ, & quintæ ſeſſionis Concilium Conſtantienſe adhuc univerſale non eſſet, ideoque nec univerſalem Eccleſiam repræſentans, probant primò, quia in ea quarta, & quinta ſeſſione ſolum erat congregata una duntaxat Obedientia videlicet Joannis XXIII. aliæ vero duæ, videlicèt Benedicti XIII. & Gregorii XII. illam Joannis Obedientiam noluerunt pro univerſali Concilio reputare, ut teſtatur Cardinalis Turręcremata in lib. de Eccleſia, his verbis: *Nullus dubitat, quòd aſſerere, quòd ſola Obedientia Joannis faceret Concilium univerſale univerſalem Eccleſiam repræſentans, eſſet temerarium, ac ſcandaloſum aliis duabus Obedientiis*. Idem teſtatur Summus Pontifex Eugenius IV. in Apologia contra Baſileenſes, ſic dicens: *Non dixit Obedientia Gregorii, non Benedicti, quæ Chriſtianitatis pars non modica erat, ante tempus conventionis plenarium fuiſſe Concilium, nec prius actitata, quaſi Synodi Generalis plenaria authoritate ſuſcepit. Itaq; oportuit ipſis convenientibus primò ab Obedientia Gregorii, deinde ab Obedientia Benedicti novum Concilium convocari; hincque univerſa Eccleſia concurrente, plenariam Synodi rem, & nomen accepit. Quod ergo ante illum articulum ipſis à Patribus ibi conſidentibus actum eſt, univerſæ Eccleſiæ non debet aſcri-*

aſcribi; ſed eis tantum, qui ibidem conſidebant, & unius tantùm Obedientiæ Synodum faciebant. Probant ſecundò ex Geſtis Concilii Conſtantienſis in quatuor manuſcriptis codicibus Coſtantienſis Concilii acta continentibus in forma authentica factis, quos vidit referens eruditiſſimus Schelſtrate Diſſert. 2. cap. 3. p. 115. vbi dicitur publicè aſſeruiſſe, proteſtatoſque fuiſſe legatos Regis Aragoniæ, *quod quidem vellent ſe unire Concilio, non tamen reputare eſſe Generale Concilium, neque agi de rebus Concilii Generalis, donec venirent Legati Regis Caſtellæ*. Ita in prædictis Concilii Geſtis ad menſem octob. anno 1416. in quibus referuntur literæ ſcriptæ à Rege Reginaque Caſtellæ cum hac inſcriptione: *Ad Congregationem quatuor Nationum in Conſtantia*. Quæ literę cum illa ſcriptione; per quam non agnoſcebatur conventus ille ut Concilium univerſale, ſed tantum Congregatio 4. Nationum, coram Patribus Concilii lectæ, receptæque ſunt, & tamen nullus ex Patribus illas habuit ut ſibi injurias: ſi autem exiſtimarent conventum ex 4. illis Nationibus ſub una tantum Obedientia Joannis XXIII. Concilium eſſe univerſale, tales literas ut ſibi injurias reſpuerent; quemadmodùm ſi Rex aliquis literas acciperet cum inſcriptione negante illi Regium titulum, ſubito illas ſcinderet, vel comburi juberet.

39. Alias rationes adducit cit. Schelſtrate p. 116. & ſequentibus, quibus optimè probatur Concilium in ea quarta, & quinta ſeſſione ſub una tantùm Obedientia Joannis XXIII. non eſſe univerſale. Prima ex Regeſto Conſtantienſis Concilii in Codicibus manuſcriptis antiquioribus; quibus oſtenditur Gregorium XII. cum ſua Obedientia noluiſſe in ſeſs. 17. unionem inire niſi improbata convocatione per Joannem XXIII. facta, & nova Concilii convocatione admiſſa: extant de hac re bullæ Gregorii XII. de poteſtate authorizandi iſtud Concilium, quæ bullæ fuerunt admiſſæ, & acceptatæ: qnomodo autem forent admiſſæ, & acceptæ, ſi ante illam ſeſſionem 17. & à fortiori in quarta, & quinta jam conventus ille univerſale Concilium extitiſſet? Secunda ratio, quia ex ſeſſione 22. Actorum Concilii Conſtantienſis juxta concordata Narbonæ cum Obedientia Benedicti XIII. Concilium ipſum non ſolùm tertiam illam convocationem admiſerit, ſed literis, quibus Patres iſtius Obedientiæ vocabat; à titulo Univerſalis, & æcumenici abſtinuerit; & ab Hiſpanis literas recepit nullam de Concilio Univerſali mentionem facientes: credebant enim Patres, ſolum poſt tres illas Obedientias inter ſe unitas Concilium illud univerſalem Eccleſiam repræſentare; & ſolum ut ſic univerſale eſſe Concilium; quanvis ab una tantum Obedientia Concilium aliquando univerſale appellabatur, non quia jam eſſet, ſed quia tunc incipiebat, ut poſt alias Obedientias inter ſe unitas, quod Patres ſperabant, tunc fieret Concilium univerſale. Et ratio à priori eſt, quia Concilium tandiù eſt univerſale; quandiu habet univerſale caput certum, & indubitatum convocans omnes partes; vel quando caput non eſt certum, ſed ſunt plures, de quibus prudenter dubitatur, uter ſit, nec ne; & tunc omnes partes ſunt convocatæ, ut à Spiritu ſancto illuminentur; cui potius adhærere debeant, vel quis certus ſit eligendus: at qui in illa quarta, & quinta ſeſſione ſub illa tantū Obedientia Joannis, nondum erant omnes partes concordes, ut per ſe patet; neq; Joannes XXIII. erat Pontifex indubitatus totius Eccleſiæ, ut ſupra probatum eſt: ergo illa ſola Obedientia Joannis non poterat repræſentare univerſalem Eccleſiam; proinde neque eſſe Concilium univerſale; quod ſolùm poteſt univerſalem Eccleſiam repræſentare.

40. Nec ex ea doctrina ſequūtur illæ Maymburgi conſequentiæ, videlicèt, ſi illa Obedientia Joannis XXIII. nō faciebat Concilium Univerſale; non fuerunt ibi Pontifices depoſiti: ſi non fuerunt depoſiti, neque Martinus V. fuit verè electus, nec validus Pontifex, & conſequenter non legitimi ejus in poſterum Succeſſores. Omnes hæ conſequentiæ falsò ſunt ab illo authore deductæ, & præmiſſis fallacibus innituntur: quare ſolum deduci poſſet Pontifi-

ces

ces illos ab eo Concilio nondum univerſali depoſitos fuiſſe de facto, non de jure; poſtea verò, quando jam tres illæ Obedientiæ fuerunt convocatæ, & unitæ, præſertim Pontificibus qualicumque ſuo jure cedentibus, fuit illa depoſitio de jure valida; conſequenterque Sedes Apoſtolica vacavit, & Martinus ritè fuit electus.

41. Deinde infirma prorſus, ſeu potius vana eſt illa alia ejuſdem authoris objectio; quod, videlicèt, ſequeretur Concilium Tridentinum non fuiſſe œcumenicum: quia illi non interfuit notabilis pars Eccleſiæ, nimirum Germania, Anglia, & Eccleſia Orientalis: Certè videtur hic author parum de requiſitis ad validitatem Univerſalis Concilii notitiæ habere. Concilium Tridentinum indictum fuit à Pontifice indubitato; & cui omnes Catholici parebant, ideoque cùm omnes Catholici congregabantur, Concilium totam Eccleſiam Catholicam referebat; imo ipſos etiam hæreticos, & ſchiſmaticos in ſua illa legitima indictione Pontifex Maximus non excluſit, ſalvo conducto illis conceſſo; quòd ſi venire renuerunt; à ſe ipſis ultro fuerunt excluſi. Quis autem ignorat validum eſſe capitulum, quando qui adeſſe debuerant, ſua culpa non interſunt: at vero ſola Obedientia Joannis XXIII. non continebat omnem Eccleſiam Catholicam: ſiquidem, ut adverſarii fatentur, qui Benedicto, & Gregorio adhærebant, hæretici, aut ſchiſmatici non reputabantur; imo ipſimet Adverſarii cum ſuo Gerſone aſſerunt, temerarium, & ſcandaloſum eſſe, dicere illos non eſſe in ſtatu ſalutis, ut ſupra vidimus, & probat exemplum Sancti Vincentii Ferrerii; qui partes Benedicti ſequebatur: ſi ergo illæ aliæ Obedientiæ erant in ſtatu ſalutis, quo pacto hæretici, ſchiſmaticive dici poſſent? Deinde qua ratione dici poſſent Catholici, qui Joanni parebant, & hæretici, vel ſchiſmatici, qui Benedicto, & Gregorio adhærebant; ſi, ut ſupra vidimus, omnes tres Pontifices dubii erant; & in omnibus erat juris, factique dubitatio, ut ſuo loco demonſtratum eſt? Igitur quandiu tres illæ Obedientiæ congregatæ ſimul non erant, minimè dici poterat Univerſalis Eccleſia congregata; & conſequenter; quælibet ex illis obedientiis congregata univerſale non faciebat Concilium.

42. Cæterum licet hæ rationes optimè probent Obedientiam Joannis Concilium univerſale non conſtituere: nihilominus poterat eſſe Concilium particulare, & tunc aliquid decidere, quod ſi poſtea à Summo Pontifice approbaretur tanquam de fide, maneret jam de fide; & ideo hanc rationem in principio hujus operis ab Eminentiſſimo, ac ſapientiſſimo Cardinale de Aguirre in ſuo aureo tractatu cedro digno adductam plenè non admiſi: quare recurrendum mihi videtur ad aliam, quantum capio, efficaciorem rationem, videlicèt, quòd illa quinta ſeſſio non fuerit conciliariter facta, ut ſupra probavimus; Martinus autem V. ſola decreta Conſtantienſis Concilii ritè, ac conciliariter facta, & ea, quæ quæſtionis de fide attingebant, Apoſtolica authoritate approbavit; ut infra videbimus. Vel tandem dato, quòd ſeſſiones illæ quarta, & quinta, fuerint conciliariter factæ, non loquuntur de poteſtate Concilii ſupra Papam indubitatum, ſed tantùm dubium in caſu præſentis ſchiſmatis: ut mox videbimus.

SECTIO V.

Quo ſenſu intelligi debeant Conſtantienſis Concilii decreta?

43. Ut majorem quæſtioni lucem addamus, ſupponendæ ſunt breviter quinque opiniones circa poteſtatem Concilii, tempore Conſtantienſis Concilii ventilatæ, quas Canonicus Schelſtrate diſſert. 3. cap. 1. pag. 141. & ſequentibus adducit: ubi ait illas Doctorum ſententias fuiſſe Concilio Piſano propoſitas. Prima opinio aſſerebat Pontificem in nullo omnino caſu Concilio ſubiici. Hanc Concilii Conſtantienſis tempore plures Doctores propugnabant, quam ſequutus eſt Benedictus XIII. teſte Divo Antonino tom. 3. Chronicorum, & Raynaldo ad annum 1409. & hanc ſententiam plurimos Doctores tanquam de fide certam, ejuſque oppoſitam

ſitam hæreticam tenuiſſe ante celebrationem Concilii Conſtantienſis aſſerit Joannes Jerſon lib. de Poteſtate Eccleſię, & intelligebatur hæc ſententia de Pontifice etiam in caſu hæreſis, & ſchiſmatis.

44. Secunda ſententia fuit Pontificem etiam in caſu ſchiſmatis de duobus de Papatu contendentibus non ſubiici Concilio niſi ob crimen hæreſis; atque adeo Pontificem non niſi propter crimen hæreſis à Concilio deponi poſſe: huic ſententiæ Piſanum Concilium in depoſitione Benedicti XIII. & Gregorii XII. voluit adhærere: & ideo ne quidem Pontifices illos dubios, niſi prius probata eorum hæreſi contra unitatem Eccleſiæ deponere eſt auſum, ut ſupra vidimus. Cum autem Pontifices illi nulla hæreſis labe infecti invenirentur, Patres Concilii quæſierunt; an ex eo ſolùm, quòd uterque de Papatu contenderint, hæretici eſſent? Unde juſſu Cardinalium, & Patrum omnes Magiſtri Theologiæ, tam Epiſcopi, quàm Abbates, & Generales Ordinum Mendicantium anno 1419. 28. die Menſis Maii Piſis in conventu Fratrum Minorum ſunt congregati ad deliberandum de his duobus. Primò. *An duo de Papatu contendentes eſſent ſchiſmatici, & hæretici reputandi.* Secundò. *Dato quod ſic, utrum ſub titulo hæreſis ſint ab univerſali Eccleſia è Papatûs regimine eiiciendi?* & additur in Actis: *Ad has quæſtiones, habita pluries adinvicem matura deliberatione, concorditer, & unanimiter, reſponſum fuiſſe prædictos de Papatu contendentes hæreticos cenſeri, & ut tales per ſententiam Concilii declarari, ac è Pontificatu eiici poſſe.* Et hac recepta Theologorum ſententia Concilium Piſanum eos Pontifices depoſuit, videlicèt Benedictum XIII. & Gregorium XII. qui tamen ſententiam Concilii contempſère, ut ſupra vidimus. Totum fundamentum iſtorum Theologorum ad inferendum Pontifices illos cenſeri hæreticos fuit, quòd contendentes de Papatu negabant pertinaciter unum dogma fidei in Symbolo Nicæno poſitum, videlicèt, Unitatem Eccleſiæ Catholicæ: nam qui negat pertinaciter aliquod Dogma fidei, ſine dubio hæreticus eſt.

45. Hoc tamen fundamentum infirmum, & vacillantis eſt in caſu illo præſenti: nam nullus ex illis Pontificibus Benedicto, & Gregorio negabat hoc unitatis Eccleſiæ myſteriũ; imo quilibet credebat Eccleſiam unam eſſe, ſub uno tantùm capite, quod quiſque eſſe credebat: quòd verò Benedictus Gregoriũ, & Gregorius Benedictũ negaſſet; nullus negabat aliquẽ articulũ fidei: nõ enim erat articulus fidei illos duos Pontifices eſſe veros Pontifices; imo de hoc maximè, prudenterque dubitabatur; fides autem excludit dubiũ in contrarium: ergo ex eo præcisè, quòd contenderent de Papatu illi Pontifices, hæreticos eos eſſe probari non poterat; & ideo cautè Doctores illi non ſimpliciter dixere illos eſſe, ſed cenceri hæreticos, quia bene præſumi poteſt hæreticus, contra unitatem Eccleſiæ; qui contumaciter vult in ſchiſmate contra Eccleſiæ unionem perſiſtere; quemadmodum, qui cum duabus contrahit matrimonium non formaliter; ſed præſumptiuè dicitur hæreticus contra matrimonii ſacramentum; quod ſignificat unionem unius tantùm Sponſi Chriſti cum una tantùm Sponſa Eccleſia: quidquid tamen ſit de hac quæſtione, cujus reſolutio nunc ad noſtrum non ſpectat inſtitutum: ſed ſatis eſt ſupponere illos Patres Piſanos intellexiſſe Concilium Pontificem etiam dubium, quales erant in eo caſu Benedictus, & Gregorius, deponere non poſſe, niſi hæreſeos crimen accederet; & hanc ſecundam ſententiam acriter ſecutus eſt Joannes XXIII. qui, dum quidam in Conſtantienſi Concilio per ſchedulam publicaſſet eum invitum cogi poſſe ad cedendum Papatu; per aliam ſchedulam proponi fecit quæſtionem hanc: *An verus, & canonicus Papa non ſuſpectus de hæreſi poſſit ab aliquo compelli, vel arctari?* & in alia ſchedula reſponderi curavit: *Quòd hoc eſſet ponere manus in Chriſtum Domini; & qui contrarium publicaverat, ſi fuiſſet bonus Chriſtianus, & intellexiſſet ſcripturas, nullatenus talia piis auribus ſuggeſſiſſet.* Hæc igitur erat ſecunda ſententia eo tempore recepta, videlicèt non poſſe Romanum Pontificem ab ullo, niſi ſolùm in caſu hæreſis judicari.

46. Tertia ſententia fuit illos duos, vel tres Pontifices in eo ſchiſmate, etiam nulla eorum probata hæreſi pro unione, paceque Eccleſiæ comparanda, poſſe à Concilio deponi, ac judicari. Ita tenuit Petrus de Alliaco Card. Cameracenſis; quam ſententiam ille Concilio Conſtantienſi anno 1427. expoſuit 3. par. tract. de authoritate Eccleſiæ cap. 2. ubi aſſerit: Papam ſubiici Concilii generalis judicio, quando de hæreſi, vel de aliis, quæ poſſunt ad hæreſim reduci, accuſatur.

47. Quarta ſententia fuit Conciliũ, licèt poſſit deponere Pontificem dubium in caſu præſentis tunc ſchiſmatis; non habere tamen authoritatem ad reformandam Eccleſiam, ſed expectare debere novam Pontificis electionem; ut eo conſentiente, reformari poſſit. Hanc tenuit Franciſcus Zabarella Card. Florentinus omnium Canoniſtarum eo tempore facilè princeps, & ideò Concilium Conſtantienſe hujus Cardinalis adhærens ſententiæ, verba illa, *Ad Reformationem Eccleſiæ Dei*, in quarta ſeſſione poſita, tanquam juri adverſa omninò ſubſtulit, ut ſupra manet oſtenſum, in qua etiam ſeſſione prætermiſſum fuit decretum de poteſtate coactiva Concilii ſupra Pontificem; ut ibidem fuit à nobis demonſtratum.

48. Quinta ſententia fuit plurium Patrum Conſtantienſium, quòd ſcilicet Concilium Generale generalem Eccleſiam repræſentans habeat authoritatem tempore ſchiſmatis de Pontificibus dubiis, non ſolum ad procurandam unionem Eccleſiæ deponendo illos, ſed etiam ad Eccleſiam reformandam circa ea, in quibus tam membra, quàm caput ipſum reformatione indigent. Et hoc modo decretum quintæ ſeſſionis primum intellexit Card. Turrecremata lib. 2. de Eccleſia aſſerens decretum illud ſolùm intelligi de Synodo Conſtantienſi, id eſt, quod non extendatur ultra caſum illius ſchiſmatis: & hæc ſunt verba illius Cardinalis: *Falſum eſt, quòd Conſtantiæ declaratum ſit, ſive decretum de univerſali Synodo in Spiritu Sancto legitimè congregata: planè nunquam in Conſtantia ſub hac forma legitur decretum factum: declaratio autem facta per Patres illos ſub obedientia Joannis XXIII. congregata enarravit ſub hac forma: Hæc Sancta Synodus Conſtantienſis Generale Concilium faciens pro extirpatione præſentis ſchiſmatis, & unione, ac Reformatione Eccleſiæ Dei in capite, & in membris fienda declarat, quod in ipſa in Spiritu Sancto legitimè congregata &c.* Itaque judicat eos falſitate decipi, qui intelligunt decretum quintæ ſeſſionis aliter, quàm in caſu prædicti ſchiſmatis. Et hoc ipſum explicavit idem Concilium, quando decretum extendit ad alia Concilia Generalia congregata ad caſus præmiſſos, ibi. *Quicumque cujuſcumq; dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, qui mandatis, aut præceptis hujus Sacræ Synodi, & cujuſcumque alterius Concilii Generalis legitimè congregati ſuper præmiſſis &c.* non dixit abſolutè, ſed ſuper præmiſſis, ideſt, ſuper jam dictis caſibus hæreſis, & ſchiſmatis de pluribus contendentibus de Papatu: quibus terminis clarioribus Concilium mentem ſuam explicare poſſet? Unde patet hanc quintam ſententiam Conſtantienſi Concilio placuiſſe; quod ex infradicendis magis patebit.

49. Sexta denique ſententia fuit Gerſonis, qui decreta Concilii Conſtantienſis in quinta ſeſſione, non ſolum de Papa dubio, & in caſibus ſimilis ſchiſmatis de pluribus contendentibus de Papatu; ſed de Conciliis abſolutè ſumptis intelligenda eſſe putavit; ita ut Concilio Pontificem abſolutè ſubiici aſſeruerit. Conſtat ex duobus ejuſdem ſermonibus. Primo, in Dominica ſecunda poſt Epiphaniam. Secundò de Viaggio Regis Romanorum jam alibi citatis; & in tractatu, an, & quomodo appellare liceat? fatetur Declarationem Martini V. cum decretis quintæ ſeſſionis Conſtantienſis Concilii pugnare; inſinuans Synodum Conſtantienſem in prædictis decretis majoris authoritatis facere Concilium, ad quod tamquam ad ſuperiùs à Papa provocatio fieri poſſit: ſed quam aliena à veritate ſit hæc Gerſonis ſententia, jam liquet ex dictis, & ex infra dicendis magis conſtabit. His ſententiis breviter explicatis, probandum nunc eſt Conſtantienſis Concilii decreta quartæ, & quintæ ſeſſionis de authoritate Concilii ſolùm in

caſu

Digitized by Google

caſu præſentis ſchiſmatis eſſe intelligenda.

50. Probatur 1. quia mens Legislatoris ex illius verborum tenore deprehenditur: quod conſtat ex irrefragabilis juris principio, l.Labeo, §.idem Tubero, ff.de ſupelleƈt. legat. l.ſcire, ff.de Tutor. & Curator.l.1.§.Divus, ff.ad leg.Cornel. de Sicar. Sed omnia verba Concilii exprimunt clariſſimè, & expreſſiſſimè Concilium ſolùm loqui in caſu præſentis ſchiſmatis:ergo de ſolo hoc caſu prædiƈta decreta ſunt intelligenda.Probatur illa minor propoſitio: cætera enim adeo per ſe ſunt clara, ut probatione non egeant: nam ſeſſ. 4. ita ait Concilium: *Hæc Sancta Synodus Conſtantienſis &c. pro extirpatione præſentis ſchiſmatis &c.* & infra. *Et primo, quod ipſa Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata &c. poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cujuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur, in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem diƈti ſchiſmatis &c.* Deindè, quando extendit decreta ad alia in futurum Concilia Generalia, ibi. *Aut cujuſque alterius Concilii Generalis &c.* Ea reſtringit ad caſus ſupra præmiſſos, ſcilicet, in caſu hæreſis Pontificis, aut ſchiſmatis de pluribus de Papatu contendentibus, ibi. *Legitimè congregati, ſuper præmiſſis, aut ad ea pertinentibus*. Prout jam ſupra in quinta ſententia relata præ notavimus. Igitur nulla ineſt Conciliis poteſtas ſupra Pontificem, niſi in caſu illius hæreſis externæ cum contumacia, vel in caſu prædiƈti ſchiſmatis: Si enim abſolutè, & in omni caſu Concilium ſit ſupra Papam, Patres Conſtantienſes toties, tamque repetitis verbis hanc poteſtatem non reſtringerent ad caſum præſentis ſchiſmatis. Aliter verba illa toties repetita nihil operarentur, quod quidem eſſet contra regulas juris; juxta quas, verba legis debent ſemper effeƈtum aliquem operari, l.1. §.Hæc verba, ff.Quod quiſque jure, l.penult.ff.Ne quis eum, l.Quoties, ff.qui ſatisdar. cogantur l.4. §. Condemnatum, ff. de re judicata, l.3.in princ.ff.de jur.jur.l.ſi quando 109. ff. de legatis 1. l. final. ff. ne quid in loco publico, cap.ſi Papa de privil. in 6.cap.ſi à Judice de appellat. in eod. lib.6. deinde clauſula geminata, & repetita non ponitur causâ exempli ad probandam diſpoſitionem generalem, ſed ad reſtringendum ad caſum illum ſpecialẽ, l.cum Prætor, ff.de judic. l.cum Maritus, Cod. de Procurat.l.Quamvis, Cod.de pignor. l. ait Prætor, §. ſed quod Papinian. ff. de minor. cap.omne de Præſumption. Deinde incluſio unius; præſertim, quando fit ſæpiùs repetitio, eſt excluſio alterius. quemadmodum petenti diſpenſationem ad veſcendas carnes in Quadrageſima Pontifex concederet licentiam eas veſcendi ter in hebdomada, nonnè iret contra mentem diſpenſantis, ſi abſolutè & in omnibus Quadrageſimæ diebus carnes veſceretur? Similiter ergo, dum quæritur, utrum Concilium habeat poteſtatem ſupra Pontificem; & in Synodo definiatur, Concilium in caſu hæreſis, aut ſchiſmatis de pluribus de Papatu contendentibus ſupra Pontificem habere poteſtatem, contra mentem Concilii non iret, qui Concilium abſolutè, & extra caſum illum poteſtatem ſupra Pontificem habere judicaret?

51. Probatur 2. quia propoſitis ſex illis opinionibus ſupra explicatis ipſi Concilio Conſtantienſi, Conciliũ ipſum tulit decreta ſua juxta quintam ſententiam; qua dicebatur Concilium dumtaxat habere poteſtatem ſupra Papam in caſu hæreſis, & diƈti ſchiſmatis de pluribus Pontificibus contendentibus de Papatu; quis negare audeat, decreta illa ſolum ad illum caſum reſtringi? cur non facit decreta juxta ſextam opinionem Gerſonis aſſentientis Concilium Univerſale abſolutè, & in omni caſu eſſe ſupra Pontificem, niſi quia illam non veram eſſe agnovit? Dices: cur Synodus illam opinionem non reprobavit? Reſpondetur, dum quintam definivit, ſextam illi oppoſitam, ſufficientiſſimè reprobaſſe. Dices ne, qui definit tres eſſe Perſonas Divinas, non improbare eos, qui non eſſe tres affirmarent? & qui definit Chriſtum eſſe Deum, non damnare eos, qui Chriſtum non eſſe Deum aſſererent?

52. Probatur 3. quia cum Synodus Conſtantienſis deponere Joannem vel-

Digitized by Google

let, nec tamen id ſatis auderet defectu poteſtatis, primò illum ut ſchiſmaticum & hæreticum PP. accuſarunt, quippè ſciebant optimè Patres hoc uno delicto convictum Romanum Pontificem Sacros juxtà Canones poſſe ab Oecumenica Synodo deponi: ſed cum non poſſet in eo Pontifice ſchiſmatis veri, hæreſeoſve delictum plenè probari, monente in publico Conventu Card.S.Marci, ut patet ex actis Concilii apud Schelſtrate cit. *Ut attenderet Concilium, quod Procurator Concilii propoſuerat crimen hæreſis, & fautoriam ſchiſmatis, & alia quædam non conſtare*; tunc Patres, omiſſa hæreſis accuſatione, collatiſque cum Sigiſmundo Imperatore, ſacroque Collegio conſiliis, ad aliud medium ſecuriùs confugêre, videlicet; ut per Legatos ad Joannem XXIII. miſſos eum rogaret, vel ſententiæ à Concilio latæ conſentiret eam confirmando, vel, ſpontè Papatui renuntiaret. Conſtat hoc ex actis Concilii, ibi: *Statim Rex, Cardinales, & Deputati, pluresque tractaverunt materiam, quod Papa conſentiret ſententiæ ſuæ depoſitionis, & ex abundanti renuntiaret*, & infra. *Ordinatum fuit, quod Cardinales, de Urſinis, de Thalanio, Salutiarum, & Florentinus irent ad Papam.* Et poſteà ex conſenſu præſtito ſpontè à Papa Concilium depoſitionis ſententiam, & non antè auſum eſt pronuntiare. Conſtat id ex quatuor manuſcriptis Codicibus 14.Maii anno 1415.apud Schelſtrate ſupra citatum, ibi. *Concilium miſit ad Papam, & Papa ſententiæ acquievit, & ex abundanti renuntiavit in forma prædictæ ſchedulæ*. Forma verò fuit, quæ ſequitur: *Porrò ſi omninò Sacrum Concilium vult procedere ad ſententiam, ſcilicet amovendo eundem Dominum Joannem à Papatu, affirmat, quòd non vult reclamare, nec reclamabit contra dictam ſententiam proferendam; quinimmò ipſam ratificabit, & approbabit, & eandem acceptabit, & in quantum in ſe fuerit, confirmabit &c.* Idem quoque fecit Gregorius XII. ut conſtat ex Inſtrumento Concordatorum Narbonæ inter Regem Romanorum, & Legatos Concilii ex una parte, & obedientiam Benedicti ex altera, ibi. *Dominus, qui Gregorius XII. in ſua obedientia dicebatur, ſua ſpontè ceſſit: ſic & Dominus, qui Joannes XXIII. dicebatur, facere voluit, atque fecit.* Si ergo Concilium etiam Pontifices dubios, non eſt auſum deponere, niſi ſchiſmaticos, & hæreticos, & nonniſi probata hæreſi, aut ſchiſmate, & his non probatis; nonniſi ſpontè ſua cedentes, ſententiamque confirmantes, quis mentis compos audeat aſſerere Concilii mentem, & ſenſum in illis quarta, & quinta ſeſſionibus fuiſſe, majorem Concilii, quàm Papæ indubitati, & extra caſum hæreſis, aut ſchiſmatis, poteſtatem definire?

53. Probatur 4. quia poſt trium obedientiarum unionem graviſſima fuit exorta controverſia ſuper Eccleſiæ Reformationem: nam tres Nationes Hiſpanica videlicet, Italica, & Gallica, non priùs volebant fieri Eccleſiæ reformationem, quàm indubitatus Papa eligeretur: fundamentum erat: quia præcipua, & ferè unica Eccleſię Reformatio, erat ſchiſma tollere; dum autem indubitatus Pontifex non eligeretur; erat prorsùs impoſſibile ſchiſma deleri. At Natio Germanica contendebat, ut Eccleſiæ Reformatio Pontificis electionem præcederet; poſt longum certamen vicit trium Nationum ſententia, ceſſitque Germanica; ea tamen conditione; *Ut à Concilio expediretur aſſecuratio, & cautio per decretum irritans, quòd poſt electionem Papæ fieret Reformatio ante Coronationem Papæ, & adminiſtrationem aliquam.* Qua Germanorum poſtulatione audita, maturèque conſideratâ, Concilium Papam ſemel electum à nullo poſſe ligari reſpondit: ut conſtat ex Actis Concilii ex quatuor Codicibus manuſcriptis apud Schelſtrate fol. 268. & habetur in proteſtatione Nationum contra Germanos ante ſeſſionem 40. die 11.Septemb.1417. & ſic habent: *Poſteà fuerunt facta diverſæ formæ; ac tandem fuit dictum, quòd Papa electus ligari non poteſt.* Si potuit ligari à Concilio Benedictus, & Gregorius, cur à Concilio non potuit ligari Martinus? non alia ratio eſſe potuit, niſi quia priores Pontifices erant dubii, & erat caſus ſchiſmatis, Martinus verò ritè electus, & Pontifex indubitatus,

per

per illiuſque electionem ceſſaverat ſchiſma. Poterat ne clariùs mens, & ſenſus Concilii declarari? nimirùm decreta quartæ, & quintæ ſeſſionis de majori poteſtate Concilii circa Papam dubium, & in caſu dicti ſchiſmatis eſſe intelligenda?

54. Reſpondet Dupinus non poſſe ligari Pontificem, quia ſemel electus poteſtatem Concilii eluderet. Vana reſponſio, non erat ibi adhuc Concilium congregatum, armatorum militum Regis, Principumque potentiâ præmunitum? Martinus adhuc electus, nondum coronatus, ſolus, & exarmatus irritanti Concilii Decreto reſiſteret? non poſſet, ſi Concilio majorem habenti poteſtatem obluctaretur, ab eodem deponi? Potuit Synodus Joannem, potuit Gregorium & Benedictum; quos multorum hominum, Regumque Obedientiæ protegebant, ligare, deponere, & Martinum ſolum, exarmatum deponere, ligareque non poſſet? Eos igitur ligare potuit; quia in eos poteſtatem habuerat, quia dubios; & in ſchiſmate; non potuit ligare Martinum, quia indubitatum Pontificem, & jam extra caſum ſchiſmatis. Senſus ergo, & mens Concilii tantùm fuit decreta illa quartæ, & quintæ ſeſſionis in ſolos Pontifices dubios, & in caſu ſchiſmatis ferre, non verò in Pontifices indubitatos; & qui oppoſitum aſſerit, à mente Concilii prorſus aberrat. Hinc eſt, quòd in decreto ſeſſionis 45. à quinque Nationibus conciliariter edito ſtatuitur, ut *Romanus Pontifex proximè aſſumendus Eccleſiam in capite, & in membris reformet*, nulla, ut in quarta, & quinta ſeſſione, addita pœna; quia, videlicèt, agnoverat Synodus verum, indubitatumque Pontificem nullius Concilii poteſtati coactivæ ſubjacere.

55. Probatur 5. quia ſeſſione ultima in Bulla Martini ſacro approbante Concilio edita contra hæreſes Wicleff, & Huſs expreſsè deciditur Papam canonicè electum ſupremam in Eccleſia Dei habere poteſtatem. Nec valet effugium ſanè frivolum, vanumque adverſariorum, id intelligendum eſſe de poteſtate in ſingulos Chriſti fideles, & in ſingulas Eccleſias particulares toto orbe diſperſas; non verò in Concilium Generale congregatas; nam quî fieri poteſt, ut habeat ſupremam, ideſt, ſupra quam non eſt alia, poteſtatem in Eccleſia Dei, ſi in ipſa Eccleſia Dei congregata alia ſit longè ſuperior poteſtas? an in Republica Romana, aut alia Democratica ſupremam poteſtatem penès Conſulem, aut Ducem, & non penès Comitia ſæcularia eſſe diceret? Si ergo ex eo, quòd penès Comitia Eccleſiaſtica, ideſt, Concilium Univerſale ſuprema eſt poteſtas, quomodo approbaret Concilium Martini Bullam affirmantis, decidentiſque Papam canonicè electum ſupremam in Eccleſia Dei habere poteſtatem? imò ex hoc etiam Concilium ſuam declarat mentem in quartæ, & quintæ ſeſſionum decretis, loqui videlicet ibi ſe de Pontifice dubio, & non canonicè electo, dum conſentit, approbatque canonicè electum, & conſequenter indubitatum ſupremam poteſtatem habere.

56. Probatur 6. quia ſi Concilium decernere voluiſſet in quartæ, & quintæ ſeſſionum Decretis majorem Synodi Univerſalis, quàm indubitati Pontificis authoritatem eſſe, quomodo conſentiret prohiberi à Martino V. damnationem libelli Joannis à Falckemberg, quem Concilium ipſum hæreſeos ante damnaverat? quomodo approbaret decretum Martini, (quin huic ſe fortiter opponeret) pronuntiantis non à Pontifice ad Concilium appellari, ſupremumque in cauſis Fidei Tribunal penès Pontificem eſſe? Igitur negare Concilium Conſtantienſe decernens Papam in cauſis fidei, & dicti ſchiſmatis Concilio ſubiici, loqui ſolùm de Papa dubio, non verò de canonicè electo, ac indubitato, eſt apertè reſiſtere veritati, & legitimum, verum, ac ſyncerum Concilii ſenſum ad pravos ſuos ſenſus detorquere; imò ipſi Generali Concilio manifeſtam calumniam in irrogare; & ipſum ſibi omninò adverſum, vanum, & inconſtans judicare; dum in principio dixiſſe unum, & poſtea approbare aliud omninò oppoſitum affirmat.

57. Ut autẽ clariſſimè eluceat hanc fuiſſe mentem Patrum Conſtantienſium, videlicet, Concilium ſolùm in caſu

caſu ſchiſmatis de pluribus de Papatu contendentibus, in Papam ſic dubium poteſtatem coactivam habere, conſiderandus eſt modus, quo circa Papam dubium in caſu ſchiſmatis prædicti, & circa Papam indubitatum, & canonicè electum ſe gerit Concilium: quando enim agit de primo, diſponit ſua decreta in illum, tanquam poteſtatem coactivam habens, imponendo pœnas, & alia hujuſcemodi; quando autem agit de Pontifice indubitato, & canonicè electo, nullam pœnam imponit, nec ullam in eum Pontificem poteſtatem coactivam ſe habere ſignificat; ut videre eſt in omnibus ejuſdem Concilii Geſtis, præſertim in capite Frequens ſeſſ. 39. in quo pro veris, & indubitatis Pontificibus Concilia Generalia ſtatutis temporibus convocare nolentibus nullam pœnam imponit, nullam omninò coactionis facit mentionem; prout facit in ſecunda parte ejuſdem decreti, quæ de ſchiſmatis tempore agit, in qua circa Pontifices, de quibus dubitatur, uter ſit verus, & legitimus, pœnam etiam privationis Papatus infligit: aliaſque pœnas conſtituit. Igitur hæc fuit mens, & ſenſus Conſtantienſis Concilii in eis quartæ, & quintæ ſeſſionum decretis, ut non ſupra Papam verum, indubitatumve, ſed ſupra dubium, & in caſu prædicti ſchiſmatis Oecumenica Synodus habeat poteſtatem.

SECTIO VI.

Oſtenditur ſeſſionis quintæ Conſtantienſis Concilii decreta non fuiſſe à Martino Papa V. confirmata in ſenſu Adverſariorum.

58. Licet hoc jam ſatis ex tota ſuperiori noſtra doctrinâ liquidò conſtet; operæ pretium tamen eſſe duxi ſpecialem de hac re attexere ſectionem, ut clariùs, lucidiuſque noſtræ doctrinæ veritas innoteſcat. Adverſarii, præſertim Maymburgus cap. 21. & cap. 24. pag. 265. ita ſcribit. *Jam oſtendi, quod Martinus V. bis ſolemniter approbaverit decreta. Semel, quando ſtatuit peti ab illis, qui ab hæreſi convertuntur, num probent ſine exceptione omne illud, quod probat Concilium, & num condemnent, omne illud, quod damnat? Et rurſus ſeſſione ultima, ubi declarat, ſe approbare, & inviolabiliter obſervare velle omnia decreta, quæ in hoc Concilio edita ſunt circa materiam fidei, & ſicut ipſe exponit verbo novo, conciliariter.*

59. Quàm longè á veritate hiſtoricus iſte aberret, jam liquet ex dictis, & clariùs ex dicendis conſtabit. Ad quod ſupponendnm eſt ex Sacrorum Canonum ſanctionibus, & ex Sacræ Theologiæ principiis, tribus modis Pontificem Maximum poſſe, ſolereque Concilia, & eorum decreta approbare, confirmareque. Primò modo decretis à Concilio determinatis ſubſcribendo; itaut in hoc non ſe habeat æquè, atque alii Epiſcopi, ſicut aut imperitè protulit, aut vanè ſomniavit quidam ex Adverſariis, quem jam ſupra impugnavimus, ſed ſubſcriptione vigorem dante Conciliis. Secundo modo, interpretativè, implicitè, aut virtualitèr, ut vocant; ut quando Pontifex Conciliorum decreta præcipit obſervari, vel ſe ipſe profitetur ea inviolabiliter obſervaturum eſſe: implicitè enim illa cenſetur approbare, dum illa à fidelibus obſervari jubet: & tunc, ſi præcipiat, ut tanquam dogma fidei credantur, illa ut definita de fide confirmat; & qui ea negaverit; in hæreſim prolabitur; ſi præcipit, ut obſerventur, tanquàm gubernativæ diſpoſitiones, tunc tanquam Conſtitutiones, legeſque Synodales, & conſequenter Pontificias approbat, & confirmat. Tertio modo per expreſſam Bullam; & tunc modus approbandi, confirmandique ex ipſo Bullæ tenore metiendus eſt. Ex his ergo præmiſſis, ut certis, & à nemine, qui Theologiam, & Canonum jura calleat, negatis; videndū eſt, an illa 4. ac 5. ſeſſ. Concilii Conſtantienſis decreta, juxta ſenſum, quo Baſileenſes, & Adverſarii eiſdem adhærentes intelligunt, vel fingunt ſe intelligere, aliquo ex tribus præfatis modis à Martino V. Pontifice Maximo fuerint approbata, & confirmata. Et quidem non fuiſſe primo modo approbata quartæ, & quintæ ſeſſionis decreta mani-

manifeſtum eſt: quia adhuc Martinus non erat Papa, ut poſſet eis decretis, ſicut Papa ſubſcribere. Probatur etiam illo ſecundo modo prædicta decreta confirmata non fuiſſe: quia ex geſtis Concilii non apparet; ubi Martinus V. præcepiſſet, ut illa decreta poteſtatem ſupra Papam indubitatum Concilio aſcribentia à fidelibus obſervarentur.

60. Dices cum Maymburgo, id optimè colligi ex ſequenti Conſtantienſis Concilii articulo; ubi præcipitur, vt qui ad fidem redeunt, profiteantur ſe approbare, quæ Conſtantienſe Concilium approbat, & quæ illud reprobat, id ipſos etiam reprobare, ibi: *Utrum credant, quòd Sacrum Concilium Conſtantienſe Univerſalem Eccleſiam repræſentans approbavit, & approbat in favorem fidei, & ad ſalutem animarum; quod hoc eſt ab Univerſis Chriſti fidelibus approbandum, & tenendum; & quod condemnavit, & condemnat eſſe fidei, vel bonis moribus contrarium; hoc ab eiſdem eſſe tenendum, & aſſerendum.*

61. Verùm quid hic articulus ad noſtram facit quæſtionem? in eo articulo præcipitur, ut quæ in Concilio de fide ſunt definita, credantur: ergo non loquitur de illis decretis quartæ, & quintæ ſeſſionis, in quibus aſtruitur major Concilii, quàm Pontificis poteſtas, & poſſe à Pontifice ad Concilium appellari: hoc enim de fide eſſe, in ſenſu, quo Adverſarii volunt, de Papa videlicet indubitato, nec Adverſarii ipſi concedunt: aliter ipſe Papa Martinus V. qui reprobavit eos, qui dixerint ad Concilium à Papa canonicè electo, & indubitato appellari poſſe, foret hæreticus, & Concilium Martino conſentiens cum hæretico communicaret; deinde omues Chriſti fideles, Doctores, Epiſcopi, exceptis paucis quibuſdam Pariſienſibus, qui defendunt, creduntque oppoſitum illis decretis, in ſenſu, quo cum Baſileenſibus Adverſarii volunt, hæretici forent: quod abſurdum contrarii devorare non audebunt. Deinde articulus ille ſolùm loquitur de illis decretis, quæ Concilium Univerſalem Eccleſiam repræſentans edidit: ſupra autem oſtenſum eſt, quando illa ſunt conſtituta decreta, in quarta videlicet, & quinta ſeſſione, ubi ſolùm erat congregata Obedientia Joannis XXIII. non repræſentare Univerſalem Eccleſiam; imò nec illam repræſentaſſe, niſi poſt factam trium Obedientiarum Benedicti, Gregorii, Joannis unionem concordem. Præterea in eo articulo ſolùm dicitur, ut credantur, quæ Concilium, ante approbaverat, & tunc approbabat: at eo tempore Concilium Martino ea decreta reprobanti conſentiens, ut ex dictis patet, & ex dicendis patebit; iam illa decreta non approbabat: ergo ex illo articulo præfato decreta prædicta, nec etiam ſecundo illo modo à Martino V. approbata fuiſſe deduci poteſt.

62. Probatur 3. illo modo, ideſt, per bullam ea decreta de authoritate Concilii ſupra Papam in ſenſu Adverſariorum à Martino V. approbata non fuiſſe. Nam in primis Bulla Martini ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Inquiſitores hæreticæ pravitatis in Regionibus Boemiæ, Poloniæ, & aliis Germaniæ Provinciis, & eadem ad Epiſcopos, & Inquiſitores Angliæ data Conſtantiæ 8. Kal. Martii, ſui Pontificatus anno 1. nullam mentionem facit illorum decretorum de ſuperioritate Concilii ſupra Papam; ſed ſolùm agit de ſpeciali hæreſi à Concilio damnata, & per illas regiones graſſante; unde per eam Bullam ſolùm ea decreta de hæreſi illa in Concilio ſolemniter damnata approbare, confirmareque cenſetur. Quis ergò rectè hanc conſecutionem deducet? *Pontifex approbavit in uno Concilio decretum unum de fide; ergo omne illud, etiam quod de fide non eſt, approbavit?* Nonnè multa ſunt facta Concilia etiam Univerſalia, ut ſupra vidimus, in quibus Pontifex aliqua approbavit, confirmavitque; alia verò improbavit? Accedit quòd bulla iſta non fuit confirmatoria; ſed executorialis, & ſacro approbante Concilio edita; necin ultima ſeſſione; ut ex Actis evidenter probat Schelſtrate Diſſert. 3. c. 4. pag. 192. nam Bulla illa prædicta edita fuit 22. Februarii; poſtea verò fuit celebrata ſeſſio 43. 21. Martii. Unde cum non appareret Bulla confirmatoria, per errorem fuit ab aliquibus poſita poſt ſeſſio-

ſeſſionem 45. ut bene obſervavit prædictus author, qui accurata ſua induſtria, & laudabili ſtudio Bullam Concilii Conſtantien. confirmatoriam à Martino V. editam nondum typis mandatam ab obſcuræ antiquitatis latebris retexit, & conſtat ex Regeſto authentico manuſcripto; quæ bulla ſic habet: *Martinus &c. Ad perpetuam rei memoriam. In eminentis Apoſtolicæ dignitatis ſpecula ſuperni diſpoſitione Conſilii conſtituti inter ſolicitudines aliàs innumerabiles noſtris humeris incumbentes, aſſidua cura revolvimus; & in votis noſtris gerimus deſiderantes, ut fides Catholica, quæ Chriſtianæ Religionis firmiſſimum eſt fundamentum, noſtris proſperetur temporibus, ac à contagioſis hæreticorum dogmatibus, quibus illam quaſi tenebroſi fumi caligine offuſcare ſatagunt, conſervetur, hæreticaque pravitas de finibus fidelium extirpetur. Nos igitur declarationes, decreta, definitiones, reprobationes, condemnationes, & ſententias, ſupra ſcripta rata habentes, & grata, illaque authoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia tenore præſentium confirmantes, & præſentis ſcripti patrocinio communientes, ſupplentes quoque omnes defectus, ſi qui forſan propter ſolemnitates juris in procedendo non ſervatas intervenerint in eiſdem, volumus etiam, & eadem authoritate decernimus, quòd declarationes, definitiones, reprobationes, mandata, inhibitiones, ſtatuta, necnon condemnationes, & ſententiæ, præinſertæ, plenam vim, plenumque robur, & vigorem per omnia habeant, & ad ea ubilibet probanda hæ noſtræ literæ planè ſufficiant, quandocumque & ubicumque eas ſive in judicio, ſive alibi exhiberi contigerit, vel oſtendi. Nulli ergo &c. Noſtræ Approbationis, ratificationis, communitionis, ſuppletionis, voluntatis, & conſtitutionis infringere &c. Datum Conſtantiæ 8. Kal. Martii, Pontificatus Noſtri, anno primo.*

63. Hic ſupponendum, ſive notandum eſt. Primò Martinum V. in hac Bulla præmiſiſſe, quæ contra errores Joannis Wicleff, & Hus, & Hieronymi de Praga à Joanne XXIII. in Concilio Romano Pontificatus ejus anno tertio decreta fuerunt, duaſque ejuſdem Conſtitutiones adducit; quarum una à Labeo tom.2. Conciliorum edita eſt; altera hucuſque in lucem non prodiit; deinde Statuta Conſtantienſis Concilii circa propoſitionem Joannis Wicleffi, & Huſſii, nec non errorem Bohemorum contendentium communionẽ ſub utraque ſpecie eſſe de neceſſitate ſalutis, de verbo ad verbum inneċtit; & mox proſequitur Martinus: *Nos igitur* &c. pro ut ſupra. Notandum 2. Hanc Martini Bullam editam fuiſſe 8. Kal. Martii, ideſt 22. Februarii, & conſequenter eadem die, qua executoriales ſupra commemoratæ literæ, fuit à Martino V. expedita. Notandum 3. Executoriales priores illas literas ad Inquiſitores tranſmiſſas, expeditas fuiſſe his terminis, *Sacro approbante Concilio*; eæ verò confirmatoriæ, fuerunt abſolutè, & nomine proprio, ex certaque ſcientia per modum motus proprii latæ. His ergo notatis, manifeſtum eſt hanc Martini Bullam ea tantùm Conſtantienſis Concilii decreta reſpicere, quæ ipſe præmiſerat, nimirùm, contra eos hæreticorum errores à Concilio edita: & ideo uſus eſt terminis relativis; *Nos igitur* &c. ergo qui Bullam illam ad alia decreta Concilii ibi non præmiſſa, prænominataque extendit, Bullam ultra ſignificatum, finemque intentum detorquet, quemadmodum ſi quis literas uni ſcriptas, alteri cui non ſcriptæ ſunt, tradere vellet. Cum verò ſola decreta Fidẽ ſpectantia à Concilio determinata Martinus V. confirmaverit, atque ſupremæ authoritatis ſuæ præſidio communiverit; Decreta verò quartæ, & quintæ ſeſſionis nullatenus fidem ſpectent; ut ſupra ſatis eſt comprobatum, ſequitur manifeſtè decreta prædicta, quæ Concilio ſupra Papam authoritatem aſcribunt, ex vi prædictorum Martini V. Diplomatum, nullum firmitatis robur aſſumere.

64. Manifeſtum eſt ſecundò ex illius confirmatoriæ Bullæ Martini verbis authoritatem Pontificis ſupra Concilium, & non Concilii ſupra Pontificem relucere. Nam in ea Bulla confirmatoria, jam non utitur illis terminis, *Sacro approbante Concilio*, ſed independenter ab illo, ait, *Authoritate Apoſtolica*, & non Concilii, *ex certa ſcientia,*

tiæ, ideſt, ex infallibilibus ſcientiæ clavibus nobis à Chriſto datis: deinde in eadem confirmantis oraculi Bullâ progreditur, dicens ſe approbare, ratificare, confirmare, & communire decreta, & ſupplere defectus Concilii. Si Concilium firmiùs eſt; & infirmior Pontifex, quî fieri poteſt, ut Concilium Pontifex confirmet? infirmitas ne vires habet ad firmitati robur addendum? id, quod non habet Pontifex, alteri præſtare poterit? Qui ratificat, confirmat, communit, ſuppletque defectus alterius, illo, cujus defectus ſupplet, ſuperiorem eſſe oportet. Poterit ne inferior ratificare diſpoſita ab eo, qui authoritatem habet majorem? & is, qui deficit, ſupplere defectus alterius, quem vos dicitis non poſſe deficere? Igitur ex illa Bulla manifeſtè deducitur majorPontificis, quàm Concilii poteſtas: unde, ſi illa Bulla confirmaret, diceretque majorem eſſe Concilii, quàm Pontificis authoritatem, ſe ipſam deſtrueret; & id ipſum, quod affirmat, negaret. Eritne æternæ veritatis oraculum, quod id, quod affirmat, negat, & id, quod negat, affirmat? nonnè etiam ipſum ſibi adverſaretur Concilium; ſi uno loco dicit Synodum Papâ ſuperiorem eſſe; & poſtea conſentit Pontifici dicenti Papam Synodo eſſe ſuperiorem?

65. Igitur non poteſt ullo modo negari verum ſenſum tam Conſtantienſis Concilii, quàm Summi Pontificis Martini V. in ea quarta, & quinta ſeſſione eſſe, ut ſolùm in caſu prædicti ſchiſmatis, & circa dubium de pluribus contendentibus de Papatu, non autem de vero, certo, indubitatoque Pontifice decreta illa de ſuperioritate Concilii ſint intelligenda: aliter & Concilium ipſum & Pontifex ſibi ipſis adverſarentur.

66. Ne autem ullum omninò dubium ſuperſit de mente Martini V. ſuper authoritatem Pontificis ſupra Concilium, addenda hîc ſunt, quæ occaſione Polonorum, de non appellando à Sedis Apoſtolicæ Tribunali, in Conſiſtorio publico ſtatuit. Ut hoc faciliùs intelligas, rem cape. Concilium ſeſſione 13. ex Collegio Cardinalium, & ex Nationibus ad examinandas hæreſum cauſas Commiſſarios delegit; ut conſtat ex actis Conſtantienſis Concilii, ibi. *Ad audiendum, & examinandum cauſas hæreſum, & errorum in fide Catholica, & moribus, undecumque habuiſſent, & haberent originem &c.* Accidit, ut Regis Poloniæ Legatus Nicolaus Griezenſis Archiepiſcopus acceptum à Doctoribus Pariſienſibus libellum famoſum, quem Joannes à Falchemberg in Wladislaum Regem, & in omne Polonum nomen conſcripſerat, ad deputatos Judices detulerit; authoremque in carcerem detrudi fecerit; ipſumque libellum à Judicibus ConſtantienſisConcilii cum omni juris ſolemnitate damnari procuraverit. Itaque antequam Martinus V. eligeretur; Concilium Conſtantienſe maturè examinata cauſa libelli, ordinavit, ut tanquam hæreticus publicè condemnaretur; ſeu potiùs jam à Concilio damnatus publicè denuntiaretur; & poſt Martini electionem, acriter inſtiterunt, ut hujus libelli damnatio publicaretur: nihilominus Martinus V. damnavit errores Joannis Wicleff, & Huſs, & errores Bohemorum de Communione ſub duplici ſpecie 8. Kal. Martii, ideſt 22. Februarii anno 1418. & ibi de prædicto libello nullam fecit mentionem; quo viſo Poloni de appellando ad futurum Concilium cogitarunt; vel reipſa appellationem interpoſuerunt, ſi credendum ſit Gerſonio in Apologetico Dialogo pro Conſtantienſi Concilio, ubi ſic ait: *Pro parte Dominorum Polonorum interiecta eſt tandem Appellatio ad futurum Concilium; cui Appellationi cum reſpondendum eſſet, lata eſt, ut dicitur, in Conſiſtorio generali, & publico, quod ultimo Conſtantiæ celebratum eſt, minuta quædam ſub forma Bullæ... continebatque in nullo caſu licere Appellationem à Papa facere; nec ejus judicium in cauſis fidei declinare.* Quæ hîc affert Gerſonius ex aliis, in tractatu ſuo, *Quomodo, & an liceat à Summo Pontifice appellare, &c.* Tanquam rem ſibi compertam, & indubitatam narrat: abſolutè enim aſſerit Martinum V. in ſua Conſtitutione, *Ad perpetuam rei memoriam*, promulgata in Conſiſtorio Generali Conſtantiæ celebrata 6. Idus Martii, Pontificatus ſui an-

X no

no primo, ſic decreviſſe: *Nulli fas eſt à Summo Judice, videlicet Apoſtolica Sede, ſeu Romano Pontifice Jeſu Chriſti Vicario in terris appellare, aut illius judicium in cauſis fidei, (quæ tamquàm majores ad ipſum, & Sedem Apoſtolicam deferendæ ſunt) declinare.*

67. Igitur Appellationem ad futurum Concilium in publico, & generali Conſiſtorio damnatam fuiſſe à Martino V. fatetur Gerſon, & non negat Maymburgus; qui tamen, ut illi frequentiſſimum eſt; explicat ſuo palato, proprioque arbitrio; *Hæc, & ſimilia, intelligenda eſſe, ut non liceat appellare à Papa ad omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos, Metropolitanos, Primates, Patriarchas, à quorum judicio ad Romanum Pontificem appellare licet: itaut nemini appellare permiſſum ſit ad judicium alicujus ex ipſis à ſententia Romani Pontificis, qui ipſorum ſuperior eſt; non quidem, quando adunati ſunt in Concilio univerſalem Eccleſiam repræſentante, ſed quando particulariter ſumuntur.*

68. Hactenus hic author. Ego certè capere non poſſum, qua ratione tam apertè contrarium Bullæ ſenſum affingat? Martinus V. in publico, generalique Conſiſtorio, occaſione appellationis ad futurum Concilium à Polonis factæ; abſolutè decernit: *Nulli fas eſt à ſupremo Judice, videlicet Apoſtolica Sede, ſeu Romano Pontifice Jeſu Chriſti Vicario in terris appellare.* Si Appellatio ad futurum Univerſale Concilium fuerat interiecta, vel ſaltem de illa cogitabatur; quid conſequebatur Martinus damnando Appellationem ad Eccleſias particulares, & particularia Concilia, de quibus tunc quæſtio non agebatur? Lege Martinum Cromerum Warmienſem Epiſcopum de Geſtis Polonorum lib. 18. ubi ſic ait: *Rem novam Legati Regis auſi: ad futurum Concilium, quòd in decimum annum indicebatur, provocarunt.* Appellatio erat interpoſita, vel intentata ad Concilium generale, quod decimo anno fieri deberet: Martinus damnat hanc Appellationem; & non damnat appellationem ad Concilium univerſale, ſed ad particularia? Quis mentis compos Damnationem à Martino factam ſic intelligat?

69. Itaque citra omne dubium eſt Martinum V. appellationes ad univerſale etiam Concilium damnaviſſe; & ita fatetur Gerſon, cui Maimburgus, certo velut oraculo fidit; & ipſe tandem ratione convictus non diffitetur; ſed cum videat; actum jam eſſe de ſua opinione, quæ cum Bulla ſtare nequit, ad alium ſcopulum navim impingit, à quo minimè evadere poterit. Et ſic reſpondet in citato loco pag. 276. impugnare intendens doctiſſimum Schelſtratem, qui rem pro veritate noſtra meridiana luce clariùs expendit: & ſic ait Adverſarius noſter: *Quòd ſi velit, quod Martinus V. hac Conſtitutione condemnet, & abſolutè prohibeat omnem Appellationem ad Univerſale Concilium, reſpondebitur ſine ulla difficultate, quia facta non fuit, Conciliariter, neque ſacro approbante Concilio, neque cum conſenſu Eccleſiæ, quæ numquam voluit in omni caſu prohibitam eſſe Appellationem à Papa ad Concilium.* Verùm quid intereſt, non facta fuerit conciliariter, ideſt, ab ipſo Concilio; an negare poteſt hic Author Conſtitutionem illam à Martino V. factam fuiſſe? negabit ne vir Catholicus à ſummo totius Eccleſiæ Rectore Conſtitutiones, legeſque fieri poſſe, quas à Rege ſæculari pro Regno ſuo fieri poſſe non dubitat? qua tamen ratione dicere audet, conſtitutionem de conſenſu Eccleſiæ nō fuiſſe factam? En Conſtitutio illa facta, editaque fuit à Martino V. præſentibus Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus; omnes Patres in ea Conſtantienſi Civitate aderant, qui in nulla ex ſequentibus ſeſſionibus, quas celebrarunt Martini Decreto ſeſe oppoſuerunt; quin potiùs illud ipſum in actis ſeſſionis 45. inſeri paſſi ſunt: cur ergo non reſtiterunt? cur in oppoſitum nec unum verbum obiecere? Nonnè damnatio appellationis ad Concilium Generale tangebat Conciliū illud univerſale; ſi juri ſuo damnoſam agnoſcerent Conſtitutionem, permitterent ne in illa ultima ſeſſione inſeri? Igitur evidentiſſimum eſt Concilium Conſtantienſe, Summumque Pontificem damnaſſe appellationes à Papa vero, indubitatoque ad Concilium; & quando Concilium Conſtantienſe in quarta, &

quin-

quinta ſeſſione majorem Concilii, quàm Papæ poteſtatem eſſe decrevit, de Papa dubio in caſu prædicti ſchiſmatis intelligi debere.

70. Sed rogabis hîc, cur Martinus V. qui ſupra memoratos utriuſque Joannis, Wicleff, & Huſs, Bohemorumque damnaverat errores, alterius Joannis à Falkhenberg errorem enormiſſimũ expreſsè damnare noluerit; licèt inde nata fuerit occaſio ad Conciliũ Appellationẽ attentandi? Reſpondeo id prudentiſſimè feciſſe Pontificem, ut oſtenderet ſeſe Decretum Nationum, & Collegii Cardinalium in authoritatem admittere noluiſſe; & alioquin jam à Concilio matura examinatione facta; & conſequenter conciliariter decretus fuerat, tanquam hæreticus, libellus prædictus; unde jam à Martino V. tale Decretum fuerat confirmatum; quando ipſe Pontifex Decreta omnia conciliariter facta approbaverat, confirmaveratque; & ideo Martinus V. dum vidiſſet tumultum fieri pro libelli damnatione publicè denuntianda; id ſuperfluum jam fore reſpondit. Conſtat hoc ex actis Conſtantienſis Concilii per quatuor Prothonotarios conſcriptis ſeſſ. 45. ubi dicitur; *Quòd cùm nonnulli multum dicerent, & tumultum facerent, Martinus V. omnibus impoſito ſilentio dixerit, reſpondendo ad prædicta, quòd omnia & ſingula decreta Conſtantienſis Concilii approbabat, & ratificabat, quæ in materia fidei conciliariter ſtatuta erant; non autem alia, neque alio modo*. Ex quo clariſſimè ſignificabat ſe quædam Decreta confirmare, quædam authoritate Apoſtolica confirmare nolle. Unde cum Paulus Voladimiri unus ex Oratoribus Polonis Appellationem ad Concilium proſequi vellet; eamque ex quadam Scriptura legere cæpiſſet; *Fuit ipſi* (per Doctorem Auguſtinum de Lance Fiſcalem, & Advocatum Conſiſtorialem) De Mandato Domini Noſtri Papæ, ut idem Auguſtinus aſſeruit, *ibidem coram eodem Domino noſtro ſtatim impoſitum ſilentium ſub pœna excommunicationis, quo quidem ſilentio impoſito, idem Paulus tacuit*.

71. Hæc ipſius Conſtantienſis Concilii Prothonotarii in Geſtis publicis ex mandato ipſius Concilii conſcriptis. Ex quibus patet. Primò Martinum V. Pontificem Maximum Collegio Cardinalium, & cunctis Nationibus Sanctum Conſtantienſe Concilium integrantibus ſe Superiorem oſtendiſſe. Secundo Superiorem ſe oſtendiſſe Patribus non ſolùm ſeorſim, ſive nationaliter, & extra publicam ſeſſionem, ſed etiam ſimul, ſive in ſeſſione conciliariter ſtatuentibus: nam Martinus V. dum Appellationem à Sedis Apoſtolicæ judicio prohibuit, ne quidem judicio conciliari ſe ſubjectum eſſe oſtendit: quinimò, Gerſonio fatente, Romanum Pontificem pro ſupremo in materiis fidei Judice, à quo ad Concilium Univerſale provocare non licet, palam, audiente, & non repugnante Univerſali Concilio, aſſeruit: unde in ipſo Conſtantienſi Concilio in ſeſſione publica coram Sacro Cardinalium Collegio, & cunctis Nationibus, Appellationem ad Concilium reprobavit, & ſilentium ipſis ſub pœna excommunicationis impoſuit, & prætermiſſa damnatione prædicti libelli Concilio Conſtantienſi, quod ex trium Obedientiarum unione Oecumenicum evaſerat, finem denique poſuit.

72. Ex his manifeſtè conſtat Martinum V. non ſolum decreta illa de ſuperioritate Concilii ſupra verum, indubitatumque Papam, & de appellando ab ejuſdem judicio ad Concilium non approbaſſe; ſed omnino reprobaſſe, & oppoſitum contra authoritatem Sedis Apoſtolicæ, Romanique Pontificis molientibus perpetuum ſilentium ſub pœna excommunicationis, ipſo etiam Conſtantienſi Concilio Oecumenico ſpectante, minimèque reluctante, ſed conſentiente, impoſuiſſe: quare miror Catholicos eſſe, qui dicant ſuam illam opinionem fuiſſe à Concilio ſtabilitam, à Romanoque Pontifice approbatam, & confirmatam. Ex hactenus in toto hoc opere diſceptatis manifeſtè deducitur adverſæ partis authores nullum omnino pro ſua opinione fundamentum habere, neque à ratione Theologica, naturalive, neque à Sacrorum Canonum præſidio, neque à Conciliorum authoritate, neque à Sanctorum Patrum te-

ſtimoniis; quin potiùs pro noſtræ doctrinæ veritate, ratio ipſa, Scriptura Sacra, Canonum Sanctiones, Conciliorum Decreta, Sanctorum Patrum teſtimonia, Theologorum placita pugnare manifeſtiſſimè videntur.

DISCEPTATIO SEXTA.

Quo pacto Summus Pontifex Romanus authoritatem habeat ad definiendum de fide, tam intra, quàm extra Concilium?

1. DEFINITIO hîc ſumitur pro doctrina fidei certa & infallibili, & nulli ſubiecta errori; itaut, quod Summus Pontifex definit de fide, de fide ſit, quod damnat, ut hæreſim, ſtatim ut hæreſis ab omnibus haberi debeat. Prius tamen ſupponendum eſt Summum Pontificem duobus modis poſſe ſumi. Primò, ut eſt perſona privata. Secundò, ut eſt Magiſter Eccleſiæ, & communis Doctor omnium fidelium. Quoad primum duæ ſunt ſententiæ. Prima, & ſatis communis docet Papam, ut eſt privatus Doctor poſſe errare in fide. Id ſupponitur in cap. Si Papa diſt. 40. Secunda ſententia non improbabilis aſſerit non permiſſurum Deum, quod Papa legitimus etiam ut perſona privata erret in fide. Judicium harum duarum opinionum alibi diſcutiendum: non enim hîc ad noſtrum conducit intentum. Quoad ſecundum tribus modis poteſt conſiderari Pontifex, ut Doctor, & Magiſter Eccleſiæ. Primò, ut ſumatur ſimul cum Concilio Univerſali, vel ſaltem cum particulari. Secundò, ſine Concilio Univerſali, & particulari, ſed cum Conſiliariis, Doctoribus, & Eminentiſſimis Cardinalibus. Tertiò, ſi ſumatur ipſe ſolus, intendens tamen totam docere Eccleſiam circa fidem, & mores. Quoad primum omnes Catholici conveniunt Sũmum Pontificem nõ poſſe errare, quando definit cum Concilio Univerſali; & ſolùm id negatur ab Hæreticis, cum quibus hic modo non diſputamus; ſed id, tanquam certum, & infallibile ſupponimus.

2. Undè noſtra Quæſtio hìc modo tractanda eſt; Utrum Summus Pontifex, quando definit ex Cathedra etiam extra Concilium Univerſale, habeat authoritatem infallibilem, ita ut non poſſit definire falſum; aut errare. Id per ſequentes præſtabimus Sectiones.

SECTIO I.

Summus Pontifex errare non poteſt definiendo pro Cathedra, etiam extra Concilium.

3. HÆC reſolutio eſt omnino certiſſima; quam ferè omnes DD. Catholici ſequuntur. Ita D. Thom. 2. 2. q. 1. ar. 10. Waldenſis lib. 2. de doctrina Fidei c. 47. Turrecremata, Driedo, Cajet. Soto, Cano, & alii, quos refert, & ſequitur Bellarm. de Roman. Pontifice lib. 4. cap. 3. & ferè omnes Canoniſtæ, ac Theologi; eſtque doctrina Sanctorum Patrum apud citatos; & noviſſimè Eminentiſſimus, ac Sapientiſſimus Card. de Aguirre in ſuo verè aureo, & eruditiſſimo Tractatu de Defenſione Cathedræ Divi Petri per totum. Ita etiam Doctores Galliæ, Bail in Summa Conciliorum tract. de Triplici Verbo Dei. Nauclerus in ſuo opere de Monarchia pag. 4. lib. 8. cap. 6. Andræas Dualius tract. de Romano Pontifice par. 2. tit. de Infallibilitate; Iſambertus tract. de Judice Controverſiar. Theoph. Raynadus in opuſculo inſcripto αὐτὸς ἔφα Gibalin. lib. 5. de Jure Canonico

Digitized by Google

nonico cap. 3. §. 15. in editione non vitiata. Ita etiam alii Doctores Pariſienſes infra allegandi. Probatur 1. ex Sacra Scriptura Lucæ 22. v. 32. ubi Dominus ait: Simon, Simon: *Ecce Satanas expetivit vos, ut cribaret, ſicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* In quo loco obſervandus eſt modus loquendi Chriſti: Satanas expetivit vos, & non te: Ego rogavi pro te, & non pro vobis: ut non deficiat fides tua; non vero, ut non deficiat fides veſtra; Tu aliquando converſus confirmabis; & non, vos aliquando converſi confirmabitis. Per terminum. *Vos*. Significavit alias Eccleſias; & Sedes particulares, quæ certè aliquando defecerunt in fide; ut infra videbimus, & fuerunt correctæ, & confirmatæ à Sede Apoſtolica Romana Divi Petri: Per terminum, *Te*, *Tua*. *Converſus*, ſignificavit Eccleſiam Petri; quæ nunquam defecit in fide; & non fuit opus corrigi, & confirmari ab aliis Eccleſiis: ſed aliæ Eccleſiæ indiguere à Sede Petri in fide confirmari; ut infra videbimus: per *vos*, membra, per *te*, caput: obtinuit Chriſtus, ut caput ſemper eſſet ſanum, permiſit aliquando membra languere.

4. Hic eſt germanus, & literalis hujus Sacræ Scripturæ ſenſus, juxta Sanctorum Patrum expoſitiones: ita hunc Textum intellexit S. Lucius Papa, & Martyr, qui regnavit in Eccleſia anno Chriſti 255. in Epiſtola Decretali ad Epiſcopos Galliæ, & Hiſpaniæ, ibi. *Hæc Sancta, & Apoſtolica Mater omnium Eccleſiarum, Chriſti Eccleſia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis, nunquam errare, probatur; nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit, ſed ut in exordio normam fidei Apoſtolicæ percepit ab Autboribus ſuis Apoſtolorum Chriſti principibus illibata fine tenus manet, ſecundùm ipſius Domini Salvatoris divinam pollicitationem; qui diſcipulorum ſuorum principi in ſuis fatus eſt Euangeliis; Petre*, inquiens, *ecce Satanas expetivit, ut cribraret vos, ſicut, qui cribrat triticum: ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*; & infra ſubdit de eodem Salvatore: *Fidem Beati Petri non defecturam promiſit, & confirmare fratres ſuos admonuit, quòd Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper, cunctis eſt cognitum; quorum & puſillitas mea, licet impar, & minima, pro ſuſcepto tamen divina dignatione miniſterio pediſſequa cupit exiſtere.*

5. Idem affert S. Felix Papa, & Martyr, qui Pontificatum geſſit circa annum Domini 270. in Epiſtol. 3. ad Benignum Epiſcopum, ſic ait. *Ut in exordio normam fidei Chriſtianæ percepit ab autboribus ſuis Apoſtolorum Chriſti principibus illibata manet juxta illud: Ego rogavi pro te &c.* Id ipſum luculentius habetur in Epiſtola Sancti Marci Papæ ad S. Athanaſium, & ad univerſos Ægypti Epiſcopos ſcripta anno Domini 336. & eſt inter acta Concilii Nicæni I. Item S. Leo Papa, dictus Magnus ſerm. 3. de ejus aſſumpt. ubi ſic ait. *Specialis cura Petri à Domino ſuſcipitur, & pro fide Petri propriè ſupplicatur, tanquam altioris ſtatus certior ſit futurus, ſi mens principis victa non fuerit: in Petro ergo omnium fortitudo munitur; & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis cæteris conferatur.* Et quod dictum eſt de Petro, intelligatur etiam de ejus Succeſſore Romano Pontifice, id præmiſerat ſerm. 1. de eadem ſua Aſſumpt. ibi. *Ut in perſona humilitatis meæ ille intelligatur, ille bonoretur, in quo & omnium paſtorum ſolicitudo cum commendatarum ſibi ovium cuſtodia perſeverat, & cujus etiam dignitas in indigno hærede non deficit: cùm ergo cohortationes noſtras auribus veſtræ ſanctitatis adhibemus, ipſum vobis, cujus vice fungimur, loqui credite; quia & illius vos affectu monemus, & non aliud vobis, quàm quod docuit, prædicamus.* Ubi nota in Romano Pontifice loquente ex Cathedra eandem Petri prædicari fidem; de qua Chriſtus æterna veritas dicit, quòd nunquam deficiet: unde infertur, Pontificis ex cathedra definientis fides, eſt fides Petri: ſed de fide eſt, quod Fides Petri non deficiet: ergo bona eſt illatio, quod de fide

ſit

ſit fidem Pontificis ex cathedra definientis nunquam defecturam.

6. Sanctus Gregorius Magnus lib. 3. epiſt. 33. loquitur ita ad Reginam Theodelindam: *Cùm itaque integritatem noſtram ex aperta mea traditione, ſeu confeſſione cognoſcitis, dignum eſt, ut Eccleſia Beati Petri Apoſtolorum Principis, nullum ulterius ſcrupulum dubietatis habeatis; ſed in vera fide perſiſtite, & vitam veſtram in petra Eccleſiæ hoc eſt in Confeſſione Beati Petri Apoſtoli ſolidate.* Dum removet omnem rationem dubitandi, admovet omnem infallibilitatẽ definiendi. Suam declarat eſſe Petri confeſſionem; ut Romanæ confeſſionis, ſeu definitionis prodat firmitatem: ut fides, quæ extra Petri petram rueret, firmiter in hac petra ſolidetur. Idem lib. 4. ad Imperatorem Mauritium epiſt. 32. ibi. *Cunctis ergo Euangelium ſcientibus liquet, quod voce Dominica Sancto, & omnium Apoſtolorum Principi Apoſtolo totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt: ipſi quippè dicitur; Petre amas me? Paſce oves meas. Ipſi dicitur: Ecce Satanas expetiit cribrare vos, ſicut triticum; & ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos: ipſi dicitur; Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Solvendi tribuitur cura ei totius Eccleſiæ, & Principatus committitur &c.* Et lib. 6. Epiſt. 37. ad Eulogium, ibi. *Quis neſciat Sanctam Eccleſiam in Apoſtolorum Principis ſoliditate firmatam? Cui dictum eſt: ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & rurſum: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Itaque infert Eccleſiam Romanam Petri nequaquam eſſe obnoxiã errori, quia ſolidæ Petri à Chriſto promiſſæ nititur firmitati.

7. Idem affert Sanctus Agatho Papa in Epiſt. ad Conſtantinum Pogonatum Imperatorem; quæ Epiſtola eſt quidem graviſſimæ authoritatis; utpotè lecta in Sexta Synodo Generali, & poſtea ab omnibus PP. approbata actione 8. & ita ait. *Hæc eſt veræ fidei regula, quam & in proſperis, & in adverſis vivaciter tenuit Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quæ per Dei gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur, nec hæreticis novitatibus unquam depravata ſuccubuit: quia dictùm eſt Petro, Simon, Simon, Ecce Satanas &c. Ego autem rogavi pro te &c. Hic Dominus fidem Petri nunquam defecturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit: quòd Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper cunctis eſt agnitum.* In quibus verbis ex infallibili Chriſti promiſſione agnovit infallibilem Pontificum veritatem.

8. Sanctus Nicolaus I. in Epiſt. ad Michaelem, ibi. *Privilegia iſtius Sedis perpetua ſunt divinitus radicata, atque plantata impingi poſſunt, transferri non poſſunt: trahi poſſunt; evelli non poſſunt; quæ ante Imperium noſtrum fuerunt, permanent, Deo gratias, hactenus illibata, manebuntque poſt vos, & quouſque Chriſtianum nomen prædicatum fuerit, illa ſubſiſtere non ceſſabunt:* & infra. *Nam & inter cætera is, per quem nobis præcipuè iſta ſunt privilegia collata. Tu aliquando converſus, audivit à Domino, Confirma fratres tuos.* Idem Epiſt. 7. ita habet: *Denique in univerſalibus Synodis, quid ratum, vel quid prorſus acceptum, niſi, quod Sedes B. Petri probavit, ut ipſi ſcitis.* Sicut è contrario, quod ipſa ſola reprobavit, hoc ſolummodò conſtat hactenus reprobatum.

9. Idem intonat S. Leo IX. in Epiſt. ad Petrum Antiochenum, ibi. *Nimirum ſolus eſt, pro quo, ne deficeret fides ejus, Dominus ac Salvator aſſeruit ſe rogaſſe dicens, Rogavi pro te &c. quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quòd hactenus fides Petri non defecerit, nec defectura credatur in throno illius:* quomodo ergo perſeveraſſe et verũ, ſi definire poſſet falſum: Si fuit Chriſti efficax oratio, quo pacto erit in Petri throno fallibilis definitio? Idem Leo IX. Epiſt. 4. *Non lateat vos, nõ debere præter ſententiam Romani Pontificis Univerſale Concilium celebrari, aut Epiſcopos damnari, vel deponi: quia etſi licet examinare; definitivam tamen dare ſententiam abſque conſultu Romani Pontificis; non licet, quod in Sacris Canonibus ſtatutum poteſtis invenire; ſcilicet omnium Eccleſiarum majores, & difficiliores cauſæ per ſanctam Sedem definiendæ*

nieudæ ſunt. Et hic Pontifex obiit anno 1054. ut affert Gallia Vindicata Diſſert.3.§.2.fol.3.in fine.

10. Conſonat Innocentius Papa III. in Epiſt. ad Epiſcopum Arelatenſem, ibi. *Majores Eccleſiæ cauſas, præſertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedē referendas intelligit, qui novit pro eo Dominum exoraſſe, ne deficiat fides ejus*. Quæ verba etiam referuntur in cap. Majores, de Baptiſmo. Idem expreſſit Greg. XII. in Dictato, ibi. *Romana Eccleſia nunquam erravit, nec in perpetuum, Scriptura teſtante, errabit*.

11. Sanctus Petrus Chryſologus in Epiſt. ad Eutychetem, quæ habetur ante Concilium generale Chalcedonenſe, dum reſpiciens ad hunc Sacræ Scripturæ locum, ita ait: *Hortamur te, frater honorabilis, ut iis, quæ à Beatiſſimo Papa Romanæ Civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas: quia Beatus Petrus, qui in propria Sede vivit, præſtat quærentibus veritatem*.

12. Illuſtre ſatis in primis, eſt Divi Bernardi teſtimonium, in Epiſt. 190. ad Innocentium II. Papam ſic ſcribentis: *Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque, & ſcandala emergentia in regno Dei, ea præſertim, quæ in fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, ubi non poteſt fides ſentire defectum. Hæc quippè hujus prærogativa Sedis: cui enim alteri aliquando dictum eſt: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua? ergo quod ſequitur, à Petri Succeſſoribus exigitur: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Id quidem modo neceſſarium tempus eſt, ut veſtrum agnoſcatis, Pater amantiſſimè, principatum, probetis zelum, miniſterium honoretis: in eo planè Petri impletis, cujus tenetis & Sedem, ſi veſtra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, ſi veſtra authoritate conteritis fidei corruptorem*. Omitto innumeros alios Patres ſanctitate præditos, ſapientiâ conſpicuos, tum brevitatis causâ; tum quia in totius progreſſu operis referentur; qui omnes Sacrum illum Textum intelligunt, ut probantem infallibilitatem Romani Pontificis pro Cathedra definientis etiam extra Concilium.

13. Alium ſenſum longè diverſum huic Textui prænarrato apponunt aliqui Doctores Galli, pauci quidem, quia major, & gravior pars Doctorum illius inclytæ, & Chriſtianiſſimæ Nationis, ut infra in ſuo loco videbimus, unanimem Sanctorum Patrum conſenſum ſequuntur. Itaque Sancti PP. ita intelligunt illum Sacrum Textum; ut ex illo probetur Summum Pontificem errare non poſſe circa doctrinam fidei. Illi pauci Pariſienſes dicunt errare poſſe; ergo interpretantur Sacram Scripturam contra ſenſum communem omnium Sanctorum PP. qui ita exponunt illum Sacrum locum; quin ullus ex illis in oppoſitum illum interpretetur: ac proinde non intelligo, quomodo prædicti Pariſienſes, & alii illorum ſequaces evitare poſſint cenſuram latam in generali Concilio Tridentino ſeſſ.4. adverſus eos, qui Sacram Scripturam contra unanimem conſenſum Sanctorum PP. interpretantur: ſic enim habet Concil. loco citato. *Præterea ad coercenda petulantia ingenia, decernit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens contra eum ſenſum, quem tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum ipſam Scripturam Sacram interpretari audeat, etiamſi hujuſmodi interpretationes nullo unquam tempore edendæ forent*.

14. Videamus igitur, quid iſti Adverſarii opponant? tria opponunt. Primum: quòd in Petro intelligatur Eccleſia, non Pontifex ſine illa: unde ſolùm non errabit Pontifex, definiens cum Concilio; maximè verò definiens ſine illo. Secundum, quia tempore, quo Chriſtus id promiſit Petro, non erat Eccleſia Romana; ergo non poterat intelligi promiſſio Eccleſiæ Romanæ. Tertium: ſi priora verba. *Ego rogavi pro te*, intelligebantur pro Petro continuato in Pontifice Romano, ideſt, ut etiam fides non deficeret in Succeſſore Petri; etiam poſteriora verba; *& tu aliquando converſus*; de illius Succeſſoribus intelligeren-

erentur; ac proinde ſinguli Pontifices deberent priùs negare Chriſtum,& converti, ut poſtea fratres in fide confirmarent; quod eſt abſurdum: ergo promiſſio illa ſoli Petro, & non Pontificibus facta eſt.

15. Hæc tamen nullius ſunt momenti: unde quoad primum, in quo ipſi Adverſarii fatentur Pontificem non poſſe errare definiendo cum Concilio; poſſe verò errare definiendo extra Concilium, dico Adverſarios vel debere fateri noſtram ſententiam; vel confiteri in dictis contradictionem: nam in multis Conciliis Univerſalibus ſuo capiti Romano Pontifici unitis definitum eſt Summum Pontificem etiam extra Concilium Univerſale definiendo pro Cathedra non poſſe errare; ut infra maniſeſtiſſimis demonſtrabitur exemplis: ergo vel erravunt illa Concilia, vel non erraruntt. Si primum; jam Adverſarii ſibi contrariantur: nam ſi Concilia definiunt Pontificem etiam extra Concilium, dum definit pro Cathedra, errare non poſſe; erraruntt Concilia, ſi Pontifex poteſt errare. Si ſecundum jam cogentur concedere Summum Pontificem definiendo pro Cathedra, etiam extra Concilium, errare non poſſe; unde vel debent fateri noſtram ſententiam, vel confiteri ſuam implicantiam. Deinde manifeſtè opponuntur communi ſenſui Sanctorum Patrum,qui bene advertunt Chriſtum non dixiſſe, Rogavi pro vobis, ut non deficiat fides veſtra; Sed rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & loqui Chriſtum Petro, ut diſtincto ab Apoſtolis, & reliquis fidelibus, ut clariſſimè demonſtraret; Solam Petri Sedem nunquam in vera fidei doctrina defecturam, ſed cœteros emendaturam, ac confirmaturam; nec futurum, ut à cœteris egeat emendari, ac confirmari: propterea non dixit: vos converſi confirmabitis Petrum; ſed tu, Petre, converſus confirmabis fratres, ideſt, fideles omnes; tu eris Regula cœterorum; cœteri non erunt Regula tui.

16. Quoad ſecundum frivola eſt Adverſariorum cogitatio: quia Chriſtus ſolum ibi conſiderabat Cathedram Petri ſive hæc collocaretur Antiochiæ, ut olim ad breve tempus, ſive Romæ, ut nunc eſt collocata: conſiderabat juriſdictionis ſceptrum, non loci confinium. Quoad tertium, nomen, converſus, in duplici poteſt ſumi ſignificatu. Primò, ut idem ſignificet; atque emendatus; ſeu à cúlpa reſurgens. Secundò, ut idem ſignificet, atque applicatus, ſeu intendens: ſic accipitur in eodem cap. v. 61. ubi dicitur. *Converſus Dominus reſpexit Petrum.* Juxta primum ſignificatum ſupponit propriam, & perſonalem culpam, quæ clauditur in perſona peccante, & non tranſit ad Succeſſorem. Juxta ſecundum reſpicit Paſtoralem curam, quæ tranſit in Succeſſorem, qui in eandem ſuccedit dignitatem, ac Paſtoralem juriſdictionem.

17. Probatur 2. ex alio loco Sacræ Scripturæ Matth. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* In quo Textu juxta unanimem Sanctorum PP. interpretationẽ infra ponendam, tria dicuntur de Eccleſia Petri, quæ eſt Romana. Primum, illam eſſe petram firmiſſimam. Secundum, illam eſſe firmamentum, ſeu fundamentum. Tertium, contra illam Inferi portas, ideſt, diabolicas hæreſes nunquam prævalituras. Si igitur hæc Petri Cathedra circumferatur omni vento doctrinæ pravæ, quomodo erit immobilis petra? Si fragile ſit, & inſtabile ſaxum, quomodo dicetur firmiſſimum fundamentum? Si Petri Sedes hæreticali ſit obnoxia errori; diabolicæque ſubjecta pravitati; quomodo Inferi poteſtas non prævalebit adverſus eam? Vel ergo verba Chriſti ſunt falſa; vel noſtra doctrina eſt vera. Dicere verba Dei eſſe falſa, enormis eſt blaſphemia; ergo non poſſe unquam errare Sedem Romanam Petri, eſt certiſſima veritas.

18. Ex prædicta Sacra Scriptura juxta verum, & literalem ſenſum ejus, probari infallibilitatem Petri, & illius Succeſſorum Romanorum Pontificum in definiendo pro Cathedra etiam extra Concilium, interpretantur unanimiter PP. Origines in prædictum locum, ibi. *Manifeſtum eſt, & ſi non exprimatur, quòd*

nec

nec adverſus Petrum, nec adverſus Eccleſiam, portæ prævalere poterunt inferorum: nam ſi prævalerent adverſus Petram, in qua Eccleſia fundata eſt, contra Eccleſiam etiam prævalerent. Sanctus Hieronymus in Epiſtola ad Damaſum Papam conſulens illum circa doctrinam de Hypoſtaſi Divina, cùm præmiſiſſet illa verba noſtri Textus prænarrati: *Tu es Petrus &c.* ita ait: *Obſecro, ut mihi literis tuis, ſive tacendarum, ſive dicendarum trium hypoſtaſum detur authoritas: non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi jubebis.* Agnoſcit in Damaſo ex verbis Chriſti infallibilem definiendi authoritatem, illum etiam extra Concilium conſulendo; qui ſuæ non fidebat eminenti doctrinæ, Apoſtolicæ Damaſi acquieſcit authoritati: quia poteſt errare in docendo etiam magis peritus Doctor: non poteſt errare in definiendo etiam minus doctus Papa.

19. Sanctus Cyrillus apud D. Tho. in Catena in hunc locum Matth. 16. ibi: *Secundum hanc promiſſionem Eccleſia Apoſtolica Petri ab omni ſeductione, & hæretica circumventione manet immaculata &c.* Si ergo Apoſtolica Sedes definiret aliquid falſum, ut poſſe definire, & de facto definiſſe contendunt perperam Adverſarii, Eccleſia Dei ſeducta, circumventione hæreticali affecta, & maculata eſſet. Ergo vel non errarunt iſti Sancti à Deo illuminati, vel errant illi Adverſarii à propria præſumptione ſeducti. Theodoretus in Epiſtola ad Renatum Presbyterum, ibi. *Tenet ſancta iſta Sedes gubernacula regendarum cunctis orbis Eccleſiarum; cùm propter alia; tum quia ſemper hæretici fœtoris expers permanſit ſemper.*

20. Sanctus Auguſtinus in Pſalmo contra partem Donati ſic ait: *Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Sede Petri; in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſerit, videte: ipſa eſt petra, quàm non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Lumen Eccleſiæ Auguſtinus in ſola Petri Sede agnoſcit ſtabilem firmitatem: & ideo monet, ut reſpiciantur Petri Succeſſores; in quorum continuata ſucceſſione firma Petri ſemper fides permanſit. Et ſermone 28. de Sanctis, ſic dicit. *Solus Petrus inter Apoſtolos meruit audire: Amen dico tibi; quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Dignus certè, qui ædificandis in Domo Dei populis lapis eſſet ad firmamentum, columna ad ſuſtentaculum, clavis ad regnum.* Nota. *Solus Petrus.* Sola Petri Sedes firma, quia ſola illa, petra, columna, cæterarumque ſuſtentaculum; Si Deus non ſtabiliret fundamentum, quomodo promitteret permanſurum ædificium? Sanctus Gelaſius Papa in Epiſtola ad Anaſtaſium Imperatorem, ibi. *Hoc eſt, quod Apoſtolica Sedes magnoperè cavet: ut quoniam mundi radix eſt Apoſtoli glorioſa confeſſio, nullâ rimâ pravitatis, nullâ prorſus contagione maculatur: nam ſi (quod Deus avertat, & quod fieri non poſſe confidimus) tale aliquid proveniret, undè cuiquam reſiſtere auderemus errori?* Nota Pontificii oraculi irrefragabile argumẽtum. Demus per impoſſibile, quod Sedes Romana Petri, ſeu, quod idem eſt, Romanus Pontifex errorem doceret Eccleſiam, & ſic erraret; à quo emendaretur Eccleſia Romana? Dices: à Concilio. Demus deinde errare Concilium: à quo emendabitur? Dices non poſſe errare Concilium. Hoc ergo tibi dico non poſſe errare Eccleſiam Romanam Petri; quia hoc ex Sacra Scriptura, & PP. habemus; de Concilio non habemus, quãdo ei authoritas Romanæ non aſſiſtit Eccleſiæ: imò multa etiam Univerſalia Concilia in multos inciderunt errores, quos Eccleſia Romana emendavit, & correxit; ut ex jam ſupradictis manifeſtè conſtat; & ex infra dicendis manifeſtiùs conſtabit. Sic etiam intelligunt hunc Textum pro infallibilitate Romani Pontificis in definiendo res fidei, & morum reliqui PP. Sanctus Anacletus Papa, & Martyr Epiſt. 1. S. Evariſtus Papa, & Martyr, Epiſtola ad Epiſcopos Africanos. S. Zephyrinus Papa, & Martyr Epiſt. 1. S. Lucius Papa, & Martyr ad Epiſcopos Galliæ, S. Leo Papa Epiſt. 89. & ſerm. 11. de Paſſione Domini, & ſermone 2. & 2. in Natali Apoſtolorum Petri, & Pauli. S. Damaſus Epiſt. ad Archiepiſc. Stephanum, & ad tria Concilia Africana. S. Agatho Papa in Epiſtola ad Imperatorem Conſtantinum Pogona-

tum, S.Damaſcenus orat.de Transfixione Domini, & innumeri alii, quos omitto brevitatis gratiâ, & inferiùs etiam plures alii referentur; qui aſſerunt vix inveniri poſſe aliquam in Sacris literis, & Patrum teſtimoniis veritatem priùs expreſſam, quàm iſtam, atque adeo hanc eſſe veluti certam ſecundum fidem Catholicam.

21. Dices. Epiſtolæ primorum Pontificum, ſcilicet, Clementis, Anacleti, Evariſti, Alexandri, Pii, Aniceti, Victoris, Zephyrini, Caliſti, Marcelli, & aliorum apud Bellar.de Summ.Pont.l.2. cap.14. & apud Baronium ad ann. 308. num.23. lit.C. per Magdeburgenſes, illorumque partiarios tanquam apocryphæ reputantur: imò & illas multi Authores Catholici ſuſpectas habent; eo quod videantur nec tempori, nec perſonis etiam cohærere; & deinde multis apparent erroribus reſperſæ: ergo nullam obtinent authoritatem. Nihilominus hoc effugium nihil Adverſariis prodeſſe valet: licet enim fateamur decurſu temporis illis aliquot errores obrepere potuiſſe, culpa tranſcribentium, & nomen unius pro alterius nomine ſæpius uſurpari, vel unum pro alio tempore incautè ſumi facilè poterat. Cœterum hæc obrepentia vitia non enervant authoritatem, veritatemque in illis Epiſtolis repertam, quo ad eam videlicet partem, in qua Sancti Patres antiquiores Eccleſiæ illas recipiunt; & ex illis ſapientiſſimus Iſidorus, & etiam Concilium Veſenſe Canones deſumpſere, ut videre eſt apud Bellarm. citatum; An quia multi perduelles Euangelium corrupere, idcircò veritas Euangelica in ſenſu Eccleſiæ recepta authoritatem amittet?

22. Aliqui ex Adverſariis dicunt ex hoc teſtimonio Sacræ paginæ ſolum convinci infallibilitatem in definiendo ſoli Petro, non autem ejus Succeſſoribus fuiſſe conceſſam. Allucinantur tamen. Primò, quia Sanctorum PP. teſtimonia, & unanimis illorum conſenſus, non ſolum de Petro, ſed de ejus Succeſſoribus clamant: verba autem Scripturæ Sacræ debent intelligi ſecundùm ſenſum Sanctorum PP. ut ex citato conſtat Tridentino. Secundò, quia Chriſtus loquebatur de ſua Eccleſia in perpetuum duratura, & non finienda intra ſolos 25. annos; in quibus tantum Petrus Eccleſiam gubernavit; quia ſic colligitur clarè ex Matth.28. ibi. *Ecce ego vobiſcum ſum, uſque ad conſumationem ſæculi*; & conſtat ex aliis Sacræ Scripturæ locis Regnum Chriſti æternum eſſe juxta illud. Luc.1. *Et regni ejus non erit finis*; ideſt, Eccleſia militans durante hoc mundo ſemper erit, durabitque Sacerdotium; & triumphans poſt finitum hunc mundum, in perpetuum ſemper eſt permanſura; quomodo ergo permanebit, quin portæ prævaleant Inferorum; ſi in Petri Succeſſoribus non permaneat infallibilis authoritas ad definiendum verum, & reprobandum falſum? Certè, ſi hæc in Petri Succeſſoribus non ſit infallibilitas, poterit errare; & tunc prævalebit iniquitas Inferorum: ergo neceſſariò verba Chriſti non ſolum Diuum Petrum, ſed etiam illius Succeſſores Romanos Pontifices comprehendunt; aliter falſa eſſent verba Chriſti, quod dicere eſt blaſphemum.

SECTIO II.

Demonſtratur eadem veritas ex aliis locis Sacræ Scripturæ.

23. NOn poſſe errare Summum Pontificem definiendo pro Cathedra etiam extra Concilium ſatis apertè demonſtratur 1. ex illis verbis Chriſti apud Euangeliſtam Joann. 22. *Paſce oves meas*. Ut bene hoc intelligas, adverte duplex poſſe conſiderari pabulum. Primum, eſt materiale. Secundum, ſpirituale. De materiali hîc non agendum: quia locus hic præcipuè de ſpirituali pabulo à Sanctis Patribus intelligitur. Spirituale conſiſtit etiam in vera doctrina circa dogmata veræ fidei, & mores: unde Chriſtus Dominus conſtituit Petrum Univerſalem omnium ſuarum ovium Paſtorem, ut illas omnes ſalutari doctrinæ pabulo nutriat, & gubernet. Hanc igitur curam dirigendi omnes omninò ſpirituales oves, ideſt, omnes Chriſti fideles Chriſtus ſoli Petro,

tro, ut Supremo omnium Paſtori commiſit: itaut licèt plures alios Chriſtus particulares conſtituerit Paſtores; non tamen plures ordinarios ſupremos Paſtores conſtituit, ſed unum tantum ſupremum Paſtorum omnium Paſtorem deſignavit Petrum; qui cæteros etiam particulares paſtores dirigeret; totumque Chriſti ovile paſceret doctrinæ pabulo, ac fidei Catholicæ documento: unum eſt ovile, unus Paſtor eſſe debuerat. Ita intelligunt hunc Textum Sancti Patres omnes; ex quibus tantùm hic aliquos appono; cæteris infra ponendis, & multis jam ſupra commemoratis. Divus Chryſoſtomus in hunc locum, ita ait. *Aliis omiſſis, Petrum dumtaxat affatur; fratrum ei curam commiſit.* Et infra. *Nam cum magna Dominus Petro communicaſſet, orbis terrarum curam demandaſſet &c.* S. Leo ſerm. 3. de ſua Aſſumpt. ibi. *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur, ut quamvis in Populo Dei multi Sacerdotes, multique Paſtores, omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus: magnum, & mirabile, dilectiſſimi, huic Viro conſortium potentiæ ſuæ tribuit divina dignatio: & ſi quid cum eo commune cæteris voluit eſſe principibus, nunquam niſi per ipſum dedit, quidquid aliis non negavit.* Idem affert D. Epiphanius in Ancorato, Theophilac. in hunc locum, D. Bernardus lib. 2. de Conſiderat. ad Eugenium Papam III.

24. Ex prædicto Textu eruunt præfati Patres tria. Primum, Sanctum Petrum, & quemlibet ejus Succeſſorem Romanum Pontificem omnium omninò fidelium eſſe ſupremum Paſtorem, ſupremum Doctorem, & Magiſtrum. Secundum, regere Petrum eos, quos principaliter regit & Chriſtus: & conſequenter, cum nulli ſint, ſive ſint diſperſi, ſive ſint congregati in Concilio, qui à Chriſto non regantur; ſic etiam nulli ſunt, ſive in toto orbe diſperſi, ſive in Concilio congregati, quos non regat & Petrus, ejuſque Succeſſor Pontifex Romanus. Tertium, Chriſtum Dominum nulli in terris ſpiritualem conferre juriſdictionem, niſi per Petrum, vel ejus Succeſſorem Pontificem Romanum ſaltem in hoc ſenſu, quatenus nulli in terris collata eſt ſpiritualis juriſdictio, quæ à Petro, aut ejus ſucceſſoribus non dependeat ratione ſubordinationis ad illos, ibi. *Nunquam niſi per ipſum dedit, quidquid aliis non negavit.* Hæc igitur tria non poſſunt negari, quia illa continentur in illa Sacra Scriptura juxta communem Patrum expoſitionem; ſecundùm quem ſenſum verba Sacræ Scripturæ debent ſumi, ut decidit Tridentinum in ſupra citato loco contra hæreticos Sacram Scripturam perperam interpretantes.

25. Ex hac ergo Sacra Scriptura ſecundum verum ſenſum à Sanctis PP. exhibitum colligitur evidentiſſimè Papam pro Cathedra definientem etiam extra Concilium non poſſe errare; proindeque ejus definitionem ut ſic non poſſe negari, ut infallibilem, ſalva veritate doctrinæ Catholicæ. Probatur ſic. Conſtat de fide Petrum, & ejus Succeſſorem Pontificem Romanum eſſe ſupremum Eccleſiæ Paſtorem. Sic enim intelligunt PP. locum illum Sacræ Scripturæ, & patet ex Trid. ſeſs. 7. Can. 3. ibi. *Si quis dixerit in Eccleſia Romana, quæ omnium Eccleſiarum Mater eſt, & Magiſtra*, & ſeſs. 14. cap. 7. *Nec profectò Eccleſia Romana aliarum omnium Mater, & Magiſtra*; & ſeſs. 25. de Delectu Ciborũ. Item ex Concil. Lateranen. ſub Leone X. contra errores Lutheri, ibi. *Intendens cauſam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Matris omnium Eccleſiarum, & fidei Magiſtræ.* Et infra. *Cum ſint contra omnem charitatem, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Matris omnium fidelium, & Magiſtræ fidei reverentiam.* Et ex Concil. Florentino ſub Eugenio IV. in literis unionis, ibi. *Item definimus Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum Orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum Succeſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totius Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere.* Conſtat etiam de fide, ſupremum Univerſalis Eccleſiæ Paſtorem ſumi etiã ſecundum pabulum doctrinæ ſalutaris

Digitized by Google

repugnantis cuilibet errori; ergo Pontifex in definiendo fidei dogmata non poteſt errare: ſi negatur hæc conſequentia; concedetur oppoſita, poſſe, ſcilicet, errare: & conſequenter juxta Chriſti providentiam debere neceſſariò dari in terra alium ſuperiorem Paſtorem, qui pabulo doctrinæ Catholicæ corrigat, emendetque errorem Summi Pontificis: ergo Summus Pontifex, utpotè ſupponens jam alium ſuperiorem Paſtorem, non erit ſupremus Paſtor: quæ propoſitio directè opponitur illi propoſitioni de fide: Petrus, & ejus Succeſſor Romanus eſt in terris ſupremus totius Eccleſiæ Paſtor: vide autem, qualis ſit propoſitio, quæ directè opponitur propoſitioni de fide? Certè iſta propoſitio; *Deus non eſt Trinus*, eſt hæretica: quia directè opponitur propoſitioni de fide; *Deus eſt Trinus*; iſta propoſitio: *Chriſtus non eſt Deus*, eſt hæretica; quia directè opponitur propoſitioni de fide: *Chriſtus eſt Deus*: ergo &c. Loquor de Pontifice, ut eſt Magiſter Univerſalis Eccleſiæ, quo pacto ſumitur; quando definit pro Cathedra; & in hoc dico non poſſe errare; quidquid ſit, ſi ſumatur, ut Doctor privatus, & non in ordine ad docendam Eccleſiam, ſed ad ſuam privatam exiſtimationem: juxta quam ſi erret in aliquo articulo fidei claro, & indubitato (quod fortaſsè nunquam eveniet) & hoc conſtet juxta inferiùs dicenda; tunc jam non erit caput Eccleſiæ; quia ipſe ſe in hoc ab Eccleſia ſeparavit; de quo infra diſceptabitur.

26. Dices hunc diſcurſum eſſe quidem verum; ſed niti in ſuppoſitione falſa; nam falsò ſupponitur Pontificem extra Concilium Univerſale habere rationem Magiſtri Univerſalis reſpectu Eccleſiæ. Hæc tamen objectio eſt omninò oppoſita communi ſenſui Eccleſiæ, & Catholicæ fidei definitæ in Concilio Trid. ſeſs. 7. de Baptiſmo Canone 3. Ubi dicit Eccleſiam Romanam, ſeu quod idem eſt, Pontificem Romanum, eſſe omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram abſolutè, & non determinatè in ſolo Concilio Univerſali; idem dicit ſeſs. 14. cap. 3. de Sacramento Extremæ Unctionis ſeſs. 22. de Sacrificio Miſſæ c. 8. & ſeſs. 25. de Jejuniis, & diebus feſtis, & conſtat manifeſtè ex dictis Diſcept. 1. & ſequentibus Sectionibus. Item conſtat de fide ex jam dictis Summum Pontificem Romanum, etiã dum eſt extra Concilium, omnium fidelium ſupremum eſſe Paſtorem: conſtat item de fide ſupremum Paſtorem includere, eſſe ſupremum Magiſtrum, & Doctorem, ut ſic poſſit paſcere fideles ſalutari veræ doctrinæ pabulo, docendo per totam Eccleſiam Catholicam fidem, & damnando hæreſes judicio, & definitione omnino irreformabili; aliter, ſi ab altero ſuperiore ſupra ſe eſſet reformandus; jam ipſe non foret in terris ſupremus Reformator, & Doctor; quod, ut dictum eſt, repugnat ſupremo Magiſtro, & ſupremo veritatis Doctori: ergo frivolum eſt dicere, requiri ſemper Concilium, ut Summus Pontifex definiat veritates de fide in tota Eccleſia credendas. Nec Adverſarii ſaltem Catholici hoc negant; ſed tantùm contendunt eſſe Eccleſiæ infallibilem Magiſtrum, prout eſt cum Concilio, vel cum majori parte Eccleſiæ; ſed utrum is præfatæ definitionis ſit ſenſus, ipſi viderint.

27. Ut tamen hæc clariùs intelligas, adverte tribus modis poſſe requiri Concilium, ut Pontifex infallibiliter definiat. Primo modo; ſi requiratur Concilium tanquam pars eſſentialis; itaut nec ſolum Concilium ſine Papa; nec ſolus Papa ſine Concilio unquam definiat; ipſaque definitio tota ſit à Concilio, & tota ſit à Pontifice; ſicut quando Deus operatur cum cauſis ſecundis, tota actio eſt à cauſa prima; aliter non eſſet actio Creatoris, & tota eſt à cauſa ſecunda creata; aliter non eſſet actio creaturæ. Secundò, ſi ita requiratur Concilium, ut ſit conditio, ſine qua Pontifex definire non poſſit; ſolus tamen Pontifex definiat, & non Concilium: ſicut voluntas non poteſt amare bonum, quin intellectus illud proponat, ut amandum, ſola tamen voluntas amet, & non intellectus. Tertiò, ſi Concilium ita requiratur, neque ut pars eſſentialis definiens indiviſibiliter cum Papa, neque ut conditio ſine qna non; ſed ſolùm ut cum Concilio Pontifex definiat modo pru-

Digitized by Google

prudenti; itaut imprudenter ſe habeat, quo ad modum, definiendo extra Concilium, definitio tamen quoad ſubſtantiam ipſam rei ſit omninò infallibilis.

28. His ergo ſuppoſitis; certum eſt primò. Si Chriſtus ſolùm tribuiſſet Petro,& illius Succeſſoribus Romanis Pontificibus poteſtatem definiendi tantùm primo, & ſecundo modo; ſi tamen ille aliter definiret; poſſet quidem errare: quia ut ſupponitur; definiret ultra terminos à Chriſto præſcriptos. Si tamen definiſſet non ſervato illo modo prudenti, imprudens quidem foret; definitio tamen valeret; quia modus, cum non ſit de forma ſubſtantiali, nec de conditione logicè neceſſaria, non facit actum nullum. Certum eſt ſecundò. Si Chriſtus tribuiſſet Petro, ejuſque Succeſſoribus Romanis Pontificibus poteſtatem definiendi infallibiliter dogmata fidei etiam extra Concilium,tunc non poſſe errare etiam extra Concilium definiendo. Hæc ſunt certa apud nos, & Adverſarios: quali autem ex his modis definiendi poteſtatem Chriſtus de facto conceſſerit, non poteſt ſciri, niſi ex ſcriptura, & ex PP. Scripturam illam interpretantibus. Adverſarii nullam aſſignant Sacram Scripturam, niſi detorquendo illius ſenſum propria præſumptione ſine Sanctorum Patrum præſidio: nos verò aſſignamus plurimos Sacræ Scripturæ Textus unanimi Sanctorum Patrum conſenſu expoſitos, uſum aſſiduum ab exordio naſcentis Eccleſiæ, perpetuam traditionem; qua ſemper Pontifices Romani definierunt dogmata fidei abſque Concilio generali; ſed extra Concilium etiam facto prius maturo examine; ut infra manifeſtiſſimè demonſtrabitur: ergo vel dicendum eſt à principio Eccleſiæ uſque ad præſens tempus totam Eccleſiam errare, quod eſt hæreticum, & contra verba Chriſti; *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*; vel dicendam eſt ipſos Adverſarios prorſus errare.

29. Demonſtratur 2. hæc veritas ex Deuteronom. cap. 17. ubi Deus conſtituit Summum Sacerdotem Supremum, & ultimum Judicem in cauſis fidei, & religionis: cujus ultimæ definitioni cæteri acquieſcerent ſub pœna mortis, ibi. *Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex-decreto Judicis, morietur*. De quo videri poteſt noſter Cornelius à Lapide ſuper hunc locum: ubi ex Sanctis PP. invenies pro hac veritate veram hujuſce Textus expoſitionem. Ex quo deſumitur argumentum efficaciſſimum pro infallibilitate oraculi Pontificii. Certum enim eſt teſtamentum vetus eſſe quandam umbram, & figuram Teſtamenti novi; ut ait D. Paulus de Hebræis. *Omnia in figura contingebant illis*. Certum etiam eſt Deum plus amare Eccleſiam, quàm Synagogam; hanc enim reprobavit; Eccleſiam verò ſponſam novam elegit. Si ergo in Synagoga, quæ erat umbra quædam, & figura Sanctæ Eccleſiæ, unum conſtituit Judicem, qui infallibili authoritate cauſas fidei ultimo, & irreformali judicio definiret, cujus ultimæ definitioni omnes ſub pœna mortis parerent, cur in Eccleſia ſua plus dilecta, pluſque duratura, ſimile fidei non poſuiſſet præſidium, Summumque Judicem non conſtituiſſet, qui infallibili authoritate cauſas fidei ultimo, & irreformabili judicio definiret; cujus ultimæ definitioni fideles omnes ſub pœna mortis æternæ obediant; fidemque reverenter adhibeant? aliter melioris eſſet conditionis Synagoga populi reprobati; quàm nova Eccleſia populi electi; hoc etiam argumento pro noſtra doctrina uſus eſt Seraphicus Doctor D. Bonaventura in Breviloquio p.6. cap.13. initio explicationis Regulæ Sancti Franciſci. Ubi ſic ait. *Si partibus diſcordantibus, non eſſet, qui manum poſſet mittere in ambabus, fuiſſet Synagoga fælicior, quàm Eccleſia; quia illa habebat unum Summum Pontificem, qui omnes diſcordias poterat terminare; ut patet ex Deuteronom. 17.* Idem aſſerit Pius II. in Bulla retractationis ſupra à nobis jam citata; ubi ſic ait: *Secundus Paſtor Eccleſiæ Petrus extitit ab ipſo Domino inſtitutus, atque omni poteſtate donatus, quæ ad bene regendas commiſſas oves neceſſaria ducitur: alioqui Chriſtus, qui Sapientia Patris eſt, & omninò ſapienter egit; Eccleſiæ ſuæ haud ſufficienter providiſſet,*

quod

quod eſt nefarium aſſerere. Cui plus exhibuit amoris, non minùs erat habiturus providentiæ.

30. Idem affert Adrianus VI. in Bulla ad Fridericum Saxoniæ Ducem, vbi ſic ait: *Cùm tamen quanto honore habere velit Sacerdotes ſuos, maximè autem Principem Sacerdotum, idem ipſe Dominus in Deuteronomio teſtatus eſt cap.* 17. *&c.* ubi nota duos Summos Pontifices, Pium, & Adrianum; qui dum erant Doctores privati, fuerunt circa Supremum Principatum Petri errore decepti; pòſtquam verò jam Pontifices conſtituti ſunt, & per Bullas ſuas totam Eccleſiam docuere, antiquo mox errore depulſo, Supremum Summi Pontificis ſupra totam Eccleſiam, & Concilium Principatum declaravere: ut ex Suprema poteſtate judicandi conſtet infallibilitas definiendi.

31. Oppones. In Teſtamento veteri erant aſſignati Summo Sacerdoti 70. viri docti in Divina lege, partim Sacerdotes, partim non Sacerdotes, primores tamen; qui emendarent, reformarentque judicium Summi Sacerdotis in rebus ad Deum pertinentibus fortè errantis: quæ congregatio habebat quandam formam Concilii; quod *Sanbedrim* appellabant: Sic ergo in Teſtamento novo debet Concilium reformare definitionem Romani Pontificis fortè errantis in rebus fidei: non enim Deus habet minorem providentiam verſus Eccleſiam, quàm habuit verſus Synagogam. Reſp. hoc argumentum premere Adverſarios: nam licet Synagoga anguſtis Judææ terminis claudebatur; tamen non congregabantur omnes totius Judææ Sacerdotes, ut cum Summo Sacerdote aliquam queſtionem dubiam circa fidem definirent; ſed ſufficiebant illi 70. Summo Sacerdoti aſſiſtentes, ut ille prudenti modo definiret; imò & quando ipſi Sacerdotes inter ſe diſcordarent; ſolo Pontificis ultimo judicio res terminabatur; aliter cauſa maneret interminata: ergo multo magis in Eccleſia toto orbe diſperſa, neceſſarium non erit Concilium generale, quod quidem difficillimè congregatur; ad hoc, ut Summus Pontifex definiat res ad fidem pertinentes, ſatiſque erit conſulere Theologos, quos habet ad manus, Prælatoſque deputatos, & Eminentiſſimos Cardinales, facto maturo examine, adhibitis precibus, invocatoque Spiritus Sancti auxilio; ut ſemper facit, quoties Summus Pontifex aliquam veritatem de fide definit. Maneat igitur ratum ex Sacris literis Pontifici Summo legis Euāgelicæ potiori titulo, quàm veteris legis Pontifici datam fuiſſe à Deo authoritatem infallibilem ad definiendum res fidei etiam extra Concilium.

SECTIO III.

Oſtenditur authoritas infallibilis Romani Pontificis in definiendo, ex traditione Apoſtolica.

32. INfallibilem eſſe in Summo Pontifice authoritatem ad definiendum circa fidem, & mores, ex perpetua traditione à principio naſcentis Eccleſiæ manifeſtiſſimè demonſtratur: ad cujus intelligentiam. Supponendum eſt duplicem eſſe Traditionem. Prima immediatè oritur à Deo. Secunda immediatè oritur ab homine. Prima eſt teſtimonium divinum. Secunda humanum: & ideo prima traditio eſt motiuum fidei divinæ, ſecunda humanæ. Ut autem cognoſcas differentiam inter unam, & alteram traditionem, ad exordium utriuſque traditionis adverte: ſi enim poſt tempus Apoſtolorum principium traditionis reperitur, eſt traditio humana; ſi poſt tempus Apoſtolorum non invenitur principium, eſt traditio divina; hæc traditio, quæ immediatè ortum habuit à Deo, & per tractum ſucceſſiuum pervenit ad nos, cùm verè ſit verbum Dei traditum, non minus eſt credendum de fide, quam ipſum verbum Dei ſcriptum. Ita expreſsè definitum eſt in Tridentino ſeſſ. 4. in Decreto de Canonicis Sripturis, ibi. *Dominus Noſter Jeſus Chriſtus, Dei Filius proprio ore primum promulgavit, deinde per ſuos Apoſtolos, tanquam fontem omnis, & ſalutaris veritatis, & morum diſciplinæ omni creaturæ prædicari juſſit, perſpicienſque hanc veritatem contineri in libris*

bris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditæ ad nos uſque pervenerunt, Orthodoxorum Patrum exempla ſecuta omnes libros, tam veteris, quàm novi Teſtamenti (cum utriuſque unus Deus ſit author) nec non traditiones ipſas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam valore tenus à Chriſto, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſervatas, pari pietatis affectu, ac reverentia ſuſcipit, ac veneratur.

33. Itaque de fide eſt veritates, quæ à tempore Apoſtolorum ad nos uſque ſunt traditæ utpotè à Chriſto, vel à Spiritu Sancto dictatas, licet non ſcriptas de fide eſſe credendas. Probatur 1. ex citato Tridentino; ſecundo ex Patribus infra referendis; ex quibus allego Tertullianum primæ Eccleſiæ valdè vicinum authorem in recepto ab Eccleſia opere de Præſcriptionibus cap.20.ubi ſic ait. *Conſtat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis Matricibus, & Originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam, ſine dubio tenentem, quòd Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto acceperunt.* Deinde D. Auguſt. lib.6. contra Donatiſtas cum S. Cypriano ſic ait. *Quod autem nos admonet, ut ad fontem recurramus, id eſt, Apoſtolicam traditionem, & inde canalem in tempora noſtra dirigamus, optimum eſt, & ſine dubitatione faciendum. Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.* Tertiò denique ratione; quia Verbum Dei non eſt minùs infallibile traditum, quàm ſcriptum: ſed ſcriptum fide divina creditur: ergo etiam traditum.

34 Unde ſi definiendi veritates fidei, ac morum per emanantem à tempore Apoſtolorum traditionem infallibilitas comprobetur; eo ipſo ipſa definiendi infallibilitas de fide eſſe probabitur. Oſtenditur igitur hæc à tempore Apoſtolorum traditio: nam Linus Petri ſucceſſor ſcribens ad Eccleſiam Corinthiorum multa definivit, ut narrat Euſebius antiquiſſimus Author lib.3.hiſtoriarum Anacletus Papa I. qui anno Chriſti 101. Eccleſiam rexit, & aliquos ex Apoſtolis videre potuit, Epiſt. 2. ſe ab Apoſtolo Petro inſtructum, & ordinatum Presbyterum fuiſſe teſtatur, & Epiſt. 1. in principio hanc Papæ infallibilitatem in definiendo veritates fidei, & morum ultimo, & irreformabili judicio declarat, ibi. *Quod ſi difficiliores ortæ fuerint quæſtiones, aut Epiſcoporum, aut majorum judicia, aut majores cauſæ fuerint, ad Sedem Apoſtolicam referantur: quoniam Apoſtoli hoc ſtatuerunt juſſione Salvatoris, ut majores, & difficiliores quæſtiones ſemper ad Sedem referantur Apoſtolicam, ſuper quam Chriſtus univerſam conſtruxit Eccleſiam, dicente ipſo ad Beatum Petrum Apoſtolum: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.* & ſcribens ad Epiſcopos Italiæ, qui circa plurima eum conſuluerant, ſic reſpondet; *Breviter prout Dominus tribuit, & ut à B. Petro Principe Apoſtolorum ſumus inſtructi, à quo & Presbyter ſum ordinatus, ſcribere vobis ſicut petiſtis non denegavimus.* Et infra. *Epiſcoporumque cauſæ & Summorum negotiorum judicia, ſalva Apoſtolicæ Sedis authoritate juſtiſſimè terminantur: hæc ab Apoſtolis, hæc à Sanctis Patribus accepimus.* Tandemque Epiſt. 3. ad omnes fideles, & Epiſcopos; à quibus ipſe conſultus fuerat, ſic reſcribit: *De Primatibus, chariſſimi, ſuper quibus me quidam veſtrum conſuluerunt, & Apoſtolicæ authoritatis, qua licet indigni, Domino diſpenſante, fungimur, decretum poſtulaverunt; aut ſi eſſe deberent; aut non; quantum hactenus de iis à B. Petro Apoſtolo, & à reliquis Apoſtolis, & à B. Clemente noſtro Sancto Prædeceſſore, & Martyre novimus ſtatutum, denegare nobis minimè poſſumus &c.* Et paulò poſt. *Hæc verò Sacroſancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia, non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Salvatore noſtro Primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper univerſas Eccleſias, at totum Chriſtiani populi gregem aſſecuta eſt; ſicut ipſe B. Petro Apoſtolo dixit: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam; & tibi dabo claves.* Et poſtea columna 3. proſequitur, ibi. *Si qua verò cauſæ difficiliores*

inter

inter vos ortæ fuerint, ad hujus Sanctæ Sedis apicem eas, quaſi ad caput referre, ut Apoſtolico terminentur judicio, quia ſic Dominum velle, ab eoque ita conſtitutum eſſe ante dictis teſtimoniis declaratur: hæc verò Apoſtolica Sedes, cardo, & caput, ut prætactum eſt, omnium Eccleſiarum à Domino, & non ab alio eſt conſtituta; & ſicut cardine oſtium regitur, ſic hujus ſanctæ Sedis authoritates omnes Eccleſiæ, Domino diſponente, reguntur.

35. Hæc clariſſima teſtimonia prolata ab uno immediato D. Petri Diſcipulo, ejuſdemque D. Petri Succeſſore; qui majores cauſas, (quales ſunt fidei, Religioniſque) ad Sedem Apoſtolicam pertinere tanquam ad caput ultimo judicio terminandas, idque ex juſſione Dei, Apoſtolorumque traditione teſtatur, ſine novo alio authoritatis teſtimonio ſufficiebant; nihilominus hæc eadem Divinæ traditionis de infallibili Romani Pontificis, Petri Succeſſoris ad definiendas res fidei, morumque veritas ex ſequentibus D. Petri Succeſſoribus evidenter conſtat. Sanctus Evariſtus Papa qui anno 110. Anacleto ſucceſſit; dum ab Africanis Epiſcopis, ut quid ipſi viſum eſſet, aut quid à Beatis Apoſtolis traditum, cuſtoditumque fuiſſet, ſcirent, conſulitur, ita tanquam communis totius Eccleſiæ Magiſter, doctorque reſpondit: *Dilectio veſtra normam ſecuta prudentium ad Sedem Apoſtolicam referre maluit, quaſi ad caput, quid deberet de rebus fidei cuſtodire, potius, quàm uſurpatione præſumere.* Alium Judicem Romano Pontifice Superiorem quærere eſt alieni juris uſurpatio, & propria iniquæ libertatis præſumptio.

36. Sanctus Alexander Papa Evariſti Succeſſor ab anno 119. Epiſt. 1. ad Orthodoxos, ita ſcribit: *Relatum inſuper eſt ad hujus Sanctæ & Apoſtolicæ Sedis apicem, cui ſummarum diſpoſitio cauſarum, & omnium negotia Eccleſiarum ab ipſo Domino tradita ſunt; quaſi ad caput, ipſo dicente Principi Apoſtolorum Petro: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Igitur ſummarum cauſarum diſpoſitionem; quæ potiſſimùm ſunt eæ, quæ fidem, bonoſque mores ſpectant, ex traditione Divina, Sedi Apoſtolicæ, hoc eſt, Romano Pontifici competere clarè teſtatur.

37. Sanctus Xyſtus Papa, & Martyr Alexandri Succeſſor anno Domini 130. Epiſt. 2. ad omnes Epiſcopos ita ſcribit. *Ab hac enim Sancta Sede à Sanctis Apoſtolis tueri, defendi, ac liberari Epiſcopi juſſi ſunt, ut ſicut eorum diſpoſitione (ordinante Domino) primitùs ſunt inſtituti, ſicut hujus Sanctæ Sedis, cujus diſpoſitioni eorum cauſas, & judicia ſervaverunt, protectione, futuris temporibus, ſunt ab omnibus perverſitatibus ſemper liberi.* Ubi vides cauſarum majorum diſpoſitionem, definitionemque, quales etiam fidei, morumque eſſe cenſentur, ſoli Romanæ Sedi proprio ſibi jure depoſci; idque per traditionem à Chriſto Servatore noſtro manare. Idem affirmant Anicetus Papa, & Martyr in Epiſtola ad Gallos, Eleutherius anno Chriſti 177. in Epiſtola Decretali ad Gallicanas Eccleſias, dum cauſas omnes majores, verbi gratia, fidei, & morum per totam Chriſtianam Eccleſiam ad Apoſtolicam Petri, ejuſque Succeſſorum Romanorum Pontificum Sedem pertinere decidit, addit; *Sicut ab Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus multorum conſenſu Epiſcoporum jam definitum eſt.* Pariter Sanctus Victor Pontifex Romanus Epiſt. 1. aſſerit hanc veritatem à tempore Apoſtolorum conſtare, ibi. *Conſtitutum liquet à tempore Apoſtolorum.* Idem quaſi eiſdem verbis Sanctus Zephyrinus Papa, & Martyr affert in Epiſt. ad Coloſſenſes. Calixtus Papa, & Martyr ab anno Domini 219. in Epiſtola Decretali ad Epiſcopum Benedictum, ibi. *Nulli verò dubium eſt, quòd Apoſtolica Eccleſia, videlicet Romana Mater ſit omnium Eccleſiarum, à cujus vos regulis nullatenus convenit deviare.* Ex quibus liquidò conſtat non Romanæ Sedi Concilium, ſed Concilio, Eccleſiæque in illo repræſentatæ Romanam Sedem regulas, præceptaque præſcribere. Inferiori ne contra Superiorem, Epiſcopo contra Papam, ſubdito contra Prælatum, Civibus contra Regem, Imperatoremque leges, atque edicta ferre licebit?

38. Sanctus item Fabianus Papa anno Chriſti 236. Epiſt. 1. ſcribit ad omnes Eccle-

Eccleſiæ Orthodoxæ Antiſtites, his verbis: *Cura eſt ergo veſtræ ſolicitudini adhibenda, ut ea, quæ ſunt ab Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus ordinata, & inſtigante Spiritu Sancto, inſtituta, nec diſſimulatio negligere, nec alia præſumptio valeat perturbare*, & eodem loco dixerat filios à Matre, videlicet Eccleſia Romana, & à Patre, videlicet Pontifice Romano regulas firmiter ſtabiles, infallibileſque dubiorum inſurgentium definitiones, non Patrem, matremve à filiis accipere debere, ibi. *Divinis præceptis, & Apoſtolicis monemur inſtitutis, ut pro cunctarum Eccleſiarum ſtatu impigro vigilemus affectu: unde conſequens eſt, debere vos ſcire, quæ apud Romanam in Sacro ritu Eccleſiam, ut ejus ſequentes exempla, ejus veri filii inveniamini, quæ mater eſt veſtra vocata.* Idem aſſerit S. Sixtus II. Papa, & Martyr anno 257. in Epiſt. 2. ad Hiſpanos, ibi. *Flagitamus, ut à tramite Apoſtolicæ Inſtitutionis nunquam recedatis, neque à capite* (Romano Pontifice) *diſſideatis, ſed per fidem, & ordinem, quem Apoſtolici viri ſtatuerunt abſque heſitatione teneatis.* Ubi à tempore Apoſtolorum traditionem eſſe, ut omnes Chriſti fideles, ſive diſperſi, ſive in Concilio congregati (neque enim congregati fideles eſſe deſinunt) doctrina, definitionibuſque à capite Petro, ejuſque Succeſſore Pontifice Romano prolatis, debitum promptæ mentis obſequium exhibeant, clariſſimè oſtendit.

39. Sanctus Dionyſius Papa, & Martyr ab anno 270. Epiſt. 2. ad Severum Epiſcopum Cordubenſem, qui eum conſuluerat, ſic alloquitur: *Olim, & ab initio tantam percepimus à B. Petro Apoſtolorum Principe fiduciam, ut habeamus authoritatem Univerſali Eccleſiæ, auxiliante Domino, ſubvenire, & quidquid nocivum eſt, authoritate Apoſtolica corrigere, & emendare.* Nota terminos, *olim, & ab initio*; ut infallibilem Romani Pontificis ad regendum, docendum, reſque fidei definiendum authoritatem pervetuſtiſſimam ab initio Eccleſiæ traditionem eſſe intelligas. Sanctus Marcellus Papa, & Martyr ab anno 304. Epiſt. 1. Decretali ad Epiſcopos Antiochenę Provinciæ plura referens, quæ à B. Petro, reliquiſque Apoſtolis tradita fuerant, & Primatum Eccleſiæ Romanæ, qui ex Antiochia Romam translatus fuerat; primo loco recenſet; deinde indeclinabilem circa totius orbis Chriſtiani in fide, moribuſque regimen authoritatẽ commemorat, ibi. *Nec ab ejus* (Romanæ Sedis) *diſpoſitione vos deviare oportet; ad quam cuncta Eccleſiaſtica majora negotia, divinâ diſponente gratiâ, juſſa ſunt referri, ut ab ea regulariter* (ideſt, ſecundum Regulas) *diſponantur, à qua ſumpſere principium &c.* Ubi obſerva majora negotia, qualia potiſſimum negotia fidei eſſe cenſentur, non ad Concilium Epiſcoporum, ſed ad Apoſtolicam Petri, ejuſque Succeſſoris Romani Pontificis Sedem regulariter, ideſt, ſecundùm juris regulas diſponenda referri debere. Ex quo deduces, quàm juſtè, ac ſecundum Canonici juris regulas Venerabilis memoriæ Franciſcus Appamienſis Epiſcopus, ſedeque vacante Capitulum ad Summum Pontificem Innocentium XI. tunc feliciter regnantem circa res fidem ſpectantes confugerint: & quantum Catholicæ traditioni, qui contrarium volunt Principibus ſuadere, adverſentur.

40. Ultra prænarratos Pontifices ſequitur Melchiades Papa electus anno Domini 311. in Epiſt. Decretali ad Epiſcopos Hiſpaniæ, à quibus circa plurima de vera Sacramentorum fide conſultus, ita reſcribit: *Epiſcopos nolite judicare; nolite condemnare abſque Sedis hujus authoritate, quod ſi feceritis, irrita erunt veſtra judicia; & vos condemnabimini: hoc enim privilegium huic Sanctæ Sedi à temporibus Apoſtolorum ſtatutum eſt ſervare, quòd illæſum manet uſque hodiernum diem; ut majores cauſæ, & potiorum cura negotiorum ad unam B. Principis Apoſtolorum Sedem confluerent; ut inde ſuſcipiant finem judiciorum; unde acceperunt principium inſtitutionis; ne quandoque à ſuo diſcreparent Capite.* Huc uſque Pontifices ſimul, & Martyres. Sequuntur modo Pontifices duo, qui licet Martyrii laurea inſigniti non fuerint, Sanctorum tamen albo ſunt feliciter aſcripti. Prior eſt Sanctus Marcus, qui à die 16. Januarii anno Dom. 336.

uſque ad diem 7.Octobris ejuſdem anni Pontificatum geſſit; & in hoc per exiguo temporis intervallo ad Athanaſium Alexandrinum Epiſcopum, cæteroſque Ægypti Epiſcopos multa ſcripſit, quæ inter Acta Nicæni Concilii lecta ſunt: atque ita dicit: *Sancta Romana Eccleſia, quæ ſemper immaculata manſit, & Domino providente, & B. Petro Apoſtolo opem ferente, in futuro remanebit ſine ulla hæreticorum inſultatione firma, & immobilis &c.* Et infra. *Hæc Apoſtolorum viva traditio: hæc ſancta, & Apoſtolica Mater omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſia, quæ per Omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur, nec hæreticorum novitatibus depravata ſuccubuit &c.* & inferiùs. *Quoniam Dominus, & Salvator noſter, qui fidem Petri nunquam defecturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit; quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper cunctis eſt cognitum.*

41. Item Julius Papa I. ejuſdem Marci Succeſſor ipſo anno 336. Epiſt. 1. Decretali ad Epiſcopos Orientales, ita ait: *Ipſi verò primæ Sedis Eccleſiæ convocandarum generatim Synodorum jura, & judicia Epiſcoporum ſingulari privilegio Euangelicis, & Apoſtolicis conceſſa ſunt inſtitutis; quia ſemper majores cauſæ ad Sedem Apoſtolicam multis authoritatibus referri præceptæ ſunt: nec ullo modo poteſt major à minore judicari: ipſa namque omnibus major, & prælata eſt Eccleſiis, quæ non ſolummodò Canonum, & Sanctorum Patrum Decretis, ſed Domini Noſtri Salvatoris voce ſingulariter obtinuit principatum. Tu es*, inquit, *Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et infra. *Sicut B. Petrus Apoſtolus primus fuit omnium Apoſtolorum; ita & hæc Eccleſia ipſius nomine conſecrata, Domino inſtituente, prima & caput ſit cæterarum, & ad eam quaſi ad Matrem, atque apicem omnes majores Eccleſiæ cauſæ, & judicium Apoſtolorum recurrant; ejuſque juſta ſententiâ terminum ſumant.* Idem primores Eccleſiæ Patres aſſerunt. S. Ignatius Joannis Apoſtoli diſcipulus anno Chriſti 71. ita ait: *Qui igitur iis* (Romanis Pontificibus) *non obedit, Attheus prorſus, & impius eſt; & Chriſtum contemnit; & conſtitutionem ejus imminuit.* Irenæus auditor Polycarpi Joannis Euangeliſtæ Diſcipuli lib. 3. contra hæreſes, Tertullianus, Irenæi tempori vicinus de Præſcriptionibus, Cyprianus lib. 1. Epiſt. 5. & lib. 4. Epiſt. 9. & plures alii vetuſtiores toto hoc opere citati Patres; qui omnes infallibilem Romani Pontificis Succeſſoris Petri in rebus fidei, morumque ultimo judicio definiendis authoritatem ex traditione à tempore Apoſtolorum certam omninò eſſe teſtantur. Item plures alios, & antiquiſſimos Galliæ Doctores pro hac infallibili Romani Pontificis in definiendo res fidei authoritate videre potes apud Authorem Galliæ vindicatæ Diſſert. 4. §. 1. pag. 183.

42. Ex quibus hoc ineluctabile argumentum eruitur. Certum eſt traditiones, quæ non à Patribus, ſed ab Apoſtolis principium ſumpſere, conſequenterque vel ab ipſo Chriſto, vel Divini ſpiritus revelatione Apoſtoli eas habuere, de fide eſſe credendas; ut à Tridentino ſupracitato definitum eſt: Certum etiam eſt infallibilem Romani Pontificis in majoribus cauſis fidei, morumque pro tota Eccleſia ultimo definiendis authoritatem non à ſolis Patribus, ſed à tempore Apoſtolorum, ut hactenus clariſſimè demonſtratum eſt, principium deſumpſiſſe: ergo infallibilis Romani Pontificis in veritatibus fidei, morumque pro tota Eccleſia definiendis authoritas, abſque periculo deficiendi à Catholica diſciplina, negari non poteſt. Quidam igitur Orthodoxi hanc veritatem ſubnegantes, in quos ſcopulos impingant, cautè, diligenterque conſiderent: judicent præterea reliqui; malint ne paucis quibuſdam Recentibus aſſentiri, quàm ſapientiſſimis ex tempore Apoſtolorum Doctoribus, ſanctiſſimiſque Patribus, Martyriique laureâ inſignitis; ex quibus multi eo vixerunt tempore, quo Apoſtolos ipſos videre, audireque potuerunt.

43. Ex his duo neceſſariò inferuntur: aut iſti Adverſarii hanc à tempore Apoſtolorum de infallibili Romani Pontificis Petri Succeſſoris definiendi autho-

thoritate traditionem negant, aut concedunt; ſi negant; jam certè hanc ab exordio naſcentis Eccleſiæ, ad noſtrum uſque tempus manifeſtiſſimis teſtimoniis comprobatam traditionem ſine ullo prorſus fundamento, ſed propria, vanaque præſumptione refellunt. Si hanc quidem, ut facere debent, traditionem concedunt; & nihilominus eam non eſſe de fide credendam aſtruunt; jam Catholicæ Tridentini doctrinæ, quòd traditiones à tempore Apoſtolorum fluentes de fide credendas eſſe definit, omnino adverſantur.

SECTIO IV.

An hæc infallibilis authoritas Romani Pontificis in definiendo etiam extra Concilium ſit in Conciliis definita.

44. NOnnulli Authores Catholici, qui infallibilem Romani Pontificis extra Concilium in definiendo authoritatem negant; illam tamen, dum in Concilio definit, ultro fatentur. Contra illos hîc unum inexuperabile argumentum ſtare videtur: nam in multis generalibus, legitimiſque Conciliis, & à Sede Apoſtolica approbatis, in quibus Romanus Antiſtes, aut per ſe ipſum, aut per legatos ſuos præſidebat, infallibilis hæc Romani Pontificis in definiendo res fidei, & morum etiam extra Concilium poteſtas definita eſt: ergo hanc in Romano Pontifice etiam extra Concilium definiente infallibilem definiendi poteſtatem negantes, veræ doctrinæ Catholicæ adverſantur. Si Adverſarii hanc conſecutionem denegent; id, quod affirmaverant, videlicet, Pontificem Romanum definientem cum Concilio Generali errare non poſſe, negare, inconſtanterque retractare cogentur. Si verò noſtram deductam conſecutionem concedant; aſſerere id, quod nos aſſerimus, compellentur. Quod generalia Concilia legitimè congregata, à Sedeque Romana confirmata hanc infallibilem Romani Pontificis in definiendo res fidei, & morum etiam extra Concilium, poteſtatem definierint; ea Concilia recenſendo ab exordio naſcentis Eccleſiæ manifeſtum fiet.

45. Primum Concilium fuit Nicænum anno Dom. 325. ſub Sylveſtro Papa, Conſtantino Magno imperante, celebratum à 318. Epiſcopis; quorum multi poſtea Martyrii laureâ redimiti fuerunt, plerique ſanctitate, miraculiſque floruerunt. In hoc igitur Univerſali Concilio definitum fuit, ut majores cauſæ, quales potiſſimum fidei, Religioniſque ſunt; apud Apoſtolicam Sedem Petri, ſucceſſorumque ejus, videlicet Pontificum Romanorum terminari deberent. Quamvis autem nunc hujus Concilii exemplaria non appareant; ea Pontificiam authoritatē ſpectantia Perduellium rebellione occultante; ne tanti Concilii authoritate convicti reddantur; adfuit tamen Divini Numinis providentia, quod Sanctus Julius Papa I. anno Dom. 336. quindecim annis poſt celebratum Concilium illud verba prædicti Concilii referret in Epiſtola ad Orientales Epiſcopos; quorum plurimi Nicæno illi Concilio interfuere; ac ſic ſcribit: *Conciliorum convocandorum jura & majores cauſas ad Sedem Apoſtolicam Evangelicis, Apoſtolicis inſtitutis referri oportet. Id à Sanctis Apoſtolis, & Succeſſoribus eorum, id à Nicæna Synodo definitum eſt.*

46. Idem Julius in Epiſtola ad Epiſcopos Antiochiæ congregatos his verbis teſtatur. *Definitum fuiſſe in Nicæna Synodo non debere præter ſententiam Romani Pontificis ullo modo, aut Concilia celebrari, aut Epiſcopos damnari; cui majora Eccleſiarum negotia ab ipſo Domino ſpeciali privilegio tradita ſunt.* Citatque verba Concilii cap. 18. ſic loquentis: *Omnes Epiſcopi in gravioribus cauſis liberè Apoſtolicam appellent Sedem, atque ad eam, quaſi Matrem confugiant, cujus diſpoſitioni omnes majores cauſas, antiqua Apoſtolorum authoritas reſervavit.* Item citat ejuſdem Concilii Nicæni cap. 19. ſic dicentis: *Quanquam accuſati Pontifices cauſam comprovincialibus Epiſcopis ſcrutari liceat, non tamen inconſulto Romano Pontifice definire; cum B. Petro Apoſtolo,*

non ab alio, quàm ab ipſo Domino dictum ſit; quæcumque ligaveri s &c.

47. Dices: ea verba in libro Concilii Nicæni nunc extanti non reperiuntur. Verùm quid intereſt, non reperiri, in libro Græcorum, ne ipſi convincerentur, perfidiâ vitiato? conſtat jam de veritate Concilii ſic loquentis: an plus Græcorum fraudi, quàm Concilii veritati credendum? Juliuſne morum integritate, ſanctimoniæque præſtantia notiſſimus hæc fingeret? non obſiſterent Epiſcopi, quibus ipſe ſcribebat, & qui eidem Concilio interfuere? non timeret de falſitate redargui; ſi ad ipſos, qui adfuerant Concilio, falſum ſcriberet? Jugum non impoſitum à Cõcilio Epiſcopis, Epiſcopi non excuterent? non exciperent riſu confictam fabulam; ſi fabula, & non veritas eſſet, quod illis Julius ſcribebat? Igitur evidens eſt Julium vera de Concilio narraſſe; & conſequenter veriſſimum eſt à Nicæno Concilio infallibilitatem ultimo terminandi cauſas fidei, ac Religionis, tanquam majores cauſas ad Apoſtolicam Petri Sedem referendas in Romano Pontifice definiri: neque hoc abſque periculo deficiendi à Catholica doctrina negari ullo modo poteſt. Et notanda ſunt verba Concilii: *Non ab alio, ſed ab ipſo Domino &c.* Item: *Antiqua Apoſtolorum authoritas reſervavit*. In quibus verbis hanc ultimo terminandi cauſas fidei, quæ majores eſſe dicuntur, authoritatem in Romano Pontifice Sedem Petri obtinente non ab Epiſcopis, Conciliove, ſed ab ipſo Domino ei conferri; deinde hoc ipſum ex tempore Apoſtolorum forma, ſtabilique traditione conſtare.

48. Videant ergo Recentes hi Doctores, qui nobiſcum definita in Concilio Univerſali legitimo, à Sedeque Apoſtolica approbato de fide eſſe fatentur; quod nam ex his duobus ſupra notatis negare velint? Si infallibilem Romani Pontificis poteſtatem in eo Concilio definitam fuiſſe negabunt; id temerè, ac ſine fundamento negabunt; cum, ut ſupra probatum eſt; eam Pontificis Romani poteſtatem ad res fidei ultimo determinandas in Concilio Nicæno definitam fuiſſe, moraliter ſit evidens: negans autem id, quod moraliter eſt evidens, temerè, imprudenterque agere videtur. Si negant Pontificis infallibilitatem, quam in Concilio definitam eſſe conſtat; hæreſis labe infici quis eos negabit? nam eos, qui definita in Concilio reſpuunt, ipſimet Adverſarii hæreticos eſſe confitentur. Illud verò Nicænum à Sede Apoſtolica approbatum fuiſſe conſtat ex ipſius Synodi literis; in quibus ex Sylveſtro Papa confirmatio Concilii petebatur: ita verba Concilii: *Quidquid inter alia conſtituimus in Concilio Nicæno, precamur, veſtri oris conſortio confirmetur*. Data 8. Kalend. Julii. *Paulino, & Juliano Conſulibus*. Item ex confirmatione ipſa Sylveſtri Papæ in Concil. Romano 275. Epiſcoporum, per hæc verba. *Quidquid in Nicæa Bithyniæ conſtitutum eſt ad robur Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ à Sacerdotibus 318. noſtro ore conformiter confirmamus; omnes, qui auſi fuerint diſſolvere definitionem Sancti, & Magni Concilii, quod apud Nicæam congregatum ſub præſentia piiſſimi, ac venerandi Principis Conſtantini Auguſti, anathematizamus; & dixerunt omnes: Placet.* De hac etiam confirmatione Iſidorus in præfatione illius Concilii teſtatur, ibi. *Quas* (Regulas) *Romana proſpiciens confirmavit Eccleſia*. Id jam multo antea Patres ſecundæ Synodi ſub Felice III. aliàs II. dixerant anno 484. in litteris ad Clerum Regiæ Civitatis, ibi 318. *Patres apud Nicæam congregati Confirmationem rerum, atque authoritatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ detulerunt; quam ad noſtram ætatem Succeſſores omnes cuſtodiunt*.

49. Secundum Concilium Generale Sardicenſe, quod Nicæni fuit velut Appendix; ideoque à multis Patribus ſub nomine Nicæni Concilii allegatur: de quo jam ſupra fecimus mentionem. Canone 3. 4. & 5. in hoc Concilio infallibilis Romani Pontificis in definiendis cauſis fidei authoritas definitur: nam exorta aliqua quæſtione; in qua Epiſcopus de errore fidei contrario accuſetur; in eo Concilio deciditur: ne Epiſcopus ille deponatur; ſed ad Pontifi-

cem

Digitized by Google

cem Romanum pro cauſa ultimo judicio determinanda recurratur. Hæc ſunt verba Concilii Sardicenſis Canone 4. *Si quis Epiſcopus fuerit depoſitus judicio Epiſcoporum, qui ſunt in vicinia, & dicat rurſus ſibi defenſionis negotium competere, non prius in Cathedram aliquis ſubſtituatur, quam Romanus Pontifex, cauſâ cognitâ, ſententiam tulerit.* Hæc in Concilio prius propoſita fuerant; & Canone 5. ab Hoſio Sedis Apoſtolicæ ibi Præſide legato confirmantur, & tandem concluditur, ibi. *Reſponderunt Epiſcopi, quæ dicta ſunt, placuere.* Hos Canones in ſenſu noſtro Catholico Doctores Gallicani tuentur, videlicet Petrus Marcha in opuſc. §. 7. pag. 215. Balluſius in præfat. ad illa opuſc. §. 7. & ſequentib. pluresque alii, quos infra dabimus. Dicent ne Recentes Adverſarii, Patres hujus Concilii Sardicenſis, primùm Concilium Epiſcoporum, quàm Romanum Pontificem ad determinandas ultimo judicio fidei cauſas, requiſiviſſe? cur non ad Concilium generale, ſed ad ſolum extra Concilium Papam majores, quales ſunt fidei, cauſas ultimo deferendas eſſe unanimi conſenſu judicarunt? plus iſtis paucis quidem Recentibus Galliæ Doctoribus, quàm illi certè Univerſali Synodo credendum? Nec ſolum in his Nicæno, Sardicenſique Conciliis; ſed jam antea ab exordio naſcentis Eccleſiæ fuerat obſervatum: ideoque doctrina huic noſtræ Catholicæ veritati oppoſita, à quodam Recenti Doctore Pariſienſi Joanne Garbaſio tradita lib. de cauſis majoribus edito 1679. tanquã Schiſmatica, de hæreſique ſuſpecta à Sanctiſſimo Papa Innocentio XI. juſtiſſimè damnata fuit.

50. Multa alia generalia Concilia pro hac infallibili Romani Rontificis in rebus fidei, morumque pro tota Eccleſia definiendis authoritate in Superiori doctrina citavimus: & infra alia referemus. Hic ſolum pauca quædam pro ultima hujuſce quartæ ſectionis coronide prælibabimus. In Concilio Generali 4. Chalcedonenſi, Sancto Leone Magno Papa regnante, anno Dom. 451. celebrato, inter alia prædictam veritatem ſpectantia, hæc verba, prout ea D. Tho. contra errores Græcorum refert, continentur. *Veneramur ſecundùm ſacras Scripturas, & Canonum definitionem ſanctiſſimum Antiquæ Romæ Epiſcopum primum eſſe, & maximum Epiſcoporũ &c.* & infra. *Si quis Epiſcopus prædicatur infamis, liberam habeat ſententiam appellandi ad beatiſſimum Epiſcopum antiquæ Romæ: quia habemus Petrum petram refugii, & ipſi ſoli libera poteſtate loco Dei ſit jus diſcernendi, ſecundùm claves à Domino datas; & omnia ab eo definita teneantur, tanquam à Vicario Apoſtolici throni.* Hæc verba pro infallibili Romani Pontificis in definiendo, ultimoque determinando cauſas fidei adeo ſunt perſpicua, ut ea Græci Schiſmatici, perduelleſque hæretici, ſe convinci videntes à Concilio per ſummam impudentiam, fraudemque abſtulerint. De quo Sanctus Gregorius lib. 5. Epiſt. 14. ad Narſem Comitem maxime conqueſtus: ideoque illi perfidi Græci ex aliis non vitiatis exemplaribus à D. Tho. aliiſque ſanctiſſimis, ac doctiſſimis Patribus conuincuntur, irridenturque. Judicent ergo perpauci illi Recentes Galli, an Schiſmaticis illis Sacrorum Conciliorum falſatoribus, corruptoribuſque, cum Eccleſia Catholica hoſtibus aperto Marte pugnantibus, an Doctori Angelico Theologię clariſſimo Soli, aliiſque doctiſſimis, clariſſimiſque viris aſſentiendum ſit. Nonne prudentius, cordatiuſque agent tot Gallorum etiam Doctorum noſtrã veram doctrinam ſequentium, ſententiam ſequi; totique Eccleſiæ Catholicæ conformari?

51. Idem clariſſimè definitum eſt in quinta Synodo Generali anno 554. ſub Vigilio Papa; quam, quia de ea infra agemus, hic non expendimus. Idem etiam in Concilio Generali ſexto Conſtantinopolitano 3. anno 680. ſub Agathone Papa Act. 6. In Synodo Generali 7. Nicæna 2. à 340. Epiſcopis ſub Adriano I. anno 787. celebrata. In Concilio Generali 8. anno 869. ſub Adriano II. Bizantii habito. In Concil. Generali 14. aliàs Lugdunenſi 2. ſub Gregorio X. anno 1274. coacto. In Concilio Viennenſi Generali ſub Clemente V. in Concilio Conſtantienſi loquendo de Papa indubitato;

tato; ut infra enucleabimus. In Concilio generali Lateranenſi inchoato ſub Julio II.ann.1512.& finito ſub Leone X. anno 1517.ſeſs.11. in Concil.Tridentino in Decreto de recipiendis. In omnibus his generalibus Conciliis legitimè congregatis, à Sedeque Apoſtolica approbatis, conſequenterque à tota & univerſali Eccleſia receptis, infallibilis Romani Pontificis in rebus fidei, morumque pro tota Eccleſia ultimo, & irreformabili judicio definiendis authoritas, ut ea Concilia perlegenti patebit, ſufficientiſſimè definitur. Erit ne; ſalubre conſilium tanta Conciliorum præſidia paucis Recentibus rem levi calamo tractantibus poſtponere?

52. Commune Adverſariorum effugium eſt Pontificem Romanum, quãdo ejus definitio extra Concilium facta ab univerſali eſt recepta Eccleſia, infallibilis authoritatis eſſe; quandiu autem illius definitio à tota Eccleſia, vel generali Concilio recepta non eſt, nutare, fallibilemque eſſe; quaſi non à capite, ſed ab inferioribus membris definitionum firmitas, roburque deſumetur. Verum hoc illis effugium in ſuperiori noſtra, & Catholica doctrina præcluſum eſt; & nullius eſſe momenti ex ſequentibus Sectionibus perſpicuum fiet.

SECTIO V.

De definitionibus extra Univerſale Concilium pro tota Eccleſia à Papa factis à primo Sæculo, uſque ad quintum.

53. PRædictum quorumdam Recentium Catholicorum effugium, videlicet, quod Romanus Pontifex, ſolum quando intra Concilium Univerſale definit, infallibilis authoritatis ſit, ex contraria praxi à primo naſcentis Eccleſiæ ſæculo omnino præcluditur. In hoc primo Sæculo, primus Pontifex Petrus errores, & hæreſes primi in Eccleſia perduellis Simonis Magi, quem Sanctus Ignatius Martyr in Epiſtola ad Trullianos primogenitum Diaboli appellat, Apoſtolica authoritate damnavit. Is itaque à Philippo Diacono in Samaria Euangelium prædicante baptizatus, & à Petro, Joanneque in fidei myſteriis inſtructus, in multas poſtea hæreſes prolapſus eſt; quas D. Damaſcenus lib. de hæreſibus refert, & Nicephorus lib.2.hiſtoriar.cap.6.& alii: quod ille Romæ venenum etiam ſparſit; multoſque qui propterea Simoniaci vocabantur, ſequaces habuit: & tamen D. Petrus Summus Eccleſiæ Antiſtes ſimul ac eos errores, nullo coacto Concilio, damnauit, mox Eccleſia Simonem, ut hæreticum fugit. Præterea Euangelium à D.Marco conſcriptum, qui certè facta Chriſti, ſaltem omnia non viderat, (etiamſi aliqui Authores, ut Baronius anno 33.& 34. illum inter Chriſti Diſcipulos connumerent) primum à D. Petro lectum, approbatumque fuit, ac ut verum Chriſti Euangelium definitum; moxque Eccleſia, nullo univerſali Concilio expectato, recepit.

54. Dices. Paulus, & Euangeliſta Joannes multos ex Diabolo contra veram doctrinam pullulãtes errores damnarunt, ut videre eſt apud Nicephorum lib.4. cap.7. & ubi primùm Eccleſia eos errores à prædictis Apoſtolis proſcriptos vidit, ſtatim ut hæreticales abhorruit: ergo hoc ſpeciale inſigne Petri non fuit. Reſp. Apoſtolos omnes tanquã à Chriſto delegatos (juxta illud; pro Chriſto legatione fungimur) infallibilitatem indefiniendo habuiſſe. Imò, ſi quidquid Apoſtoli ex ſola authoritate delegata definiebant, ſtatim Eccleſia id acceptabat; multo magis quidquid Petrus, ejuſq; Succeſſor idem jus habens Pontifex Romanus, tanquam de fide ordinaria authoritate decernebat, ſtatim Eccleſia tanquam de fide acceptare deberet.

55. Eodem Sæculo hæreſis Nicolaitarum, de quibus Irenæus lib.1. cap.27. Hilarius in cap.25.Matth. Clemens Alexand.lib.3.Stromat. & ex illâ aliæ pullulantes, de quibus D. Auguſt. lib. de hæreſibus cap.27.à S.Petro, ejuſque Succeſſoribus, Lino, Cleto, Clemente, nullo coacto Concilio proſcriptæ ſunt; & ſtatim eas ut hæreſes fideles execrati ſunt.

Secundo Sæculo variæ ſunt exortæ hæreſes, de quibus Epiphanius hæreſi 22. Euſebius lib.4.hiſtor.cap.5. Irenæus lib.1.

Digitized by Google

lib. 1. cap. 22. Baronius ad annum 120. num.22.Tertul.de Præſcriptionib.cap.4. & alii apud Baronium citatum ad annos 120. uſq. ad 176. Item hæreſis Marcioniſtarum ex Hæreſiarcha Marcione, qui primogenitus Diaboli à Sancto Polycarpo appellatus eſt: omnes prædictæ hæreſes à Summis Pontificibus Anacleto, Evariſto, Alexandro I. Sixto I. Teleſphoro, Hyginio, Pio I. Aniceto, Eleutherio, Victore I. damnatæ ſunt; & ſtatim omnes Chriſti fideles, non expectato aliquo Generali Concilio, ut hæreſes execrabiles habuere:

56. Tertium Sæculum ex præcipiti abEccleſiaſtico cœlo duorum illuſtrium ſyderum Tertulliani, & Origenis lapſu infelix redditum fuit. Tertullianus itaque fide pariter cum ætate defecit, Montano hæretico, quem antea refutaverat, adhærens; de quo videri poteſt Baron. anno 197. Caſtro, verb. Anima, Prateolus, verb. Tertullianiſtæ, Sabelles Regula 228. Hanc Montani hæreſim Victor I. Pontifex Romanus proſcripſit, de quo videri poteſt Baronius anno 201. ſimiliter Zephyrinus, qui Victori in Pontificatum ſucceſſerat, omnes Montani ſequaces, damnavit; ipſumque Tertullianum anathemate perculit, teſte Euſebio lib.6. Hiſtoriar.cap.14. Controverſia igitur inter Tertullianum, & Orthodoxos Epiſcopos orta judicio Sedis Apoſtolicæ terminata fuit; & ex eo tempore Tertullianus, quin ullum Concilium expectaretur, tanquam hæreticus vitari cœpit. Nouum deinde malum de nullitate baptiſmi extra veram Eccleſiam facti diſſeminavit: licet tunc ejuſmodi error non eſſet ea in regione tam notus, ut poſtea. Baron. ad ann. 217. fol.329. Lit.E. ex quo noviſſimo Tertulliani errore Agrippinus Carthaginenſis Archiepiſcopus coacta Synodo Africana, ut baptizati ab hæreticis denuò luſtrales aquas ſuſciperent, cum eo Concilio decrevit; de quo videri poteſt Cyprianus Epiſt.71. qui bona fide in eo errore fuit, quem poſtea veritate cognita, repudiavit, teſte D.Auguſtino Epiſt.48. ad Vincentium. Prædictum Concilium à Summo Pontifice Zephyrino, ab ejuſque Succeſſore proſcriptum fuit: cui definitioni fideles omnes, quin ad id ullo generali Concilio foret opus, ultro ſe conformarunt. An acquieſcerent fideles, ſi Pontificis Romani extra Concilium definitio nutaret?

57. Contra errores Originis diſceptavit Hieronymus inApologia lib.2. ac Vincentius Lirinenſis contra hæreſes cap. 23. Baron. anno 232. Petav. & alii. Omnes Originis errores Pontifices Romani nulla ſaltem Univerſali Synodo coacta, damnarunt; cui damnationi ſtatim fideles acquievere, quamvis poſtea ad majorem ſolemnitatem, & pompam iidem Originis errores damnati ſint in quinta Synodo, ſecunda Conſtantinopolit. Sanctus Fabianus Papa ſui Pontificatus initio Noleiſatarum, aliorumque animæ immortalitatem negantium hæreſim damnavit. Cornelius Papa, & Martyr anno 252. aut 253. Novatum ſine aliquo Concilio generali, ſed ſolo particulari Romano proſcripſit; in quo Novatianus, ejuſque fautores anathemate ſunt perculſi. Alii plurimi errores abſque ullo Concilio, ſed ſola Romanæ Sedis authoritate condemnati ſunt; & ſtatim ab univerſali Eccleſia, ut hæreticales habiti fuere, ut videre eſt apud Acta Pontificum Romanorum, S.Cornelii, S.Lucii, S.Stephani, S.Sixti II. S.Dionyſii, S. Felicis I. S.Eutichiani, Sancti Caii, Sancti Marcellini; quo Eccleſiam moderante Sæculum tertium finitum fuit. Regnante autem Dionyſio, duplex fuit coacta Synodus Antiochena; in quarum prima, cui S.Gregorius Thaumaturgus interfuit, errores Pauli Samoſateni Antiochiæ Præſulis proſcripti ſunt; cujus damnatio non priùs vigorem obtinuit; niſi quando (Patribus id procurantibus) à Romanæ Sedis authoritate in Concilio particulari Romano firmata fuit: & ea confirmatione intellecta, ſtatim illi damnationi omnes fideles acquievere. Cum verò Paulus à Sede Apoſtolica, abſque ullo univerſali Concilio damnatus, à Sede Antiochena recedere noluiſſet, auxilio brachii ſæcularis, videlicet Aurelii Imperatoris, licet non Chriſtiani, Romanæ Sedi faventis, expulſus eſt. Sæ-

58. Sæculo quarto. Hæreſes Arianæ, Macedonianæque à Sede Romana primo damnatæ fuerant; quarum prima Chriſto; ſecunda Spiritui Sancto Divinitatem per ſummam impudentiam negabant. Poſtea verò à duabus Synodis Generalibus Nicæna anno Domini 325. Conſtantinopolitana anno 381. proſcriptæ ſunt, non quod Conciliis Generalibus opus foret, ad ſententiæ Sedis Apoſtolicæ vigorem, roburque addendum; ſed ut jam damnatæ hæreſes majori pompa proſcriberentur. Initio ferè hujus quarti Seculi à S. Melchiade Papa, ut videre eſt apud Sanderum de viſibili Monarchia, hæreſi 55. Baronium anno 313. Donatiſtæ proſcripti fuerunt: & obiter obſerva antiquam hæreticorum, pravamque conſuetudinem recurrendi ſemper vel ad futurum Concilium, vel ad laicalem Imperatorum poteſtatem; ut hîc Donatiſtæ fecerunt; item quantum cum hæreticis ſentire videantur; qui in hac re illorum veſtigiis inſiſtunt. Porrò Donatiſtarum errores, hæreſeſque plurimæ fuerunt; de quibus legendus D. Auguſtinus contra eos differens hæreſi 96. epiſt. 48. ad Vincentium. Caſtro de pœnis hæreticorum v. Donatiſtæ. Baronius ab anno 303. uſque ad annum 394. quamvis autem hæ Donatiſtarum hæreſes, plurimæ, pernicioſæque fuerint, in nullo ex duobus quarti Sæculi Conciliis damnatæ fuerant, ſed à ſolis Pontificibus Romanis, quorum definitionibus ſtatim fideles omnes acquieverunt, ut ex Epiſtola Decretali Melchiadis; de qua ſupra fecimus mentionem, liquido conſtat.

59. Obſervandum tamen hîc eſt, Donatiſtas à Romano Pontifice proſcriptos, ad Conſtantinum Auguſtum provocantes, ab eodem Imperatore acriter increpatos fuiſſe; cauſamque illam à Melchiade Pontifice Romano debere terminari juſtè cenſuiſſe; proindeque ea ſententiâ, quam Melchiades Romanus Pontifex, habito particulari Romæ Concilio, tulerat, omnino ſtandum eſſe. Imperator igitur hæreticos illos ad ſe recurrentes, à Papæ judicio, ſententiaque provocando his rejecit verbis: *Meũ judicium poſtulant; qui judicium Chriſti expecto*. Ubi vides Catholicum Imperatorem Romani Pontificis ſententiam Chriſti ſententiam eſſe, cui terrenus Imperator ſtare deberet, credidiſſe.

60. Eodem quarto Sæculo anno 368 Uſarcius, & Valens uterque Arianus, & ann. 369. Auxentius Mediolanenſis Epiſcopus ob hæreſim Arianam, & Urſicinus propter Schiſma à Damaſo Romano Pontifice proſcripti ſunt. Et anno 373. in Concilio Romano particulari hæreſis contra Spiritus Sancti Divinitatem ab Apolinari, Macedonioque flammis ſtygiis excitata, mox ab eodem Damaſo Pontifice Maximo damnata, diriſque vota fuit. Omnes, vel ſaltem doctiores, fideles crederent ex ſola definitione Pontificis, niſi ipſe in definiendo res fidei infallibilis authoritatis eſſet, eas hæreſes toto Chriſtiano Orbe ut tales habendas eſſe? Si Pontificis Romani in definiendo authoritas fallibilis eſſe poſſet, non dubitarent fideles ſaltem doctiores, an eſſent verè damnatæ, necne? quo poſito, tota noſtra fides nutaret, fluctuaretque; proindeque, neque eſſet Chriſti fides; quæ certè nutans, fluctuanſque eſſe non poteſt. Totum hoc etiam Epiſtola Damaſi ad Paulinum cõfirmat, roboratque: quam Epiſtolam Illuſtriſſimus Gallorum cœtus pro noſtra Catholica doctrinâ in ſua Epiſtola gratulatoria ad Papam Innocentium X. allegavit: qui Pontifex propoſitiones Janſenii, de quibus infra, extra Concilium damnavit.

61. Opponunt Adverſarii ea, quæ contra Divinitatem Spiritus Sancti damnaverat Damaſus, etiam poſtea Concilium Conſtantinopolitanum anno 381. iterum damnavit: ergo ideo fuit, quia prior damnatio à Damaſo Papa extra Concilium facta non ſufficiebat. Verum hæc conſecutio vanè inde deducitur. An Concilium expreſſit, ea, quæ dubia erant, ibi ſe definire? Nunquid, quando aliquod Concilium Univerſale legitimè congregatum, Supremumque ſuo capiti Pontifici Romano unitum veritates, quæ in Scriptura Sacra de fide ſunt, definit; in hoc, eas Sacræ Scripturæ veritates, quas tunc definit, dubias ſupponebat? Nonnè Concilium Tridentinum

mul-

multa, quæ in aliis Conciliis jam definita erant, definit? ex hoc inferent Adverſarii, priora illa Concilia fallibilitatem habuiſſe; dubiaque ac nutantia fuiſſe? Certè hoc Adverſarii aſſerere non audebunt; quia inde facilè deduci poſſet, neque etiam poſteriora Concilia infallibilitatem habere; atque adeo nec vetuſta, nec recentia Concilia infallibilitatem obtinere; cum de prioribus, poſterioribuſque Conciliis diſparitatem ullam aſſignare non valeant: quo poſito nullam regulam certam credendi haberemus; noſtraque Religio nutaret, fluctuaretque: quo quid abſurdius? Tenentur igitur Adverſarii confiteri poſſe aliqua jam ab uno Pontifice, vel Concilio definita, ab alio Pontifice, vel Concilio, quin inde prioris definitionis dubietas inferatur, definiri; proindeque illorum argumentum contra nos factum, vanum, nulliuſque roboris eſſe. Nec propterea, ſecunda Concilii definitio ſupervacanea eſſe cenſebitur; ſatis enim eſt, licet non addant majorem infallibilitatem, majorem pompam, ſolemnitatemque addere, & longè majorem rei definitæ publicitatem inducere, ut ſecunda definitio non ſuperflua, inutiliſque videatur.

62. Quid tamen dicendum, ſi Concilium contrarium definiret? Reſp. Concilium tunc, ut ſupra vidimus, & infra demonſtrabimus, erraturum: ſæpius enim Concilia, ſi à Romano Pontifice approbata non fuerunt, erraſſe deprehendimus. Quid verò ſi Concilium contra unius Pontificis definitionem pro Cathedra ritè ſedentis, aliquid definiret, & deinde Concilium illud ab alio Papa confirmaretur? Reſp. hoc eſſe impoſſibile: quia impoſſibile eſt verbum Dei tranſire, Divinumque teſtimonium fallere: Deus autem Petri Cathedram nunquam defecturam promiſit, juxta illud Lucæ 22. num. 22. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*; prout jam ſupra explicatum eſt.

63. Eodem quarto Sæculo, multæ aliæ hæreſes pullularunt, ut videre eſt apud Socratem lib.2.cap.33. Philaſtrium in Cathalogo, Epiphanium hæreſi 75. 77. Auguſtin. hæreſ. 69. 70. 75. 85. & apud Hieronymum adverſus Luciferanos, Baronium anno 315. 319. 360. apud Nicephorum lib.12.cap.30. apud Nazianzenum in oratione de funere Patris, quę omnes hæreſes à Pontificibus Romanis extra Concilium Univerſale proſcriptæ fuerunt; & illico in tota Eccleſia, ut hæreſes, abſque ulla dubitatione, controverſiaque habitæ ſunt.

64. Eodem quarto Sæculo ann. 390. Syricius Pontifex Romanus inſanam Joviniani hæreſim, quæ virginitatem improbabat, coacto Romæ particulari Concilio, damnavit, literiſque ad Sanctum Ambroſium datis (nam Mediolani quoque peſtis illa graſſabatur) pro damnata eam haberi voluit; quin ad hoc ullum Univerſale Concilium poſceretur. Literas Syricii citat Author Galliæ Vindicatæ Diſſert.4.§.1.pag.203. quæ ita habent: *Non ſanè nuptiarum vota non aſpernanter accipimus, ſed Virginum nuptias majore honorificentia honoramus. Facto igitur Presbyterio* (hoc eſt, Synodo ex Presbyteris) *invenimus ea doctrinæ noſtræ, hoc eſt Chriſti, eſſe contraria: unde omnium noſtrum tam Presbyterorum & Diaconorum, quam totius Cleri una lata fuit ſententia, ut Jovinianus, Auxentius, Genialis, divina ſententia, & noſtro judicio in perpetuum damnati, extra Eccleſiam remanerent. Quod cuſtodituram Sanctitatem veſtram non ambigens hæc ſcripta direxi.* Ubi vides oraculum Pontificium ſuam, ac divinam, eandem eſſe ſententiam, protuliſſe. Eritne igitur fallibilis Papæ pro Cathedra definientis ſententia, quæ quidem eadem eſt, atque divina infallibilis ſententia? Sed audi jam auream Divi Ambroſii linguam illis Papæ Syricii literis reſpondentem. *Recognovimus literis Sanctitatis tuæ boni Paſtoris excubias, qui fideliter commiſſam tibi januam ſervas, & pia ſolicitudine Chriſti ovile cuſtodis, dignus, quem Domini oves audiant, & ſequantur.* De quo vide Epiſtolas Romanorum Pontificum tom.1. An ne D. Ambroſius, ut certa fide crederet definita à Papa, Univerſale Concilium expectavit?

65. Quinto ineunte Sæculo multæ ſunt hæreſes excitatæ, de quibus D. Auguſt. tom. 6. ſuorum operum, D. Hierony-

ronymus contra Vigilantium; præſertim hæreſis Pelagiana anno 405. exorta, contra quam D. Auguſt. de neceſſitate deſudavit; ſicut etiam contra Fortunatum, Felicem, Fauſtum, Avitum, Originiſtam, Petulianum Donatiſtam, contra Sectam Manicheorum, aliaſque perniciosas hæreſum peſtes; quas omnes abſque ullo Oecumenico Concilio Sedes Apoſtolica damnavit, ut ex Synodis tempore Anaſtaſii I. S. Innocentii I. Zozymi, Bonifacii I. S. Cæleſtini I. celebratis liquido conſtat; qui Pontifices ab initiò quinti Seculi uſque ad annum 31. ejuſdem Sæculi Eccleſiam Dei gubernarunt. Maximè verò Pelagiana hæreſis, quæ jam à Conciliis Africanis, & ab Auguſtino proſcripta fuerat; à Pontificibus Romanis, præſertim verò ab Innocentio I. Cæleſtino I. damnata ſolemniter fuit, ut ex eorum Epiſtolis Decretalibus conſtat. Item ex D. Proſpero adverſus Collatorem; ubi Sanctus Doctor de Pontifice Romano Innocentio I. loquens. *Conſtituimus in Pelagium, atque Cæleſtium per Venerabilem Epiſcopum Innocentium de Beatiſſimi Apoſtoli Sede prolatam ſententiam*. Item ex Gennadio de Viris Illuſtribus cap. 43. ubi ſic habet: *Innocentius multos Cataphrygas, & Pelagium, ac Cœleſtium invenit hæreticos, & damnavit eos: & hoc conſtituit, ut qui natus fuerit de Chriſtiana, rurſus naſci debeat per baptiſmum, hoc eſt, baptizari debeat, quod Pelagius damnabat.* Ex eodem S. Proſpero cit. ibi. *Tunc Pelagianorum machinæ fractæ, quando bonæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita, Apoſtolorum mucrone percuſſit*. Item ex S. Auguſt. lib. 2. contra Pelagium c. 7. ibi. *Cœleſtius Beati Papæ Innocentii non eſt auſus literis obſiſtere: imò ſe omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum eſſe promiſit*. Et lib. 2. cap. 3. contra duas Epiſtolas Pelagianorum. *Per Papæ*, inquit, *Reſcriptum cauſa Pelagianorum finita eſt: totoque orbe poſt ejus damnationem damnati ſunt*. Et contra Julianum lib. 1. c. 4. *Puta*, inquit, *eam tibi partem orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus martyrio coronare: cui Eccleſiæ præſidentem Beatum Innocentium ſi audire voluiſſes, jam periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis excuiſſes. Nihil enim potuit vir ille Sanctus Africanis reſpondere Conciliis, niſi quod antiquitus Apoſtolica Sedes, & Romana cum cœteris tenet perſeveranter Eccleſia*. Et idem dicit ſerm. 2. de verbis Apoſtoli, ut alibi jam notavimus.

66. Itaque ſtatim his Romanorum Antiſtitum definitionibus, abſque ulla generali Synodo factis, tanquam infallibili fidei Regulæ univerſus orbis Chriſtianus indubitabiliter acquievit. Quod Eccleſia Gallicana nuper anno 1653. bene agnovit, litteris Lutetiæ Pariſiorum datis 19. Julii ad Innocentium X. quinque Janſenii propoſitiones extra omne Concilium damnantem. Forma verò Epiſtolæ à Gallicano Clero hujuſmodi eſt: *Enim verò vetuſtæ illius ætatis Eccleſia Catholica, ſola Cathedra Petri communione, & authoritate fulta, quæ in Decretali Epiſtola Innocentii ad Africanos data elucebat; quamque deinde Zozymi altera ad univerſos Orbis Epiſcopos Epiſtola ſubſecuta eſt, Pelagianæ hæreſis damnationi abſque cunctatione ſubſcripſit: perſpectum enim habebat, non ſolum ex Chriſti Domini Noſtri pollicitatione Petro facta; ſed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematiſmis adverſus Apollinarium, & Macedonium nondum ab ulla Synodo Oecumenica damnatos, à Damaſo paulò ante jactis, judicia pro facienda Regula fidei à Summis Pontificibus lata ſuper Epiſcoporum Conſultatione (ſive ſuam in actis ſententiam ponant, ſiue mittant, prout illis collibuerit) divina æquè, ac ſumma per univerſam Eccleſiam authoritate niti; cui Chriſtiani omnes ex officio, ipſius quoque mentis obſequium præſtare teneantur. Ea nos quoque ſententia, ac fide imbuti Romanæ Eccleſiæ præſentem, quæ in Summo Pontifice Innocentio X. viget, authoritatem debita obſervantia colentes, conſtitutionem Divini Numinis inſtinctu à Beatitudine veſtra conditam, nobiſque traditam ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Nuntio Apoſtolico, & promulgandam curabimus in Eccleſiis, ac Diœceſibus noſtris, atque illius executionem apud fideles populos urgebimus.*

67. Hæc eſt Illuſtriſſimorum Prælatorum Gallicanæ Eccleſiæ fides antiquis

Sacro-

Sacrorum Canonum Decretis maximè conformis, cui ſi recentes quidam hoc tempore Præſules ſe conformarent,à recto veræ doctrinæ tramite non deflecterent; imò à Sanctiſſimo Pontifice Innocentio XI. æquè laudarentur, atque ab alio Innocentio I. Africani Præſules laudati fuerunt; ut patet ex Epiſtola, quæ inter Auguſtinianas eſt 92. & in Epiſtola ad Patres Concilii Millivitani 93. inter Epiſtolas Auguſtini; quæ ita habet. *Scientes, quod inter omnes Provincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent, præſertim quoties fidei ratio ventilatur.*

68. Igitur ex quo tempore Innocentius I. ejuſque Succeſſor Zozymus Pelagii doctrinam,ut hæreticam,abſque ullo generali Concilio proſcripſere; illam omnes Chriſti fideles, ut hæreticam habuerunt. Audi S. Proſperum in Chronicon. *Apud Carthaginem 207. Epiſcoporum ad Pontificem Zozymum Synodalia Decreta pulſata ſunt; quibus probatis per totum orbem hæreſis Pelagiana damnata eſt.* Ipſe verò Zozymus apud Baronium ad annum 418. num. 1. ſic ait: Scribens ad Aurelium, & ad Epiſcopos Carthagine congregatos: *Quamvis Patrum traditio Apoſtolicæ Sedis authoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio diſceptare nullus auderet; idque per Canones ſemper, regulaſque ſervaverit; tamen cùm tantum nobis eſſet authoritatis, ut nullus de noſtra poſſit retractare ſententia, nihil egimus, quod non ad veſtram notitiam noſtris ultro literis referimus; non quia, quid deberet fieri, neſciremus, aut faceremus aliquid, quod contra utilitatem Eccleſiæ veniens diſpliceret; ſed pariter vobiſcum voluimus habere tractatum.* Diceret ne Pontifex,& aſſentiretur Patrum Conventus, à nullo poſſe Papæ etiam extra Concilium definientis ſententiam retractari, ſi Papæ,definientis etiam extra Concilium Univerſale, fallibilis eſſet authoritas? Unde,ex quo Zozymus extra Concilium univerſale oraculum promulgavit, totus orbis indubitanter credidit. Ex quo etiam Innocentius X. doctrinam Janſenii abſque ullo Oecumenico Concilio, ut hæreticam damnavit, illam Illuſtriſſimi Gallicanæ Eccleſiæ Præſules, ac cæteri Catholici ut hæreticam habuere. Quid ergo hi Recentes Doctores? velint ne, ut una ſit in uno tempore fides; in altero alia longè diverſa? & quod hodie credamus Deum eſſe Trinum, & Unum, mane autem non ita credamus?

69. In memoriam hi Recentes Epiſtolam illam ſatis celebrem Sancti Cœleſtini Papæ ad Epiſcopos Galliæ contra Pelagianos, reducant; in qua nonnullas ſuorum Anteceſſorū definitiones abſque ullo generali Concilio, ſed ex ſola Petri Cathedra prolatas, propoſitaſque,ut de fide credendas,refert per hæc verba: *Ad confitendum gratiam Dei, cujus operi, ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus, quidquid ſecundum prædictas regulas Apoſtolicæ Sedis nos ſcripta docuerunt, ut prorſus non opinemur Catholicum, quod apparuerit prædictis ſententiis eſſe contrarium.* Oraculum Pontificium ab Univerſali Eccleſia receptum, opponi definitionibus Pontificiis,etiam extra Generale Concilium factis,Catholicum non eſſe definit: ergo qui illis adverſatur, ab Oraculo Pontificio deflectere non reputabitur?

70. Eodem quinto Sæculo tres aliæ pernicioſæ ſatis hæreſes exortæ ſunt. Prima contra Divinæ naturæ impaſſibilitatem. Secunda contra Sacrarum imaginum cultum. Tertia illorum perduellium, qui malè intellecta Divi Auguſtini,de Sanctorum prædeſtinatione, doctrina quandam fatalem ſalvandorū, reprobandorumque neceſſitatem ponebant. Omnes hæreſes iſtæ à Summis Pontificibus abſque ullo Generali Concilio, ſed vel ex Epiſtolis Decretalibus, vel ex Conciliis Provincialibus damnatæ ſunt. Contra Prædeſtinantianorum errorem Lugdunenſe, Arelatenſe Concilia particularia ſub Simplicio Papa anno 475. ſe oppoſuerunt: eodem ferè tempore ſub eodem Simplicio contra quoſdam hæreticos Concilium particulare Romanum coactum eſt: aliud item Romanum ſub Felice II. anno 483. contra Acatium, & Fullonem Antiochiæ Epiſcopos inſurrexit. Ex quibus perſpicuum eſt ad definiendum res de fide credendas Pontificem Romanum gene-

ralis Concilii ope non indigere. Confirmatur hæc eadem doctrina authoritate Sanctorum Patrum, qui illis temporibus floruerunt. In primis pro noſtra doctrina ſtat Sanctus Joannes Chriſoſtomus, in variis ſuorum operum locis: vixit ab anno 407. Cyrillus Alexandrinus, qui vixit ab anno 413. uſque ad annum 444. in lib. Theſauri de Sacra Trinitate, & allegatur à D. Thoma in opuſculo contra errores Græcorum cap. 68. & in opuſc. 19. cap. 3. S. Hieronymus, qui eodem Sæculo floruit, & anno 420. in cœlum migravit. S. Auguſtinus, S. Leo, S. Gelaſius, & alii plures, prout eos jam ſupra citavimus: Qui omnes infallibilem, indeficientemque Romani Pontificis in rebus fidei, & morum pro tota Eccleſia etiam abſque ullo Generali Concilio definiendis, authoritatem teſtantur. Unde illorum audaciam miror, qui noſtram doctrinam, novam eſſe aſſerere audeant; imò eos nequidem antiquos Patres legiſſe, ſalutaſſeque ſatis videtur.

71. Eodem Sæculo anno 449. Synodus Chalcedonenſis celebrata fuit; ad quam Leo Pontifex Maximus Julianum Epiſcopum, Renatum Presbyterum, Hilarium Diaconum Legatos miſit, præcipiens Concilio, nè à Decretis, definitionibuſque Sedis Apoſtolicę contra Eutychetem latum unguem diſcederent. Et Synodus ipſa Univerſalis ab ipſis Decretis, definitionibuſque Sedis Apoſtolicæ, ne latum unguem diſceſſit. Verba Leonis vide apud Authorem Galliç vindicatæ Diſſert. 4. §. 1. pag. 20. & ſequentibus: ubi expreſsè dicitur Concilii etiam Generalis Decreta à Summo Pontifice, & non Pontificis Decreta à Concilio corrigi debere. Ergone erit infallibilitas Concilii, quod à Pontifice corrigi debet; & non Pontificis, ad quem ſpectat Concilium emendare?

SECTIO VI.

Oſtenditur infallibilitas Romani Pontificis in definitionibus etiam extra Concilium factis, quinque ſequentibus Sæculis.

72. Sexto Sæculo Conſtantinopolitana Synodus 2. coacta fuit, in qua Theodori, Theodoreti, Ibæ, Neſtorii, Origenis, aliorumque hæreticorum errores proſcripti ſunt. Verum hujus Generalis Concilii definitiones nullum robur adeptæ ſunt, antequam à Vigilio Papa, & poſtea à Gregorio Magno lib. 1. Epiſt. 24. & lib. 2. Epiſt. 10. & 36. & à Nicolao I. Epiſtola ad Michaelem, de quibus Baron. ad annum 556. confirmarentur, corroborarenturque à Sedis Apoſtolicæ authoritate, quibuſdam reſciſſis, aliis vero approbatis. Itaque Concilium illud, utpote abſque Romani Antiſtitis conſenſu factum, nullum valorem, roburque obtinuit: & ideo poſtquam res fidei à prædictis Romanis Pontificibus extra illud Concilium definitæ fuerunt, illico Univerſa Eccleſia illis definitionibus acquievit. Aliæ verò per id temporis hæreſes in variis Conciliis Provincialibus, à Sede Apoſtolica confirmatis, damnatæ ſunt; videlicet Auruſicano Provinciali, ſeu Nationali anno 529. cujus Canones à Bonifatio II. confirmati, ſtabilitique fuere: & ſtatim abſque ullo Oecumenico habito Concilio, apud Univerſalem Eccleſiam in firmam fidei Regulam prodiere. Multæ præterea definitiones eodem Sæculo extra omne Concilium Generale à variis Pontificibus Romanis poſitæ ſunt: videlicet ab Hormiſda Pontifice Romano, qui ab anno 514. Eccleſiam adminiſtravit, à Joanne II. ab anno 532. à Vigilio ab anno 537. à Pelagio I. ab anno 577. à Gregorio Magno ab anno 590. uſque ad 604. qui duodecim libros Epiſtolarum fidem ſpectantium ſcripſit; quæ ab omnibus ubique fidelibus ſumma cum veneratione receptæ ſunt.

73. Septimo Sæculo hæreſis Monotheli-

thelitarum à Theodoro Pontifice Romano, qui anno 642. Eccleſiam Univerſalem regere cœpit, damnata fuit. Hujus Pontificis authoritate ann.648.Concilium particulare Romanum celebratum fuit: in quo damnavit Paulum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, & Pyrrhum in prædictam hæreſim opera Olympii Exarchi relapſum biennio, poſtquam adverſus illum Synodus Numidica, & Biſacena 42.Epiſcoporum,& Carthaginenſis Patrum 68. omnes tres ann. 646. celebratæ ſunt. Imò Sanctus Martinus Papa I. anno 649. contra eandem hæreſim ad omnes Chriſti fideles Epiſtolam ſcripſit; Cyrumque, Sergium, Paulum,& Pyrrhum diris devovit. Tandem prædicta hæreſis poſtea à ſexta Synodo Generali Conſtantinopolitana III. ſub Agathone Papa non ad augendam infallibilitatem, ſed ad majorem pompam, ſolemnitatemque, anno 680. damnata eſt.

74. Eodem Sæculo anno 692. (licet Patavinus alium annum aſſignet) tempore Sergii Papæ, Imperatoris Juſtiniani II. Synodus Quiniſexta vulgò dicta, convocata fuit; in qua conditi ſunt 102 Canones Trullani, quòd ea Synodus Trulli ſit habita, communiter appellati. Verùm à Sergio Papa, prout jam ſupra diximus, reprobata fuit, & ſolum aliqui Canones à Pontificibus Romanis confirmati robur obtinent; ut patet ex Canone 82. ab Adriano II. & in ſeptima Synodo Generali Act.2.& 4.confirmato: de quo videri poteſt Bellarminus lib. 1. Concilior.cap.7.& lib.2.de Pontifice Romano cap.18.Baron.ad annos 692. Turrianus in Apologia pro ſexta,& ſeptima Synodo. Unde nullam authoritatem Quiniſextæ Synodi Canones habuiſſe ex Judicio Eccleſiæ patet: ſiquidem abſque Pontificis Romani conſenſu,approbationeve conditi ſunt: Quandoquidem poteſtatem definiendi ultimo,& irreformabili judicio ſive in Conciliis Generalibus, ſive extra illa ſolum penes Pontificem Romanum pro Cathedra ritè definientem fuiſſe in omnibus Sæculis in Eccleſia uniformiter creditum fuit: neq; hoc aliquis, niſi Apoſtolicæ Sedi adverſus, denegavit.

75. Confirmantur omnia prædicta ex illuſtri præfati Agathonis ad Conſtantinum IV. majorem Imperatorem, & ad Heraclium, & Tyberium Auguſtos Epiſtola; quæ in ſexta Synodo Generali Act. 4. habetur ſic. *Exoro porrigere dignemini clementiſſimam dexteram Apoſtolicæ doctrinæ, quam cooperator piorum laborum veſtrorum B. Petrus Apoſtolus tradidit, non ut ſub modio condatur, ſed tuba clarius in toto orbe prædicetur: quia ejus vera confeſſio à Petro de cœlis eſt revelata; pro qua à Domino omnium Beatus eſſe pronuntiatus eſt Petrus, qui & ſpirituales oves Eccleſiæ ab ipſo Redemptore omnium tertia commendatione paſcendas ſuſcepit, cujus adnitente præſidio, hæc Apoſtolica ejus Eccleſia nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt; cujus authoritatem utpotè Apoſtolorum omnium Principis ſemper omnis Catholica Chriſti Eccleſia, & Univerſales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis ſecutæ ſunt: omneſque Venerabiles Patres Apoſtolicam ejus doctrinam amplexi, per quam, & probatiſſima Eccleſiæ Chriſti luminaria claruerunt; & Sancti quidem Doctores Orthodoxi venerati, ac ſecuti ſunt; hæretici autem falſis criminationibus, ac derogationum odiis inſecuti.*

76. Huc uſque oraculum Pontificium, in quo brevi eloquio omnes de infallibilitate Romani Pontificis, in definiendo res fidei tam intra, quàm extra Concilium probationes complectitur. Prima probatio eſt ex Sacra pagina. Secunda ex Generalibus Conciliis. Tertia ex Venerabilibus Patribus Catholicæ Eccleſiæ luminibus; & eos, qui huic doctrinæ Catholicæ adverſantur, eſſe plerumque perduelles hæreticos, qui falſis criminationibus,& derogationum odiis, illam probatiſſimam Catholicam doctrinam inſecuti ſunt. Huic oraculo Pontificio Conſtantinus Imperator Pogonatus in litteris ad Apoſtolicam Sedem his illuſtribus quidem verbis applaudit. Omnes conſonanter mente, ac lingua concredimus,& ſimiliter confeſſi ſumus & tamquam ipſius Divini Petri vocem, Agathonis Relationem ſupermirati ſumus. Ad hanc Agathonis vocem SS. PP. elogia, ne multus ſiam, prætermitto.

Octa-

77. Octavo Sæculo variæ exortæ ſunt hæreſes, ut videre eſt apud Damaſcenum lib. de hæreſibus, Sander. hæreſi 129. Caniſium in Chronico, Baronium anno 745. Euthym. hæreſi 132. Antoninum 4. p. tit. 11. cap. 7. de quibus modo diſceptare non vacat; ſed ad ſcopum, inſtitutumque noſtrum, aſſerimus, omnes illas hæreſes apud eos Authores relatas ab Apoſtolica Petri Sede proſcriptas, damnataſque fuiſſe; & nullo expectato generali Concilio, fideles omnes, ex ſola Romani Pontificis definitione, ut hæreticas habuiſſe, atque horruiſſe. Præcipua tamen hæreſis in hoc Sæculo contra ſacrarum imaginum cultum excitata fuit. Illam Pontifices Romani variis in Conciliis Provincialibus ante omne Concilium Generale damnarunt. Gregorius II. anno 726. cum Epiſcopis Occidentalibus in Concilio Romano Leonem Izauricum, hæreſim contra ſacras imagines ſequentem, condemnavit. Gregorius III. in Concilio Romano 93. Epiſcoporum id ipſum denuo ſanxit. Præterea circa hunc articulum definitum Conſtantino Capronico contumaciter obſiſtente, unumque Conciliabulum Conſtantinopoli convocante, Stephanus Papa III. anno 769. contra eoſdem perduelles Romæ Concilium celebravit: donec ann. 787. Adriani I. Pontificis Romani juſſu, præſente Conſtantino IV. Imperatore, ejuſque Matre Irene 7. Synodus generalis Nicæna 3. cum 350. Epiſcopis Niceæ coacta fuit; in qua ſacrarum imaginum cultus jam à Sede Apoſtolica definitus, iterum ad majorē ſolemnitatem, publicitatemque, non verò ad augendam majorem infallibilitatem ſancitus, ſtabilituſque fuit.

78. Eodem Sæculo anno 773. teſte Anaſtaſio, Gregorius III. coacto Romæ 93. Epiſcoporum Concilio, decrevit, ut, Si quis deinde antiquæ conſuetudinis, & Apoſtolicæ Sedis fidelem uſum contemnens, adverſus eandem venerationem ſacrarum imaginum depoſitor, atque deſtructor, ac prophanator, vel blaſphemus extiterit, ſit extorris à corpore, & ſanguine Domini Noſtri Jeſu Chriſti, vel totius Eccleſiæ unitate, atque compage. Eodem Sæculo anno 786. ſecunda Oecumenica Synodus Nicæna pro Sacrarum imaginum cultu celebrata eſt; ubi ſic habent Synodi Acta: & ibi Adrianus Epiſtola ad Auguſtos: *Vos autem maximè in traditione Orthodoxæ fidei Eccleſiæ B. Petri, & Pauli Principum Apoſtolorum acquieſcetis; eamque amplectemini, quemadmodum à Superioribus Imperatoribus factum eſt; qui Vicarium ejus ex toto corde dilexerunt.* Et infra. Hi ſiquidem Principes Apoſtolorum ſunt; qui Catholicam Orthodoxam fidem auſpicati ſervandam præceperunt omnibus, ſcilicet, qui in Sedes eorum ſucceſſuri erant, & in fide eorum uſque ad conſumationem ſæculi permanſuri. Et infra præſcribens, quid fieri, quid omitti à Synodo debeat, ita ait. -- Si verò impoſſibile eſt ipſas Sacras imagines ſine Synodi actione in priſtino erigere, ac confirmare ſtatu, ſicut in veſtris fertur imperialibus juſſionibus; in primis Pſeudoſillogus; qui ſine Apoſtolica Sede enormiter, nequiter, irrationabiliter contra Sanctorum Patrum traditionem de Sacris imaginibus actus eſt, anathematizetur præſentibus literis noſtris miſſis: & tunc, ſicut antiquitus mox extitit, jurejurando veſtra piiſſima, ac tranquilliſſima poteſtas, una cum Domina Auguſta, ſeu ejuſdem Regiæ Urbis Patriarcha, necnon & cuncto Senatu corporale tribuentes Sacramentum verbum commonitorium, ſicut antiquitus nobis dirigere veſtra dignetur Sacra Imperialis poteſtas, quod non eſt apud vos partis cujuslibet ſervor, aut defenſio; ſed æqualitatem utriſque partibus conſervabitis, nullatenus neceſſitatem facientes iis, qui à nobis mittuntur; ſed omni honore eos habebitis, & ſiquidem utrique convenerint, ecce bene: ſin autem minimè convenerint, cum omni humanitate ad nos dirigere ſatagatis. -- An Imperator; ejuſque toto orbe ſubditi ſoli Pontificis authoritati in rebus fidem, ſalutemque æternam ſpectantibus acquieſcerent, ſi ea fallibilis foret? An ſic loquenti Pontifici Concilium nō obſiſteret, ſi ejus definitionem infallibilem eſſe non judicaret? An Imperator Legatos Papæ ad ipſum remitteret contempto Concilio diſſentiente fortè legatis,

tis, ſi Concilium plus, quàm Papa, infallibilitatis haberet? non potiùs Concilio, quàm Papæ obtemperaret? Concilium diſſentiens non conſtringeret legatos? non coerceret? non eos ſibi obedire, Papæ authoritate contempta, cogeret? Igitur ex ipſis actis evidens eſt plus authoritatis ad definiendum res fidei Romano Pontifici, quàm Concilio ineſſe.

79. Idem Adrianus in Epiſtola ad Tharaſium Patriarcham, ita ſcribit: *Cujus* (Petri) *etiam Sedes per totum terrarum orbem Primatum obtinens diſcet, omniumque Eccleſiarum Dei caput exiſtit; cui etiam velim beata veſtra Sanctitas ex ſyncera mente, & toto corde adglutinetur; utpotè, quæ ſit reverarectè ſentiens, & pietatis incorruptæ conſervatrix; veſtraque beatitudo piiſſimos noſtros Imperatores ſupplicibus verbis admonebit, ut Eccleſiæ noſtræ veſtigia ſequentes, & ſervantes traditionem hujus Sanctiſſimæ noſtræ Romanæ Eccleſiæ &c.* Eſſetne incorruptæ fidei conſervatrix Romanæ Sedis authoritas, ſi fallibilitati eſſet obnoxia? Quo pacto ſuadere poſſet Patriarchæ, ut Imperatores admoneret, ad Romanæ Sedis veſtigia ſequenda, ſi hæc poſſent fallere; ſi ad errorem inducere, fidemque diſſipare, labefactareque?

80. Item in Actione 2. ejuſdem Oecumenicæ Synodi habetur, ſic Pontificis Legatos dixiſſe: *Dicat nobis Sacra Synodus, num recipiat Sanctiſsimi Papæ veteris Romæ literas, an ſecus? Sancta Synodus reſpondit: Sequimur, recipimus, approbamus.* Quod ſi Synodus non recepiſſet, Legati ex accepto Papæ præſcripto, à Concilio diſcederent; ſicque totum Concilium diſſolveretur. Si Decretales Pontificis literæ fallibilitatis forent obnoxiæ, ſi ad errorem poſſent inducere, quomodo Synodus, Patreſque omnes literas illas pro infallibili fidei regula ſuſciperent? cur non illas examinarent, explorarentque, utrum falſum, verumvè continerent, ſolumque contenti eſſent ſciendo à Romana Sede manaſſe? Et ideo Patres Actione 6. Conciliabulum Conſtantinopolitanum, quod Iconoclaſtæ pro vero Concilio 7. Univerſali appellabant, hac ſola ratione improbarunt. *Quia nullum habuit cooperarium Romanum Papam, neque illius Sacerdotes, neque per Vicarios, neque per Provinciales literas, quemadmodum fieri in Synodis debet.* Si hac ſola ratione Univerſale etiam Concilium fallibile redditur, quod Romani Pontificis deeſſet authoritas, quis hujus Romani Pontificis authoritatem infallibilem eſſe negabit? an ex Concilio fallibili, & ex Papa fallibili infallibilis concluſio deduceretur? in duplici arundine fragili ſubnixa moles non corruet? At dices fragilem eſſe calamum, Concilium ſine Papa, verùm, fragilem eſſe calamum, Papam ſine Concilio. Cæterum jam ſatis hæc ſupra manet objectio expugnata; membris ne, & non ſoli capiti fuit hoc infallibilitatis privilegium à Chriſto conceſſum? An fratribus dictum eſt, ut confirmarent Petrum, & non potius Petro, ut confirmaret fratres? pro hoc ſecundo clamant Scriptura Sacra, Patres, Canones, cordatioreſque Doctores, & antiqua traditio; prout ſupra clariſſimè demonſtratum eſt: & non juvat hîc iterum repetere. Et notanda ſunt verba Concilii; *Quemadmodum in Synodis fieri debet.* Romani Pontificis confirmatio Oecumenicis Conciliis nō eſt dumtaxat convenientiæ, ſed debiti; ut libera quorundam frænetur audacia, qui contra Conciliorum Decreta dicunt Confirmationem Romani Pontificis Oecumenicis Conciliis pro convenientia, & non pro debito, requiri. In quo ipſi vel temerè proceſſerunt, Conciliis adverſantes, vel valdè negligenter, imperitèque Concilia non legentes; utrumque homine ſapiente, ſtudioſoque indignum.

81. Eodem Sæculo, videlicet anno 869. cœpta eſt celebrari Conſtantinopoli 8. Oecumenica Synodus, authoritate Adriani Papæ, hoc nomine ſecundi, ubi Act. 5. Adrianus Pontifex Maximus Concilio imperat, præſcribitque, quid fieri oporteat; & inſuper libellum Patribus legendum proponit, cui omnes ſubſcribere teneantur. Quomodo Patres illi ſubſcriberent libello ab omnibus toto orbe fidelibus obſervando, ſi Pontificis authoritatem erroribus obnoxiam eſſe diiudicarent? Audi nunc Adrianum

in

in Epiſtola ad Imperatorem Baſilium data, & in Synodo Generali omnium approbatione perlecta; quæ ſic habet. *Volumus numeroſum Concilium Conſtantinopoli celebrare; cui noſtri miſſi præſidentes, & culparum, perſonarumque differentias liquido cognoſcentes, juxta quod in mandatis acceperunt, in quo ſacro cœtu execrandæ vanitatis Concilii, quod adverſus hanc Sedem actum eſt; cuncta decernimus exemplaria igne cremari, nec ſupereſſe apud quemlibet vel unum jota, niſi quis totius clericatus, imò totius nominis Chriſtiani anathemate percuſſus carere voluerit.* Et mox in eadem Synodo lectus fuit tanquam infallibilis fidei regula Pontificis Maximi Adriani libellus; qui ſic habet: *Anathematizamus hæreſes ſimul cum Iconomachis: anathematizamus etiam Photium, donec Sedis Apoſtolicæ ſanctionibus inobediens perſeverans ejus ſententiam tam de ſe, quàm de Patriarcha noſtro Ignatio ſpreverit, & Conciliabuli acta; quod ſe authore contra Sedis Apoſtolicæ voluntatem congregatum eſt, anathematizare diſtulerit. Sequimur autem Sanctam Synodum, & amplectimur, quam beatæ recordationis Papa Nicolaus, cui & ipſe coevangelice Papa Adriane ſubſcripſiſti; ſimul & quam tu ipſe egiſti; & omnia, quæ in eis ſtatuta ſunt ſecundum Decreti veſtri moderationem venerabiliter conſervabimus, recipientes, quæ recipiunt, & damnantes, quæ in illis damnatæ ſunt. Sancta Synodus dixit: omnibus placet libellus à Sancta Romana Eccleſia expoſitus.* Et tertia Epiſtola Adriani ad Synodum ita habet: *Romanorum Pontificem de omnium Eccleſiarum præſulibus judicaſſe legimus; de eo verò quemque judicaſſe non legimus.* Et mox excipit caſum hæreſis; *propter quam*, inquit, *ſolum licitum eſt minoribus majorum ſuorum motibus reſiſtere; quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec cæterorum Antiſtitum cuiquam de eo quamlibet fas fuerit ſententiam proferre, niſi ejuſdem primæ Sedis Pontificis conſenſus præceſſiſſet.* Loquitur in caſu, quo aliquis Pontifex Romanus poſt mortem repertus fuerit in aliquem errorem hæreſis prolapſus; ut aliqui exiſtimant de Honorio: tunc enim memoria ejus neque à Concilio Generali ſine primæ Sedis Pontificis conſenſu damnari poteſt.

82. Ex his omnibus inſignia Summi Pontificis in definiendis fidei cauſis infallibilitatis privilegia maniſeſtiſſimè comprobantur: nam quo pacto poſſet unius Concilii, multorum opinione, univerſalis Acta igne cremare, & id, quod credi deberet, alteri Concilio Oecumenico, legitimoque, Patribus omnibus illico unanimiter obtemperantibus proponere, ſi Pontifex infallibilitatem non haberet? Reciperentne Patres illud Pontificis definientis dogma, ut certa, infallibique fide credendum, ſi fallibilem Pontificis authoritatem eſſe putarent? Libellum fidei ab eodem Papa propoſitum, ſine ullo prorſus examine priùs facto, explorationeque indubitatè credendum ſuſciperent; ſi poſſe eum in proponendis fidei articulis errare cogitarent? Hæc adeò ſunt manifeſta, ut faciliùs ſit meridie negare Solem, quàm veritatem iſtam meridiana luce clariorem pernegare. Præterea Actione 4. lectæ ſunt Epiſtolæ Nicolai I. Summi Pontificis, maximiſque laudibus à toto Concilio celebratæ; & ita habent; ſcriptæ antea ad Imperatorem Michaelem, de quibus jam Diſceptatione I. egimus. *Non ergo dicatis in cauſa pietatis Eccleſiæ Romanæ non eguiſſe; quæ collecta Concilia ſua authoritate firmat &c.* & infra. *Patet profectò Sedis Apoſtolicæ, cujus authoritate major non eſt, judicium à nemine fore retractandum; neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio.* Idem Nicolaus in Romana Synodo, ibi. *Si quis dogmata, mandata, interdicta, ſanctiones, vel Decreta pro Catholica fide, pro Eccleſiaſtica diſciplina à Sedis Apoſtolicæ Præſule ſalubriter promulgata contempſerit, anathema ſit.* In eodem libello à Nicolao Papa confecto, & à Sancta Synodo ſine ulla examinatione recepto; poſtquam ibi Pontifex Primatum ſuum ſuper omnes omninò Eccleſias multis oſtenderit; tandem ſubjungit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: Hæc, quæ dicta ſunt, rerum probantur effectu: quia in Sede Apoſtolica eſt immaculata ſemper Catholica reſervata Religio, & ſancta celebrata doctrina.*

Et

Et in ejuſdem Nicolai Epiſt. 8. ad Imperatorem Michaelem in eodem Concilio perlecta, ſic habet: *Nulla regula, nulla conſuetudo demonſtrat Sedis Apoſtolicæ ſemel prolatam ſententiam, ipſa non annuente, poſſe mutari*. Si hæc Pontificis verba falſa forent; ſi aliqua in Romana Eccleſia fuiſſet definita hæreſis, aut in poſterum definiri poſſet; nonne Oecumenica illa Synodus fortiter obſiſteret? Hæc tanquam fidei dogmata ſuſciperet, & non potiùs reſpueret? Denique omnium apertiſſimè authoritas Romani Pontificis ſupra Generale Concilium, & conſequenter Papæ infallibilitas definita eſt in Actione 21. & in aliis additionibus in Canone 13. ejuſdem octavæ Oecumenicæ Synodi per hæc verba. *Synodus ſi fuerit Univerſalis congregata, & facta fuerit etiam de Sancta Romana Eccleſia quædam ambiguitas, & controverſia, oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia ſciſcitari, & ſolutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere; non tamen audacter ſententiam dicere contra Summos Senioris Romæ Pontifices*. Quid pro infallibili Romani Pontificis authoritate clariùs ab una Synodo Oecumenica dici poſſet? Sciſcitari, expectareque ultimam Romani Pontificis determinationem, illique acquieſcere Synodum Univerſalem, eſt ne habere Synodum Univerſalem ſupra Papam authoritatem? eſt ne illum judicare fallibilem, cujus ultimam determinationem, tanquam infallibilem regulam tota Univerſalis, & Orthodoxa Synodus expectat? Quę decernit, omnes, qui contra Summos Pontifices Romanos ſententiam dixerint, nimis eſſe temerarios, & audaces, nonne definit nullius judicio, ſententiæque Romanum Pontificem ſubdi?

84. Sæculo nono, nonnulli perduelles hæretici contra Catholicam fidem inſurrexere. Primus fuit Claudius, qui etiam Clemens appellabatur. Is ſacrarum imaginum cultum denegabat. Item Sanctos adorandos non eſſe docebat: pro venia peccatorum, peregrinationes Romam fieri non licere: baptiſmum ſine Crucis ſigno in fronte invalidum eſſe: pluresque habuit ſequaces, ut videre eſt apud Baronium anno 825. num. 68. & ſequentibus. Iſtæ vero hæreſes à Paſchali Papa I. qui ab anno 817. uſque ad 824. Eccleſiam rexit, abſque ullo Generali Concilio proſcriptæ ſunt, & ſtatim fideles Paſchalis definitioni, ut infallibili oraculo, aſſenſerunt. Secundus fuit Gotheſcalcus, qui contra divinas prædefinitiones, liberumque arbitrium plures errores habuit, docens, non fuiſſe in illius, qui ſalvatur, poteſtate non ſalvari; nec in illius poteſtate, qui damnatur, non damnari. Iſti errores in variis Conciliis Provincialibus damnati ſunt. In Moguntino anno 848. in Valentino, in Gallia anno 855. & jam damnati fuerant in Concilio Arauſicano particulari ſecundo, quæ Concilia confirmata ſunt à Pontificibus Romanis Bonifacio II. & à S. Nicolao; & ex ſolis his Pontificiis definitionibus damnatio illorum errorum hæreſumque fuit in tota Eccleſia, tanquam ab infallibili veritatis oraculo dimanans, firmiter credita. Quod tandem Tridentina Synodus ſeſſ. 6. Can. 17. allegatis Conciliis adhærens, confirmavit, his verbis. *Si quis juſtificationis gratiam nonniſi prædeſtinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos verò omnes, qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere, utpotè divina poteſtate prædeſtinatos ad malum, anathema ſit*.

85. Eodem Sæculo nono. Errores Photii, Proceſſionis Spiritus Sancti à ſolo Patre, diſſeminati ſunt. Quòd verò errores iſti à Pontificibus Romanis, abſque ullo Generali Concilio, proſcripti fuerint, clarè probatur, quod in hoc Sæculo nono coacta fuit octava Synodus Generalis, quarta Conſtantinopolitana ſub Adriano II. in qua tamen error ille damnatus non fuit; ſed neque in Concilio Generali nono Lateranenſi I. ſub Calixto Papa II. anno 1122. nec in 10. & 11. Generali II. & III. Lateranenſi; ut ex illorum Actis liquidò conſtat: unde toto illo tempore interjecto inter 8. & 9. Concilium Generale; in quo 253. anni connumerantur, & error ille Photii damnatus, & Spiritus Sancti à Patre, Filioque Proceſſio à ſolis Pontificibus Romanis abſque ullo Generali Concilio definita fuit: ſiquidem tempore Leo-

nis IX. qui circa annum 1054. Eccleſiam rexit, conſtat ex hiſtoriis illius temporis, jam particulam illam, *Filioque*, qua Spiritus Sanctus à Patre, Filioque procedere ſignificatur; in Eccleſia Romana Symbolo Nicæno in Miſſa cantari ſolito additam fuiſſe: Cum igitur Spiritus Sancti ab utroque proceſſio à prædictis Cõciliis Generalibus eo tempore coactis non fuerit definita, neceſſariò infertur ab aliquo Pontifice Romano abſque ullo Concilio Generali definitam fuiſſe.

86. Eodem Sæculo anno 878. Patres Concilii Trecenſis in Gallia habiti, ſic ad Romanum Pontificem loquuntur: *Judicium veſtræ authoritatis, quod privilegio Divi Petri, & Sedis Apoſtolicæ judicio voto, voce, & unanimitate veſtra proſequimur; ſcilicet, quod excommunicaſtis, excommunicamus, quos ab Eccleſia abjeciſtis, abiicimus.* An ne Patres Concilii dubiæ Pontificis authoritati acquieſcerent? an infallibilitas iſta Pontificis privato ejus judicio, Doctoreſque privati ſententiæ, & non potius Petri, Apoſtolicæque Sedis privilegio ex Chriſti Servatoris optimi promiſſione infallibili, arrogarunt?

87. Eodem Sæculo, videlicet anno 843. Gregorius IV. Pontifex Maximus in Epiſtola ad univerſos Epiſcopos relata in cap. Præceptis d. 12. ſic ait: *Omnis Sanctæ Religionis relatio ad Sedem Apoſtolicam, tanquam ad caput Eccleſiarum debeat referri, & inde normam ſumere, ubi ſumpſit originem, cujus authoritatis ſanctionem omnes teneant Sacerdotes, qui nolunt ab Apoſtolicæ petræ, ſupra quam Chriſtus fundavit Eccleſiam, ſocietate divelli.* Si ab Eccleſia Chriſti divelluntur, qui ab infallibili Romanæ Sedis authoritate recedunt, cujus Eccleſiæ erunt, qui hanc authoritatem fallibilem eſſe contendunt?

In 10. Sæculo nulla, tàm à Pontificibus, quàm ab aliqua Synodo definitio reperitur: quia in hoc Sæculo nulla in Eccleſia hæreſis exorta fuit. Solum invenitur unum particulare Concilium à 13. Epiſcopis Provinciarum Remenſis, & Senonenſis in Regno Galliæ celebratum, ubi Patres juxta Canones Sacros circa fidei cauſas, & alias ex gravioribus, pro ultimo judicio, determinationeque ultima, ad Pontificem Romanum recurrendum eſſe decreverunt.

SECTIO VII.

De definitionibus Pontificum extra Concilium ſequentibus Sæculis, videlicet 11. 12. 13.

88. SÆculo 11. anno 1065. Nicolaus Papa II. in Epiſtola ad Mediolanenſes relata in c. Omnes d. 22. prout jam ſupra tetigimus, ſic habet: *Fidem violat, qui adverſus illam agit; quæ Mater eſt fidei, & illi contumax invenitur, qui eam forſan non cunctis Eccleſiis prætuliſſe invenitur.* Quis neſcit fidem eſſe infallibilem, cum in infallibili Dei oraculo inconcuſſa nitatur? Erit ne igitur Sedes Romana fallibilis, ſi Mater eſt fidei? quî fieri poteſt, ut machina ſit infallibilis, ſi fundamentum, quo nititur, fragile, fallibileque ſit?

Eodem Sæculo anno 1085. Gregorius VII. in Canone 26. ita ait: *Catholicus non habetur, qui non concordat Romanæ Eccleſiæ.* Scio apud Gallos Gregorium VII. nimiæ ſeveritatis coargui. At ſeverum dixeris eum, qui nihil aliud profert, quàm quod cæteri Patres Sanctiſſimi protulere? Nonne illis Adverſariis in hoc poteſt aptari illud Hieronymi dictum in Epiſt. 77. *Quid unum hominem exceptis ſociis criminantur? Si riuus tenuiter fluit, non eſt alvei culpa, ſed fontis.*

Eodem Sæculo anno 1054. Leo IX. in Epiſt. ad Michaelem Patriarcham Cõſtantinopolitanum, ita ait: *Quid hoc monſtri eſt, frater Chariſſime? Romana Eccleſia adeo non eſt ſola, vel ſicut ut putas, una, ut in toto orbe terrarum, quæcunque Natio diſſentit ſuperbè ab ea; non ſit jam dicenda, vel habenda Eccleſia aliqua, ſed omnino nulla, quin potius Conciliabulum hæreticorum, aut conventiculum Schiſmaticorum, & Synagoga ſatanæ.* Quomodo dici non poteſt infallibilis Romana Sedes, ſeu Pontifex in ea ſedens; ſi omnis alia, quæ ideò, quòd illi non adhæret, fallibilis, hæretica, ſchiſmatica, & Synagoga ſatanæ nuncupari debet?

Si

Si Romana Sedes fallibilis Regula ſit, quo pacto aliis erit Regula infallibilis? effectum, quem ipſa non habet, aliis præſtare poterit? erit ne rectæ lineæ regula, quæ curua eſt?

89. Eodem Sæculo hæreſis contra veram, & realem Corporis, & Sanguinis Domini in Sacroſancta Euchariſtia à quodam Leutherico Archiepiſcopo Senonenſi excitata fuit; ſed hic à Rege Galliæ Roberto Chriſtianiſſimo acriter increpatus, teſte Hegaldo in vita Roberti prædicti, ſive ex amittendæ dignitatis metu, ſive ex affectu virtutis hæreſim retractavit. Non multo poſt Berengarius natione Gallus, patria Turonenſis hanc eandem hæreſim diſſeminare cœpit: ſed Leo Papa IX. anno Dom. 1049. in Pontificatum aſſumptus, habito Romę Concilio Provinciali, hanc hæreſim ſequenti anno proſcripſit. Ab eodem Leone in alio particulari Concilio Verſellis coacto; ad quod Berengarius vocatus adire noluit, iterum damnatus fuit. Eodem anno contra eundem perduellem nouum aliud Concilium Lutetiæ Pariſiorum coactum eſt: Nec propterea Berengarius à ſua veſania ceſſavit. Ideoque Victor II. Pontifex Romanus, qui Leoni ſucceſſerat, aliud Provinciale Concilium Florentiæ anno 1055. habuit: quo iterum Berengarii hæreſis proſcripta fuit. Aliud præterea Turonenſe Concilium, cui Hildebrandus ejuſdem Papę Legatus præfuit, convocatum eſt; in quo tandem prædictus hæreticus ſuam pernicioſam hæreſim ejuravit; libroſque omnes, quos contra Sacram Euchariſtiam ediderat, flammis combuſſit. At verò iterum ad vomitum, Dæmone inſtigante, relapſus, in alio Concilio juſſu Gregorii VII. Pictavis coacto, anno 1076. Præſide Girando Sedis Apoſtolicæ Legato, iterum condemnatus fuit. Tandem ab eodem Gregorio VII. anno 1079. Pontificatus ſui anno 6. habitum Romæ Concilium fuit, in quo Berengarius, toties relapſus; ad veram jam pœnitentiam ductus fidem Catholicā profeſſus eſt; & Catholicus ad finem uſque vitæ perſeveravit. Hîc ab Authoribus tria obſervantur. Primum, hanc hæreſim ſolum in particularibus Conciliis damnatam fuiſſe; cui damnationi abſq; ullo Generali Concilio expectato, omnes Chriſtifideles acquievere. Secundum, hunc Berengarium pactum, communicationemque cum Dœmone, ſicut de Luthero, aliiſque hæreticis legitur, ſecretò habuiſſe. Tertium, ea multiplicata Concilia majorem ſolemnitatem, publicitatemque, non majorem infallibilitatem, addere.

90. Eodem Sæculo audaciam quorundam Principum jus dandi inveſtituram in beneficia Eccleſiaſtica Gregorius VII. abſque ullo Concilio Generali hæreticam eſſe definivit: quod in fine hujus Sæculi Urbanus Papa II. inſtauravit. Et ex hac tantùm Romani Pontificis definitione, non expectato aliquo generali Concilio, cœteri fideles eos Principes, abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ privilegio contrarium tenentes, tanquam hæreticos habuere. Nec ex hoc ſequitur Paſchalem Papam II. qui Henrico Imperatori privilegium illud invitus, metuque coactus conceſſit, in fide erraſſe: definitio enim Pontificis Gregorii ſolum eos, qui abſque privilegio id poſſe fieri aſſerunt, non autem eos, qui privilegium illud concedunt, comprehendit. Quis enim dicat concedere privilegium, & aſſerere, id poſſe abſque ullo privilegio fieri, idem eſſe? Imò Paſchalis factum jus in contrarium confirmat: ſi enim jus Imperatori quæſitum foret, conceſſum à Pontifice privilegium non expoſceret, expectaretque: neque enim quod quiſque ſuum obtinet, ab alio ſibi dari depoſcit.

91. Sæculo 12. anno, videlicet 1117. hæreſes vetuſtæ per Durandum Waldacho in Aragonia ab Orco excitatæ ſunt; quarum una erat, Matrimonium nihil aliud, quam occultam fornicationem eſſe. Eodem ferè tempore Marſilius quidam Paduanus multos errores tradidit; de quibus Aluarus Pelagius lib. 1. de planctu Eccleſiæ ar. 68. Prateolus verb. Marſilius nu. 17. Primus illius error fuit, Papam poſt Chriſti Domini Aſcenſionem Chriſti Vicarium non permanſiſſe. Secundus, Papam Imperatoris judicio ſubjacere, & Imperatorem, Sede vacante, Summo Pontifici ſucce-

dere. Tertius, viros Eccleſiaſticos in bona externa dominium habendi prorſus incapaces eſſe. Quartus, inter Epiſcopos, & ſimplices Sacerdotes, nullum diſcrimen intercedere. Omnes hæ prænarratæ hæreſes abſque ulla generali Synodo à Romanis Pontificibus damnatæ ſunt: neque enim eo tempore ullum generale Concilium celebratum eſt. Sequenti anno, videlicet 1118. quo fuit electus Pontifex Maximus Gelaſius II. imperante Alexio in Oriente, Baſilius quidam Hæreſiarcha propter horribiles hæreſes, de quibus Baronius ad prædictum annum, Gualterus Sæculo 12. cap. 3. igni traditus fuit, hæreſibus, non Concilio, ſed definitione Papæ proſcriptis.

92. Eodem Sæculo tempore Calixti II. ann. 1126. Germanus quidam Tundelinus non minus horribiles hæreſes diſſeminavit, quæ teſte Continuatore Sigiberti ad annum 1224. lautiſſimè epulabatur, ſplendido veſtium luxu vaniſſimè uſus; docebatque Sacerdotalem ſtatum inutilem eſſe, Euchariſtiæ perceptionem ad nihil deſervire; è contrario autem Virgines etiam in præſentia ſuarum matrum, uxoreſque alienas in ſuorum virorum præſentia comprimere, fructuoſum, utileque eſſe, hoc à natura, tanquam ipſius naturæ debitum, quo, ſicut aliis bonis ſibi jure quæſitis, privari nefas eſt, inviolabiliter præſtari; atque ad tuendum hoc naturæ jus ſibi proprium, poſſe licitè illud impedientes occidere; ſicut licitè occidi poteſt, qui bona fortunæ à proprio Domino per vim auferre contenderet. Ex hac beſtiali doctrina ſtupra, adulteria, multaque homicidia ſequebantur. Hæc immanis bellua, monſtroſuſque hæreticus, à quodam Presbytero percuſſus, miſerè interiit: Sanctuſque Robertus, qui eo tempore floruit, Apoſtolico vir ſpiritu, magnam hominum, fœminarumque multitudinem, ab illo fœdiſſimo Nebulone ſeductam, in Germania reduxit. Eodem ferè tempore perniciosa Petrobruſſaniorum à Petro Bruſſino lues per univerſam Galliam graſſabatur; qui per 20. annorum ſpatium peſtiferos in Gallia errores contra Eccleſiæ Sacramenta diſſeminavit: item Crucem utpote Chriſto injurioſam abominandam potius, quàm adorandam eſſe docebat: quos, & alios ſimiles errores Sanctiſſimus ac Sapientiſſimus Abbas Cluniacenſis prædicatione, ſcriptiſque diſertiſſimè confutavit. Et ipſe impiiſſimus Hæreſiarcha in ſua ſtolida pertinacia, obſtinationeque perſiſtens, flammis viuus traditus eſt. Omnes prædictæ hæreſes abſque ullo Generali Concilio, ſed ſola Pontificum Romanorum definitione damnatæ ſunt. Cui damnationi mox tota Eccleſia indubitanter acquievit: licet poſtea in variis Conciliis Generalibus proſcriptæ fuerint; ut in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. & in Vienenſi ſub Clemente V. non causâ addendi majorem infallibilitatem, ſed ut eadem ex Pontificia definitione infallibilitas majori ſolemnitate, notitiaque clariori promicaret.

93. Eodem Sæculo, videlicet anno 1138. varii errores Petri Abailardi natione Galli, ejuſque Aſeclæ Arnaldi de Brixia Natione Itali diſſeminati ſunt; contra quos D. Bernardus Epiſt. 192. Caſtro de hæreticis, & alii. In primis præfati perduelles circa Trinitatis Myſterium cum Arianis, circa Divinam gratiam cum Pelagianis, circa Incarnationis Myſterium cum Neſtorianis conſenſerant. Item Angelis vim creandi ex nihilo arrogabant: docebantque, Deum agens liberum non eſſe, homines neceſſariò operari, & arbitrium liberum non habere. Ultra hos errores Alnardus de ſuo addidit, bona omnia temporalia, ita laicorum propria eſſe; ut ab Eccleſiaſticis ulla poſſideri nefas ſit. De hoc videri poſſunt, Baronius ad annum 1140. Othofriſingenſis l. 2. cap. 2. Prædictas Innocentius II. nullo Generali convocato Concilio damnavit: & ſtatim omnes Chriſti fideles eas, tanquam hæreſes, habuere.

Circa idem tempus Gilbertus Porrectanus plures errores ſparſit; de quibus Othofriſingenſis lib. 1. cap. 50. Baron. ad annum 1147. & 1148. Primus error fuit, quòd Divina natura forma Dei ſit, non Deus; quemadmodum humanitas eſt forma hominis, non homo. Secundus, quòd cum Pater, & Filius, &

Spi-

Spiritus Sanctus unum eſſe dicuntur, nonniſi una Divinitate intelligantur; necconverti poſſit, ut vel unus Deus, vel una ſubſtantia, vel unum aliquid Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus eſſe dicatur. Tertius error, quòd tres Perſonæ ſint realiter diſtinctæ à Natura Divina. Quartus error, quòd Natura Divina nullo modo ſit Incarnata. Quintus, quòd ſolus Chriſtus mereatur, non homo, vel Angelus. Sextus, quòd nullus baptizetur, niſi, qui ſalvandus eſt. Hos errores præcipuè Trinitatis Myſterium ſpectantes Eugenius III. hoc Decreto diffinitivo cõtra Gilberti dogmata damnavit, quod ita habet. *Credimus, & confitemur ſimplicem Naturam Divinitatis eſſe Deum, nec aliquo ſenſu Catholico poſſe negari, quin Divinitas ſit Deus, & Deus Divinitas: ſicubi verò dicitur Dominum Sapientiâ Sapientem, Magnitudine Magnum, Divinitate Deum eſſe, & alia hujuſmodi; credimus, nonniſi ea Magnitudine, quæ eſt ipſe Deus, Magnum eſſe, nonniſi ea Æternitate, quæ eſt ipſe Deus, Æternum eſſe, nonniſi ea Unitate Unum, quæ eſt ipſe, nonniſi ea Divinitate Deum, quæ eſt ipſe; ideſt, ſe ipſo ſapientem, magnum, æternum, unum Deum: Cum de tribus Perſonis loquimur, Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, ipſas Unum Deum, unam Divinam ſubſtantiam eſſe fatemur, & è converſo, cùm de Uno Deo, Unâ Divinâ ſubſtantiâ loquimur, ipſum unũ Deum, Unam Divinam ſubſtantiam eſſe tres Perſonas confitemur. Credimus, & confitemur ſolum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum æternum eſſe, nec alias omnino res, ſive Relationes, ſive proprietates, ſive ſingularitates, ſive unitates dicantur, vel alia hujuſcemodi adeſſe Deo, quæ ſint ab æterno, & non ſint Deus. Credimus, & confitemur ipſam Divinitatem, ſive Subſtantiam Divinam, ſive Naturam Divinam dicas Incarnatam eſſe, ſed in Filio.*

94. Poſita definitione hac Pontificia ſine aliquo Oecumenico Concilio, omnes Chriſtifideles hoc tanquam fide certum credidere: imò & ipſe Gilbertus qui ſubitò ultimo, irreformabilique Romani Pontificis judicio ſe ſubjecit; & quando illos errores docuit; ullam contumaciam non habuit: ideoque formaliter hæreticus non fuit: ad formalem quippè hæreſim contumacia, inobedientiaque requiritur; ut cum D. Auguſtino Epiſt. 162. & D.Tho.2.2. q.10.art.2. omnes Theologi docent; ac idcircò Gilbertus Epiſcopali ſuæ Sedi à Romano Pontifice reſtitutus fuit: quia tamen nonnulli ejus diſcipuli Pontificiæ definitioni non acquievere, ideo in Eccleſia tanquam hæretici habiti ſunt. Circa hæc videri poteſt Author Galliæ Vindicatæ Diſſert. 4. §. 1. pag. 238. ubi refert Diuum Bernardum cum Epiſcopis Gallicanis credendorum Symbolum attexuiſſe: quod cum Purpuratorum Senatus ægrè ferret, & de hoc apud Eugenium III. querelas deferret; Eugenius à Beato Bernardo hujuſce rei, quæ tantùm Sedem Apoſtolicam ſpectat, cauſam expoſcit; cui Sanctus Abbas ſe hoc Symbolum collegiſſe, ut ipſi Pontifici approbandum, vel improbandum proponeretur, ſerio reſpondit. Ipſeque Bernardus cum reliquis Gallorum Præſulibus, fidei ſymbolum à ſolo Romano Pontifice proponendum eſſe confeſſi ſunt, atque ita, ut ex ipſis Actis Concilii conſtat, reſpondit. *Se* (Bernardum) *vel Dominos Epiſcopos nihil de præfatis Capitulis definiſſe, ſed ſimpliciter, quid ſentiret, expoſuiſſe.* Unde ſi ſolus Pontifex Romanus fidei ſymbolum fidelibus credendum ultimo judicio, ultimaque determinatione proponere poteſt; credendum ne ſit Pontificem in proponendo fidem fallibilem eſſe? Quomodo eſſe poſſet ſymbolum fidei infallibile; ſi is, qui illud proponit, poſſet in proponendo falli? ergo Sapientiſſimi illi Antiſtites, Pontificem Romanum in proponendis fidei articulis infallibilitatem habere, jure optimo judicarunt.

95. Eodem Sæculo anno 1147. Hæretici Henriciani, vel ab Henrico III. Imperatore, vel ab aliquo Henrico Petrobuſſiano ſic appellati, in mundum prodiere; adverſus quos Eugenius III. Albericum Epiſcopum Oſtienſem Sanctæ Eccleſiæ Cardinalem, miſit, qui Comite Divo Bernardo, apertiſſimis miraculis veram fidem comprobante, hæreſes illas exterminavit. Item aliæ exortæ ſunt eo tempore peſtilentes hæreſes, de quibus

Tur-

Turrecremata in Summa de Eccleſia l.4. cap. 25. & aliæ, de quibus D. Bernardus ſerm.66.in Cantica. Item aliæ, de quibus Æneas Sylvius poſtea Papa Pius II. lib.de origine Bohemorum cap. 35. Prateolus lib.14. verb. Pauperes. Gualterus Sæculo 12.cap.12. Authores illarum hæreſum Waldenſes appellati ſunt à Waldone quodam Cive Lugdunenſi, qui ſpretis divitiis, eiſque in pauperes diſtributis, imprudenti zelo, homo abſque ullâ literaturâ imperitiſſimus, ad prædicandum ſe miſit, multoſque errores diſſeminavit. Circa hoc tempus Albigenſes heretici prodiere;contra quos Diuus Dominicus, Illuſtriſſimæ, ſemperque laudabilis Prædicatorum Familiæ Fundator egregius, aliique Prædicatores, & Inquiſitores Apoſtolici deſudarunt, uſque ad finem Pontificatus Gregorii Noni, qui anno 1212. obiit, de quo legendus eſt Leander lib. de Viris Illuſtribus, Spondaneus, ac Bzovius ad annum 1235. Errores Albigenſium habes apud Caſtrum, & apud alios citatos.

96. Omnes prædictæ hæreſes hoc 12. Sæculo exortæ, abſque ullo Generali Concilio, vel ad Summum in aliquibus Provincialibus, Nationalibuſque Conciliis à Sede Apoſtolica confirmatis, ut in Concilio Montinienſi, in Provincia Narbonenſi anno 1208. in Avenionenſi anno 1210. in Vaurenſi anno 1214. & conſequenter à ſola Pontificia definitione proſcriptæ ſunt. Siquidem in hoc Sæculo 12.tria fuere Generalia Concilia congregata, videlicet nonum, & Lateranenſe I. ſub Calixto Papa II. decimum,& Lateranenſe II. ſub Innocentio Papa II. undecimum,& Lateranenſe III.ſub Alexandro III. In his verò Conciliis Generalibus, vel prædictæ hæreſes examinatæ non fuerunt, vel ſaltem generaliter, tranſcurſimque tactæ, ut jam à Pontificibus Romanis, diligenti, maturaque diſcuſſione tractatę, damnatæque.

97. Totam hanc de Pontificiæ definitionis etiam extra Generale Concilium infallibilitate doctrinam, Sanctiſſimi, Sapientiſſimique Gallicanæ Eccleſiæ Præſules, præſtantiſſimi etiam Doctores Galli, qui hoc 12. Sæculo floruere, latè confirmant; Goffredus Abbas Vindocinenſis Epiſt.17. ad Epiſcopum Carnotenſem, & Epiſt. 30. ad eundem Sanctus Jvo Carnotenſis Epiſt. ad Paſchalem II. Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis Eccleſiæ D. Bernard. Epiſt. 131 & Epiſt. 190. ad Innocentium II. Confirmat etiam Epiſtola multorum Galliæ Præſulum, videlicet, Sampſonis Archiepiſcopi Rhemorum, Iosleni Epiſcopi Sveſſionenſis, Gaufridi, Catalaunenſis, & Albiſii Attrebatenſis ad Innocentium II. quæ eſt inter Epiſtolas Divi Bernardi, quorum expreſſa teſtimonia, brevitati conſulens, omitto. Illa videre potes apud Eminentiſs. D. Card. Aguirre tract. 1. de Authoritate Papæ diſp. 12. ſect. 5. & plures alios, quos refert Author Galliæ Vindicatæ Diſſert. 4. §. 2. pag. 249. Cum quibus potius Recentes Doctores Pariſienſes ſentire deberent; ſuorumque Anteceſſorum ſanctitate, miraculis, ſapientiaq; illuſtrium præclara exempla complecti.

98. Decimotertio Sæculo, cum Albigenſium hæreſes præcedenti Sæculo inceptæ magis, atque magis in varias Provincias ſerperent, Concilium generale 12. & Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. in Eccleſia Sancti Salvatoris, quæ Conſtantiniana appellatur, coactum eſt. Illi adfuerunt Epiſcopi 412. Patriarchæ duo, Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus: Antiochenus morbo impeditus Antididenſem Epiſcopum ſuum legatum miſit: Alexandrinus verò à Saracenis impeditus Germanum Diaconum legatum ſuum miſit: Primates, & Metropolitani 77. Abbates, & Priores ultra 800. Orientis, & Occidentis Imperatorum legati. Regis Franciæ, Angliæ, Hungariæ, Hieruſalem, Cypri, Aragoniæ, aliorumque Principum, Magnatum, illuſtriumque Civitatum Oratores. Et fuit certè Concilium omnium ferè copioſiſſimum; de quo legi poteſt Matthæus Pariſius, & Abbas Uſpergenſis, illius temporis Scriptores: huic etiam Concilio duo Cœli Eccleſiaſtici Sydera, ſeu Luminaria Magna S. Dominicus, & Sanctus Franciſcus interfuere. Hujus tam amplæ Synodi finis fuit. Primò horribiles Albigenſium hæreſes jam à Pontificibus Romanis elapſo jam Sæculo præ-

præcedente damnatas, penitus exterminare, ſolemniuſque proſcribere. Secundò, Abbatis Joachim, Almarici, Guillermi de Sancto Amore, ac Deſiderii Longobardi errores examinare.

99. Contra Petrum Lombardum ſententiarum Magiſtrum docentem in Trinitatis Myſterio unam rem tribus Perſonis, inter ſe realiter diſtinctis, identificatam admitti oportere, quæ quidem res nec generat, ut quod, nec generatur; Joachimus Abbas inſurrexit; quaſi Lombardus hæreſim docuiſſet, admittendo quartã rem, Trinitatiſque Myſterium evertendo. Hic fuit primus Joachimi error; eam Lombardi doctrinam, quæ Catholica eſt, hæreticam eſſe credere. Certè Abbas ille Lombardi doctrinam perperam intellexit; quaſi Lombardus quartam rem à tribus Perſonis realiter diſtinctam admitteret; cum tamen ex doctrina Lombardi evidenter oppoſitum colligatur: nam Sententiarum Magiſter illam rem ab iis tribus Perſonis diſtinctam minimè ponebat; ſed juxta Magiſtri mentem quælibet Perſona erat illa res, videlicet Divina Natura, quæ nec generat, nec generatur; alioquin diſtingueretur, ſicut Generans à Generato, & Generatus à Generante, v.g. Pater à Filio; & Filius à Patre diſtinguitur. Secundus error Joachimi fuit, omnes tres Perſonas non aliter eſſe unum, quam ex multis hominibus unũ populum eſſe, aſſerere.

100. Contra hos Joachimi errores Concilium hoc definitivo Decreto ſe oppoſuit; quod ita habet: *Nos autem credimus, & Confitemur cum Petro*(Lombardo) *quod una quædam ſumma res eſt, & incomprehenſibilis ſimul, & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres ſimul Perſonæ, & ſingillatim quælibet earum Perſonarum eſt illa res, videlicet Natura, ſubſtantia, eſſentia Divina, quæ ſola eſt univerſorum Principium, præter quod alìud inveniri non poteſt: & illa res non eſt Generans, neque genita, neque procedens, ſed eſt Pater, qui generat, Filius, qui generatur, & Spiritus Sanctus, qui procedit; ut diſtinctiones ſint in Perſonis, & unitas in Natura. Licet igitur alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus; non tamen aliud, ſed id, quod eſt Pater, eſt Filius, & Spiritus Sanctus, idem omninò, ut ſecundùm Catholicam, & Orthodoxam fidem conſubſtantiales eſſe credantur. Pater enim ab æterno Filium generando ſuã ſubſtantiam ei dedit; juxta quod ipſe teſtatur: Pater, quod mihi dedit, omnibus majus eſt: ac dici non poteſt, partem ſuæ ſubſtantiæ ei dederit, & partem retinuerit ipſe ſibi, cùm ſubſtantia Patris indiviſibilis ſit, utpotè ſimplex omnino. Nec dici poteſt, quòd Pater tranſtulerit ſubſtantiam in Filium, generando, quaſi ſic dederit Filio, ut non retinuerit ipſam ſibi, alioqui deſiiſſet eſſe ſubſtantia. Patet ergo, quòd ſine ulla diminutione Filius naſcendo Patris ſubſtantiam accepit, & ita Pater, & Filius eandem ſubſtantiam habent: & ſic eadem res eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ab utroque procedens. Cum ergo Veritas pro fidelibus ſuis orat; Volo, inquiens, ut ipſi unum ſint in nobis, ſicut nos unum ſumus, hoc nomen* Unum, *pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio Charitatis in gratia; pro Perſonis verò divinis, ut attendatur identitas, atque in Natura unitas: quemadmodum Veritas alibi dicit: eſtote perfecti, ſicut Pater veſter Cœleſtis perfectus eſt: ac ſi dicat manifeſtius: eſtote perfecti perfectione gratiæ, ſicut Pater veſter Cœleſtis perfectione Naturæ, utraque videlicet ſuo modo: quia inter Creatorem, & Creaturam non poteſt tanta ſimilitudo notari, quin major ſit inter eos diſſimilitudo notanda.* Huc uſque verba Concilii: & hac veritatis luce, erroris Joachimi nubecula evaneſcit.

101. Circa hunc Abbatem Joachimum duo Scriptores obſervant. Primum hos errores hujus Authoris ſcriptis ab aliquo heretico immiſſos fuiſſe: quia hunc Abbatem, de quo ſcribitur fuiſſe morum integritate clarum, dono prophetiæ inſignem, miraculis illuſtrem, circa Myſterium Trinitatis tam enormiter erraſſe nõ videtur poſſe præſumi & alioqui ea eſt hæreticorum conſuetudo, ut his fallaciis, calumniiſque in Scriptores Sanctos, ſuos errores tanquam doctrinam ſanam, ſanctamque oſtendere videantur. Secundum: ſi fortè

Ab-

Abbas Joachimus in eos errores prolapſus eſt, id ſine ulla contumacia, conſequenterque abſque formali hæreſi factum fuiſſe juxta ſuperiùs dicta nu. 94. Neque Patres Concilii has veritates ſolum in Generali Concilio, & non à ſolo Romano Pontifice definiri potuiſſe:cùm ſæpiùs à ſolo Summo Pontifice abſque ullo Generali Concilio ſimiles veritates de fide definitæ fuerint. Sed ideo hæ definitiones in eo Concilio peractæ ſunt; quia arrepta occaſione congregati Concilii, liber ille Patribus examinandus oblatus fuit: & valdè congruum fuit; ut quoniam ibi erant Patres congregati, modus loquendi circa Trinitatis Myſterium præſcriberetur.

102. Ob eandem cauſam in eodem Concilio damnati fuerunt errores Almarici, Natione Galli, patria Carnotenſis, profeſſione Doctoris Pariſienſis; qui à cœteris illius perilluſtris Academiæ Pariſienſis Doctoribus accuſatus, ſimul cum ſuis partiariis condemnatus eſt. De his erroribus videri poteſt Cæſarius lib.Dia diſtinct. 5. Bzovius ad annum 1215. Caſtro de Hæreticis, verbo Adam hæreſi 3.& verbo Beatitudo, hæreſi 1. & verbo Reſurrectio hæreſi 1.verbo Euchariſtia, hæreſi 4. verbo Infernus hæreſi 1. Prateolus verbo Almaricus, num.29. Gualterus Sæculo 13. cap. 1. & alii plures. Tenor condemnationis in prædicto Concilio, hìc eſt. *Reprobamus & condemnamus perverſiſſimum dogma impii Almarici, cujus mentem pater mendacii ſic excæcavit, ut ejus doctrina non tam hæretica, quàm inſana ſit cenſenda.* Eodem modo condemnatus fuit David Denantius Almarici diſcipulus, qui ultra ſui Magiſtri inſanias, Deum eſſe materiam primam omnium rerum, de ſuo addidit.

Eodem Sæculo 13. Duo alii Hæretici prodiere. Primus, Guillelmus de Sancto Amore. Secundus, Deſiderius Longobardus contra Statum Religioſum, præſertim contra Mendicantes peſtiferam doctrinam ſpargendo. Contra hos hæreticos D.Thomas, & D. Bonaventura egregiè decertarunt. De quibus legi poteſt Caſtro de hæreticis, verbo Monachus, qui errores abſque ullo generali Concilio ab Alexandro IV. proſcripti ſunt; & illicò tanquam hæretici ubique habiti fuerunt.

103. Sub idem tempus varii errores, ac Sectæ damnatæ ſunt. Prima cujuſdam Lulli Raymundi Catalani Tertii Ordinis, juxta aliquos, vel juxta alios Laici Mercatoris, non ſpectato aliquo generali Concilio, ſed ſola Gregor.XI. defin. Secunda Fraticellorum ab Honorio IV. anno 1285. damnata. Tertia Pſeudo Apoſtolorum à Bonifacio VIII. proſcripta. Quarta flagellantium.Omnes has hæreſes apud Authores citatos videre poteſt, & noviſſimè Sapientiſſimum, Eminentiſſimumque Cardinalem Aguirre de Infallibili authoritate Papæ etiam extra Concil. Diſp.13. Hi omnes errores, ubi primum à Romanis Pontificibus damnati ſunt, ſtatim à fidelibus, ut tales indubitanter ſunt habiti. Tota hæc doctrina de authoritate Papæ extra Concilium confirmatur à PP.Conciliis, & Doctoribus, qui hoc Sæculo 13. floruerunt. In primis omnes Patres Concilii generalis 12. ſupra citati ſub Innocentio III. Sanctus Thomas citatus. Sanctus Bonaventura in Expoſit. Regulæ S.Franciſci, & ex Scholaſticis Henricus Gandavenſis Doctor appellatus Solennis Pariſienſis quodl.23.Guillelmus Tornatenſis de Officio Epiſcopi cap.3.& alii videndi apud citatos, hanc noſtram veram doctrinam propugnarunt.

SECTIO VIII.

De infallibilibus Romanorum Pontificum definitionibus extra Concilium factis Sæculo 14.& 15.

104. SÆculo 14.Concilium Viennenſe in Gallia 15. Generale ſub Clemente Papa V. anno Dom. 1311. aſſiſtentibus plurimis Cardinalibus, & amplius 300. Epiſcopis, aliiſque Prælatis coactum fuit. In eo hæreſes variæ, celebriſque Templariorum cauſa, judicatæ ſunt. Petri Joannis prima hæreſis fuit. Primus illius error fuit, ChriſtumDominum adhuc in Cruce viuum lancea perforatum fuiſſe. Exiſtimabat enim verba Euangeliſtæ Joannis, ſic intelligenda eſſe, ut non illum jam mor-

tuum viderent, quaſi Carnificibus, Judæiſque, & aliis aſſiſtentibus Dominum Jeſum ſic manifeſtè mortuum eſſe compareret, ut nullum jam de ejus morte dubium remaneret: nam, ut de ejus morte certiores fierent, lancea transfixus eſt; Si enim certò jam ſcirent illum eſſe mortuum; ad quid ipſum lancea transfigere intentarent? Deinde juxta Diuum Auguſtinum de latere Chriſti exierunt Sacramenta: Certum eſt Sacramenta ex Chriſti meritis promanaſſe: Si Chriſtus adhuc vivens in latere vulnus non accepit; quo pacto per illud vulnus Sacramenta nobis promeruit? Hæ forſan erant coloratæ rationes, quibus deceptus Petrus Joannis in hæreſim illam prolapſus eſt. Secundus error; animam rationalem veram corporis formam non eſſe; ſed corpori extrinſecè aſſiſtentem, ſicut ſphæris cœleſtibus Angeli extrinſecè aſſiſtunt. Tertius error; gratiam, & virtutes in baptiſmo à Deo nullatenus infundi.

105. Primus error damnatur in illis Concilii verbis, quæ habentur initio Clementinarum, titulo unico de Summa Trinitate, & Fide Catholica, ibi. *In hac natura aſſumpta ipſum Dei Verbum pro omnium operanda ſalute, non ſolum affigi Cruci, & in ea mori voluit, ſed etiã emiſſo ſpiritu, perforari lanceâ ſubſtinuit latus ſuum; ut exinde profluentibus undis aquæ, & ſanguinis, formaretur unica, & Immaculata, ac Virgo Sancta, Mater Eccleſia conjux Chriſti, ſicut de latere primi hominis ſoporati Eva ſibi in conjugium eſt formata, ut ſic certæ figuræ primi & veteris Adæ (qui ſecundum Apoſtolum eſt forma futuri) in noſtro noviſſimo Adam, ideſt, Chriſto veritas reſponderet. Hæc eſt, inquam, veritas illius prægrandis Aquilæ vallata teſtimonio, videlicet, Joannis Apoſtoli, & Euangeliſtæ, qui Sacramenti hujus rem geſtam narrans, & ordinem, in Euangelio ſuo dixit: Ad Jeſum autem cum veniſſent; ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, ſed unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit Sanguis, & aqua.* Et infra. *Nos igitur ad tam præclarum teſtimonium ac Sanctorum Patrum, ac Doctorum communem ſententiam, Apoſtolicæ conſiderationis (ad quam dumtaxat hæc declarare pertinet) aciem convertentes, ſacro approbante Concilio, declaramus prædictum Apoſtolum, & Euangeliſtam Joannem rectum in præmiſſis, factæ rei ordinem tenuiſſe narrando quod Chriſto jam mortuo, unus militum lancea latus ejus aperuit.* Ex prædictis verbis obſervandum eſt, ibi dici definitionem, declarationemque à Pontifice fieri, ibi. *Nos igitur declaramus &c.* & de Concilio, dicitur approbare, non autem definire, ibi. *Sacro approbante Concilio, Approbante*, & non dicitur, *Definiente*, & clariùs hoc exprimitur in illis verbis. *Ad quam* (Sedem Apoſtolicam Petri, ejuſque Succeſſoris Romani Pontificis) *dumtaxat declarare pertinet*. Atque idcirco quando Concilium definit; ſemper ultimum judicium, ultimamque determinationem Pontificis Romani expectat; à quo Conciliaris definitio vires, vigoremque accipit: Si Concilium eſt, quod præcipuè definit, declaratque, quomodo Concilium non obſiſteret Pontifici dicenti ad Sedem Apoſtolicam Petri, ideſt ad Pontificem Petrum, ejuſque Succeſſorem Romanum Pontificem dumtaxat definire, declarareque pertinere? Manifeſtum igitur eſt Concilium illud Generale hoc intellexiſſe; ut ad Sedem Apoſtolicam dumtaxat definire pertineat; ideoque prædictum illum errorem Petri Joannis ſola Sedes Apoſtolica, ideſt, Pontifex Romanus, definitiuè, ultimaque determinatione damnavit; & qui hoc non intelligit, nec Concilia, nec Canones intelligit. Hac Concilii declaratione ſatis apparet frivola hujus hominis fundamenta corruere: nam quod lateris vulneri mors præceſſerit, myſterium fuit. Siquidem ex Adæ ſoporati latere formata eſt Eva: ex Chriſti morte ſoporati latere formata eſt Eccleſia. Figuræ igitur veritatem reſpondere oportuit. Minus urget argumentum ex merito: nam Chriſtus nobis vitam morte promeruit per affectum præcedentem morti. Cur ergo Sacramenta vulnere lateris non promeruit per affectum præcedentem vulneri? Itaque mors, & vulnus lateris dicuntur meritoria ab actu interno ea volente.

Digitized by Google

106. Secundus error in ſequentibus verbis proſcriptus fuit, ibi. *Porrò doctrinam omnem, ſeu poſitionem temerè aſſerentem, aut vertentem in dubium, quod ſubſtantia animæ rationalis, ſeu intellectivæ verè, ac per ſe humani corporis non ſit forma, velut erroneam, & Catholicæ inimicam fidei, prædicto ſacro approbante Concilio, reprobamus, definientes, ut cunctis nota ſit fidei ſyncera veritas, & præcludatur univerſis erroribus aditus, ne ſubintrent, quod quiſquis deinceps aſſerere, defendere, ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit, quod anima rationalis, ſeu intellectiva non ſit forma corporis humani, per ſe, & eſſentialiter, tanquam hæreticus ſit cenſendus*. Circa tertiam propoſitionem Petri Joannis Concilium Generale aliter ſe habuit; non enim illam tunc hæreticam declaravit; ſed tantum dixit probabilius eſſe, quod in baptiſmo paruulorum gratia, virtuteſque ſupernaturales infundantur. Nihilominus, licet eo tempore res definita non eſſet: at nunc poſt Concil. Trid. ſeſſ. 6. de juſtificat. in baptiſmo gratiam virtuteſque Theologicas infundi jam definitum eſt, ut in noſtro Tractatu de fide diſp. 5. ſect. 1. ſub ſect. 1. latè vidimus.

107. Secunda Hæreſis in hoc Generali Concilio damnata multos Beguardorum, & Beguinarum errores complectabatur, prout in citata Clement. lib. 5. cap. 3. tit. de hæreticis continetur. Primus error, quod homo in hac vita poſſit ad eum perfectionis ſtatum pervenire, ut impeccabilis reddatur. Secundus quod non oporteat hominem jejunare, nec orare; quia hæc quædam media ſunt quæ, obtento jam fine, ceſſare clarum eſt. Tertius, quòd hi, qui ad hunc perfectionis gradum aſcenderunt, ſuperioribus, v. g. Epiſcopis, aliiſve prælatis parere minimè teneantur. Quartus, quòd in elevatione Euchariſtiæ nullam exhibere reverentiam debeant: quia, inquiebant, ad adorandam Euchariſtiam, vel ad humanitatis Chriſti paſſionem cogitandã, meditandamque, ac ſic de cœteris, à ſua contemplatione deſcendere, magna imperfectio foret. Alii horum hæreticorum errores legi poſſunt apud Puteolum lib. 2. Caſtro verbo Beatitudo hæreſi 4. & 5. & verbo Eccleſia hæreſi 3. & verb. Jejunium, Gualterum Sæculo 14. cap. 1. Bzovium ad annum 1310. Sabelles. Reg. 279.

108. Hi omnes errores in hoc Generali Concilio damnati ſunt, in eis verbis. *Nos, ſacro approbante Concilio, Sectam ipſam cum præmiſſis erroribus damnamus, & reprobamus inhibentes, diſtrictius, ne quis ipſos de cætero teneat, approbet, & defendat &c.* Hic obſerva, id, quod jam ſupra obſervatum eſt, Pontificem eſſe, qui definit, ultimoque judicio, ac ultima determinatione decernit; & de Concilio non definire, ſed approbare dicitur, ibi, *Sacro approbante*, & non definiente, *Concilio*. Item iterum exprimitur, definire, determinareque ad ſolum Pontificem Romanum, tanquam proprium ſui munus, ſpectare: quod ea Pontificis verba ibi declarant. *Cum ex debito commiſſi nobis officii &c.* Commiſſi quidem à Chriſto, nobis, ideſt, Petro, ejuſque Succeſſori; & non vobis, ideſt, fratribus, ſive diſperſis, ſive in cœtum congregatis. Obſerva etiam, poſt illud Concilium eandem Sectam cum aliis erroribus denuo additis à quibuſdam novis Sectariis apud citatos Authores relatis inſtauratam fuiſſe, fueruntque à Gregorio XI. circa annum 1372. abſque ullo Generali Concilio condemnati. Obſerva tandem iſtos errores cum aliis denuo additis à quodam perfido hæretico Molinos noſtris temporibus excitatos fuiſſe qui à Sanctiſſimo Innocentio Papa XI. damnatus eſt; & ex hinc, nullo expectato Generali Concilio, ſed ſola definitione Pontificis, tanquam hæreticus habitus eſt. Hic tamen Molinos erroribus publicè abjuratis in Templo Sanctæ Mariæ ſuper Minervam perpetuo carceri anno 1687. addictus eſt.

109. Tertia Hæreſis Dulcini impudiciſſimi Hæreſiarchæ, qui omnem libidinem licitam eſſe docebat; & deinde Pontifici Romano parendũ non eſſe. Hoc impudicitiæ monſtrũ innumeram gentium multitudinem, carnis illecebris, ad ſeſe attraxit, de quo videri poteſt Bzovius ad annum 1310. Prateolus, Gualterius, & alii citati; adeoque hæ Tartareæ furiæ deſævierunt; ut ultra novas cenſuras,

ſuras, aliaſque Eccleſiaſticas pœnas, opus fuerit, ut Clemens V. Bulla Cruciatæ conceſſa exercitum fidelium convocaret; ut tam armis ſpiritualibus, quàm ferreis, caſtriſque armatis hanc infuriatam peſtem deleret. In quo bello Dulcinus, cum uxore hæretica, & maximæ hæreticæ factionis pars capti ſunt, membratim diſſecti, tandemque flammis exuſti. Nec tamen ad has hæreſes funditus evertendas, cuiquam ſubiit in mentem Generali Concilio opus eſſe.

110. Eodem ferè tempore Templariorum ordo à Clemente V. extinctus eſt, inſtigante Philippo Pulchro Gallorum Rege, ſive zelo juſtitiæ, Religionis, ut ſuis ipſe literis indicat, ſive pecuniarum cupiditate, ut aliqui ferunt. Itaque Templarii, juxta aliquos, de multis erroribus circa fidem, qui aliàs pro fide tuenda decertaverant, à Rege Gallo apud Romanum Pontificem delati ſunt: hujus accuſationis finis extinctio illius ordinis fuit. Tunc Clemens V. rem per ſuos Legatos, Commiſſarioſque ſedulò, maturèque, uti putabatur, examinavit; ac ſecundum allegata, & probata in ſuo Conſiſtorio Illuſtrem quondam militarem ordinem decreto ſuo extinxit. Rem geſtam in ſua Chronologia Petavius narrat his verbis. *Hujus* (Clementis) *Decreto damnati Templarii, deque iis à Philippo Rege ſumptum ſupplicium anno* 1307. & eorum fortunæ partim Hoſpitariis, ut vocant, adjudicatæ, partim in fiſcum relatæ. Quidquid igitur ſit de facto ipſo, in quo Judex etiam Supremus errare poteſt: quia poteſt aliquoties iniqua informatione deceptus eſſe; certum quidem eſt Pontificem Romanum circa jus non erraſſe, dum eos errores ſibi propoſitos condemnavit: aliud enim eſt judicare, hæreſim fuiſſe fidem negare; aliud judicare fuiſſe negatam: in primo Pontifex Oraculo Pontificio definiens, errare non poteſt: in ſecundo Judex fallibili hominum teſtimonio perperam, falſoque inſtructus, falli poteſt.

111. Utrum verò Pontifex, qui, ut dictum eſt, errare nequit in jure, in facto ipſo erraverit? duplex ſententia circumfertur. Prima aſſerit Pontificem Romanum fuiſſe malè inſtructum, informatumque, & in facto ipſo, ſine culpa ſuo deceptum. Ita Jacobus Moguntinus, Nauclerus, Sabellicus, Bocatius allegans Patrem ſuum, tanquam de hac re teſtem oculatum. Ita etiam Tritemius, & alii, quam plurimi, quos tacito nomine refert Aguirre Tract. 1. de Authoritate Papæ diſp. 14. ſect. 2. n. 15. quibus accedere videtur D. Antonin. 3. par. hiſtor. cap. 21. qui omnes Templarios immeritò damnatos, ultimoque ſupplicio iniquè addictos fuiſſe arbitrantur, ejuſque injuſtitiæ originē Philippi avaritiæ, cupiditatique aſcribunt; quem poſtea à Clemente V. anno 1307. fuiſſe graviter, juſtèque reprehenſum affirmant; quod propria authoritate Templarios, cum Religioſi eſſent, in carcerem conjeciſſet, bonaque illorum apprehendiſſet, ut Spondaneus eo anno n. 14. ex vetuſtis hiſtoriarum monumentis teſtatur Card. Aguirre cit. juſtitiam facti extremo Dei judicio reſervari fatetur.

112. Secunda Sententia, neque etiā in facto Pontificem erraſſe aſtruit; quia credibile non eſt omnes Papæ Legatos, Commiſſarios, Inquiſitores per totum Orbem Chriſtianum, ubi Templarii dimorabantur, diſperſos, vel denique unum integrum Concilium Generale, quale fuit Vienneńſe, ubi tot aderant Patres Religioſiſſimi, ſapientiſſimique, facto exactiſſimè explorato, perpenſoque in illa facti quæſtione ullum errorem habere potuiſſe; præſertim in materia adeo gravi; omniumque conſcientiam pungente, videlicet extinguendi eam illuſtrem Religionem, puniendique tam acerbè tot Religioſos; quamvis non ignorem potuiſſe aliquos innocentes tot inter alios ſceleratos puniri. Ego inter has opiniones judicium non fero: in dubio autem ſemper pro judicio, ſententiâque Eccleſiæ præſumendum eſt, & quòd, nonniſi bene explorata, probataque cauſa procedere debuerit.

113. Ex his (quod præcipuè noſtrum ſpectat inſtitutum) tria notari oportet. Primum, quod definitio veritatis fidei contra adſcriptas Templariis hæreſes ad Summum Pontificem ſpecta-

-verit. Secundum, Concilium ipſum Viennenſe, non ad dandam ſententiæ Papæ infallibilitatem, ſed ad majorem ſolemnitatem impertiendam depoſci. Tertium, illos eoſdem Doctores, qui de facti contingentia dubitant, de juris infallibilitate minimè dubitare: nam quidquid ſit, quod Papa in facto, quòd à fallibili hominum teſtimonio pendet, errare poſſit; in jure tamen definiendi; quod ab infallibili Dei teſtimonio pendet; errare non poteſt.

114. Eodem Sæculo Sectę varię perniciosæ ſatis exortæ ſunt. Prima Lolhardorum, ex quodam Lolhardo Waltero in Germania circa annum 1315. ſex annos poſt Concilium Viennenſe: Ex hæreſibus Petrobuſcianorum, Waldenſium Henricianorum, Albigentium, de quibus ſupra, componebatur: & inſuper ſpeciales aliquot errores, blaſphemiaſque in Deum, Beatiſſimam Virginem Mariam Dei Matrem, Angeloſque denuo impudentiſſimè addebat: de quibus enormiſſimis erroribus videri poteſt Malderus de viſibili Monarchia hæreſi 163. Gualterus Sæculo 14. cap. 7. Hic hæreſiarcha, regente Eccleſiam Joanne XXII. Pontifice Maximo, Coloniæ anno 1321. igni combuſtus eſt. Has hæreſes prædictus Pontifex, nullo generali Concilio congregato; ſolo Pontificio Oraculo proſcripſit: & hac ſola Pontificia definitione, Fideles in tota Eccleſia hæreſes illas, ut tales, ſemper habuere.

115. Secunda Secta, ſeu hæreſis, regnante eodem Pontifice Romano Joanne XXII. & Ludovico Bavaro Imperante, à quodam Joanne de Poliaco circa annum 1313. excitata fuit. Primus illius error confeſſionem Sacerdotibus Ord. Mendicantium irritam, & prorſus nullius valoris eſſe. Secundus, nec Summum Pontificem; imò nec ipſum Deum cum Parochianis diſpenſare poſſe, ut alteri, quàm proprio Parocho confiteantur. Tertius, neque Papam, neque ipſum Deum poſſe cuique Sacerdoti generalem confeſſiones excipiendi poteſtatem concedere. Fundamentum illius erat, quantum ad Papam, quia de jure divino eſt, quod ſolus proprius Paſtor Chriſti oves paſcat; non autem alienus; qui quidem ajebat, fur eſt, & non pertinet ad eum de ovibus: Papa autem non poteſt jus divinum variare. Quantum ad Deum; probabat: quia Deus eſt immutabilis; ideoque, id, quod ſemel decrevit, variare non poteſt. Hi errores ita Summi Pontificis, ipſiuſque Dei authoritati derogantes ab eodem Papa Joanne XXII. proſcripti ſunt, edita Bulla extravaganti quæ incipit: *Vas electionis*, de Hæreticis in 6.

116. Tertia Hæreſis cujuſdam Petri de Cugneriis, qui generalis Senatus Pariſienſis Procurator fuerat. Hic varios articulos contra Juriſdictionem Romani Pontificis, & contra libertatem Eccleſiaſticam propoſuit, & illos coram Rege Philippo, Prælatis, & Baronibus ſe defenſurum promiſit. Convictus tamen fuit præſertim à Card. Bertrando Auguſtodunenſi Epiſcopo. Hujus ergo hæretici ſimulacrum ad angulum Chori ædium Beatæ Virginis Pariſienſis, ad ludibrium Populi appoſitum fuit, ut Genebrardus teſtatur. Hi errores ab eodem Joanne XXII. abſque ullo Concilio Generali proſcripti ſunt. Imò hoc etiam tempore anno 1329. habitum fuit Pariſiis Concilium; eodemque anno aliud Compendienſe in Gallia, utrumque pro juriſdictione, immunitate, libertateque Eccleſiaſtica: de quo videri poteſt Eminentiſs. Card. Aguirre citatus num. 21. Erunt ergo hi, qui hiſce temporibus libertati, immunitatique Eccleſiaſticæ ſe opponunt, plus fideles, plus Catholici, quàm illi? Sanctiſſimi illi Gallicanæ Eccleſiæ Præſules pro libertate Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedis authoritate pugnantes pulcherrimam, honorabilemque ſui imaginem poſteris reliquerunt; perfidus ille, ac ſceleratus Nebulo, qui contra Summi Pontificis authoritatem, Eccleſiæque immunitatem decertabat, turpem, deformem, execrabilem, omnique dignam ludibrio imaginem irridenti populo reliquit: Videant ergo Recentes hi Doctores, cui ex his duobus ſimulacris velint ſe conformare.

117. Eodem ferè tempore duæ ventilabantur opiniones, quæ à Summis Pontificibus abſque ullo generali Concilio proſcriptæ ſunt. Prima fuit Occha-

mi,

mi, & aliorum, qui Chriſtum Dominum, Apoſtolos, veroſque Chriſti imitatores nihil ſuum, vel in particulari, vel in communi habuiſſe docebant. Hæc à Joanne XXII. ut conſtat ex extravag. Inter cunctas, de verborum ſignificatione, proſcripta fuit. Juxta quod, duo ab Authoribus hîc obſervantur. Primum eſt, ante Pontificis definitionem ſequentes illam opinionem hæreticos formaliter, ut vocant, non fuiſſe: quia illam, ſine ulla contumacia contra Eccleſiam, ſequebantur, & ideo poſtea cum definitione Pontificis, ſe, ut veri Eccleſiæ filii, conformarunt. Secundum eſt, Nicolaum Papam oppoſitum Joannis definitioni minimè definiſſe; aliter unus ex illis duobus Pontificibus Romanis falſum; quod eſt impoſſibile, definiret. Quare diverſas quidem res ambas veras illi duo Pontifices ex eodem Numinis Oraculo, cui nequit ineſſe falſitas, definiere. De quo vide Card. Bellárminum lib. 3. de Romano Pontifice cap. 14. Nihilominus Occamus adhuc ante Pontificiam definitionem prædictæ opinioni adhærens, ob id ab Authoribus carpebatur; ut ex D. Antonin. 4. par. Summæ c. 4. §. 23. & 3. par. Chronic. tit. 24. c. 9. §. 15. liquidò conſtat.

118. Secunda opinio erat aliquorũ, qui animas etiam ab omni fæce purgatas non illico videre Deum, ſed expectare ultimum diei judicium aſſerebant. Hujus opinionis fuit Joannes XXII. & illam definire volens, fuit, ut aliqui referunt, morte impeditus. Alii vero dicunt Joannem XXII. ante mortem illam opinionem, quam ut privatus Doctor, re nondum ab Eccleſia definita, ſequebatur, fideliter, Catholicèque retractaſſe. Imò illam Joannis XXII. opinionem D. Bernardi fuiſſe refert Caſtro de hæreticis. Cœterum D. Bernardus eo loco ſolum de beatitudine completa corporis glorioſi loquitur; quæ longè diverſa eſt quæſtio. Hanc opinionem poſtea Benedictus Papa XII. aliàs XI. anno 1334. ut hæreticam condemnavit, Epiſtolaque Decretali pro tota Eccleſia definivit animas ſufficienter purgatas ſtatim clara Dei viſione frui, quod illico à tota Eccleſia, nullo expectato Generali Concilio, ut quid de fide ſancitum, receptum fuit: quamvis illam majori ſolemnitate definivit Eugenius IV. in Concil. Florent. Vide Amicum de fide diſp. 7. ſect. 1. n. 54.

119. Sub idem tempus Clemens Papa VI. qui anno 1341. in Eccleſia regnare cœpit, Flagellantium, de quibus ſupra meminimus, Sectam damnavit: celeberrimamque illam Extravag. Unigenitus, de pœnit. & remiſs. edidit; in quo quamlibet ſanguinis Salvatoris Noſtri guttulam propter unionem ad verbum infiniti valoris eſſe definivit: ideoque Theſaurum Eccleſiæ propter Indulgentiarum conceſſionem, exhauriri poſſe minimè timendum eſſe: quæ definitio, non expectato aliquo Generali Concilio, ſtatim in Eccleſia de fide certa fuit.

120. Eodem Sæculo anno 1360. Imperante Carolo IV. & regnante in Eccleſia Innocentio VI. Richardi Amarcani natione Hiberni clariſſimæ Franciſcanæ Religionis hoſtis infenſiſſimi, hæreſis prodiit. Iſtius Nebulonis primus error fuit, turpe, inhoneſtumque eſſe ſtatum Mendicitatis amplecti. Secundus abſente Epiſcopo Sacerdotes inferiores Epiſcopalia munia obire poſſe; videlicet, altaria conſecrare; oleum, chryſmaque benedicere, ſacroſque ordines conferre: nemo tamen ad hos errores extirpandos Synodo aliqua generali opus fuiſſe judicavit: ſed à ſolo Pontificiæ definitionis Oraculo proſcripti ſunt. Secundus autem error in Concilio particulari Hiſpalenſi II. à Romano Antiſtite approbato, roboratoque abſque alio Generalis Concilii præſidio proſcriptus eſt: de quo videri poteſt Caſtro lib. 13. verbo Sacerdotium hæreſi 5. Sallelles Reg. 283. Aguirre Tract. 1. de Authoritate Papæ diſp. 14. n. 24.

121. Eodem ferè tempore Nicolaus natione Calaber, Diœceſis Lonxenſis Barcinone plurimos errores diſſeminavit. Primus error fuit quendam inſignem Hæreſiarcham nomine Gondiſaluum, licet illius parentes noti eſſent, eſſe tamen Filium Dei ex Æternitate in Cœlo genitum. Secundus eundem Gondiſaluum nunquam moriturum. Tertius Spiritum Sanctum futuris temporibus

ribus carnem aſſumpturum; eoque Incarnato, prædicti Gondiſſalvi prædicatione Mundum convertendum eſſe. Quartus eundem Gondiſſaluum in die judicii damnatos omnes à pœnis Inferni liberaturum eſſe: aliaque ſimillima deliramenta ſpargebat, quæ Pater mendacii fatuo hæretico ſuggerebat. De quibus videri poteſt Eymericus 2. par. Direct. q. 11. Bzovius ad annum 1369. Itaque Nicolaus ab Inquiſitoribus convictus, erroreſque deponere nolens, Sedis Apoſtolicæ authoritate abſque ullo generalis Concilii præſidio condemnatus, igni traditus eſt.

122. Eodem Innocentio VI. Eccleſiam moderante, Joannes Wicleff in Academia Oxonienſi Profeſſori, impiæ Wicleffitarum Sectæ Antefignanus fuit; quæ poſtea latiùs præſertim in Boemia graſſata eſt; atque uſque ad tempus Martini Papæ V. duravit. Hujus Hæreſiarchæ errores annumerat Prateolus lib. 9. Elenchi verbo Joannes Wicleff Bzovius, Gualterus, Caſtro cit. Item Salleles Regul. 284. Iſti errores ad Gregorium Papam XI. delati ſunt; qui eos per lectos abſque ullo Concilio damnavit, per litteras Decretales ad Epiſcopum Cantuarenſem Angliæ Primatem, & ad Epiſcopum Londiſſenſem miſſas; quibus, ut rem perfectè perficerent, explorarentque, præcepit. Præſules facto examine, ſive timore, ſive obſequio in Regem, cui hæreſis illa quoad fortunarum bona perutilis videbatur, nihil diſpoſuerunt. Timori juſtitia ceſſit, & palpo veritas manus dedit, fortaſſe jam hoc futuræ Rebellionis augurium: quo à Chriſto ad Bellial; hoc eſt, à Romano Pontifice ad Regem Laicum Eccleſiaſticorum ſubjectio defectura prænoſcebatur. Ipſe vero Gregorius XI. acerbioribus literis tam Præſulum, quàm Academicorum ſocordiam reprehendit; Regiſque favorem, ut beſtiam illam comprimeret, expoſtulavit; eoſque enormes errores, nullo coacto Generali Concilio, ſed ſola ſua Apoſtolica definitione proſcripſit. Quapropter Joannes Wicleff rationibus convictus, & jam in Britannia in ultimam deſperationem redditus ad Bohemios, tutiora quærens demigravit: ibi rude vulgus decepit, plures peſtifera illa contagione inficiens; & in ſua impietate miſerrimè periit. Donec tandem Conſtantienſe Concilium perduellem illum hæreticum jam ſepultum exhumari juſſit, flammiſque illius oſſa comburi.

123. Poſtea anno 1382. à Guillelmo Archiepiſcopo Cantuarienſi Concilium Provinciale Londini coactum eſt: & inſuper aliud eodem loco, ſed diverſo tempore, videlicet anno 1396. utrumque Concilium contra illum Hæreſiarcham convocatum eſt. Ex quibus obſervant Authores, ubi primum Gregorius XI. illas hæreſes definitivo ſuo decreto damnavit, ſtatim univerſam Eccleſiam illi damnationi, infallibilique Sedis Apoſtolicæ Oraculo, abſque ulla Generali Synodo, acquieviſſe. Et Concilia tam Generale Conſtantienſe, quàm particulare Londinenſe, nihil de novo ſanxerunt; ſed ſolum pœnis executioni mandatis, quandam novam ſolemnitatem, publicitatem, ut res omnibus palam fieret, addidere.

124. Confirmatur tota hæc doctrina ex Doctoribus, qui hoc Sæculo floruerunt. In primis hanc tenuit Auguſtinus de Ancona, qui vixit uſque ad annum 1328. in ſumma de poteſtate Eccleſiæ, & in Præfatione Operis ad Papam Joannem XXII. & q. 6. art. 1. & q. 10. Durandus de Sancto Portiano Præſtantiſſimus Doctor Salmanticenſis, qui jam Senio confectus vixit uſque ad annum 1320. in 4. diſt. 24. q. 5. Ludolphus Carthuſianus in Vita Chriſti par. 2. cap. 1. Petrus Paludanus in 4. q. 24. qu. 6. Card. Bertrandus lib. de Juriſdictionibus Eccleſiaſticis, & alii plures, quorum per extenſum teſtimonia pleno calamo videre potes apud Eminentiſſimum, doctiſſimumque Card. Aguirre ſupra citat. ſect. 4. n. 30. & ſeqq.

125. Supereſt decimum quintum Sæculum ad hanc Sectionem claudendam. Initio hujus Sæculi Joannes quidam Huſs, belluam potiùs, quam hominem dixeris, inſtigante Dœmone, inſurrexit; qui ſe Eccleſiæ Romanæ plagas inſanabiles inflicturum audacter, impudenterque minabatur. De quo videri po-

poteſt Æneas Sylvius, poſtea Papa Pius II. Hic hæreſiarcha perditiſſimus ex peſſima Waldenſium, Wicleffitarum doctrina, & ex aliis à ſe additis ſpecialibus erroribus enormiſſimis Tartaream ſectam Cœlo infeſtiſſimam, & Orco gratam contexuit: hac in dies graſſante lue, res ad Alexandrum dictum V. in Concilio Piſano ſeſs. 29. electum delata eſt: qui eum Romæ comparere juſſit; ſed ſui ſceleris conſcius, juſtæque damnationis futuræ planè certus, adeſſe recuſavit. Tunc Pontifex eos errores tanquam hæreticales proſcripſit, editâ Bullâ, miſſaque ad Archiepiſcopum Pragenſem; in qua illi, ut, ſi facto prius exacto rei perſpecto, exactoque examine, Reus illarum hæreſum eſſet repertus, eum hæreticum declararet, injunxit. Cœterum Joannes Huſs in ſua contumacia perſiſtens, frivolè, vaneque à Bulla illa ad Papam ipſum provocavit, qui morbo impeditus decem menſibus, & octo diebus poſt ſuam electionem, cauſam, quoad pœnas hæretico infligendas, terminare non potuit. Mortuo Alexandro ſucceſſit Joães Papa XXIII. dictus antea Balthaſſar Coſſa Boloniæ 17. Maii anno Dom. 1410. electus, qui compertis illis hæreſibus, factoque Romæ Concilio particulari, errores utriuſque Joannis Wicleff, & Huſs, primi jam demortui, ſecundi adhuc vivi, illorumque ſequaces Pontificia definitione damnavit.

126. Ipſo autem anno; aliud ad eundem finem Concilium particulare ab Henrico Archiepiſcopo Cantuarienſi Londini coactum fuit. Ipſe verò hæreticus Joannes Huſs ad Generale Concilium Conſtantienſe, quod tunc ſub Joanne prædicto XXIII. celebrabatur, non ſine imminentis de ſua nova damnatione periculi metu correptus, ſe contulit. Pontifex autem videns eas præfati Nebulonis hæreſes à Sede Apoſtolica proſcriptas, illum denuo condemnavit, ſeu potius condemnatum eſſe declaravit. Qui demum à Generali Concilio ad Chriſtum appellavit. Tenor, formaque ſententiæ à Concilio datæ hæc eſt: *Præter præmiſſa, & alia plura præfatum Joannem Huſs hæreticum fuiſſe, & eſſe, hæc Sancta Synodus pronuntiat, & tamquam hæreticum judicandum, & condemnandum fore judicat, & condemnat per præſentes, dictamque appellationem, tamquam injurioſam, & ſcandaloſam, & illuſoriam juriſdictionis Eccleſiaſticæ reprobando.*

127. Ex quo vides qualis ſit perduellium hæreticorum obſtinata malitia, fraudolentiaque, & quanta ſit Eccleſiæ Matris noſtræ benignitas, & patientia; hæreticus ille nec primæ, nec ſecundæ ſententiæ, tot probationibus, argumentiſque declaratâ causâ, parere voluit; imò ſemper obſiſtens, ſemper contumax, ſpreto illo ſupremo Tribunali, quod Deus in terris ad optimum ſuæ Eccleſiæ regimen collocavit; ad inviſibile Chriſti Tribunal provocare audet; quaſi Deus providentiæ ſuæ, non relinquendo in terris Judices, à quibus judicia terminentur, deficeret: atque ita dum ſe, cum Rei, ſceleratique ſint, innocentes produnt, divinæ majeſtati, ſanctitatique derogare non dubitant.

128. Eodem anno 1415. die 23. Septembris ſeſs. 19. ejuſdem Concilii, Hieronymus de Praga, qui propter eoſdem errores carceri addictus erat; ſimulans velle ſe abjurare, in publico Conſiſtorio ſimulatè abjuravit. Poſtea verò pertinaciter ad vomitum, canis more, rediens ſimul cum Joanne Huſs anno 1416. die 30. Maii flammis combuſtus eſt, per pronuntiatam totius Concilii ſententiam; quæ extat ibi, nec illam hic attexo brevitati conſulens; mirantibus Purpuratis Patribus, Præſulibuſque tantam perduellium contumaciam, ac mentis cœcitatem. In his tria hujus Hiſtoriæ Scriptores obſervant. Primum eſt illos errores, hæreſeſque fuiſſe à Sede Apoſtolica damnatas judicio irreformabili per ſe loquendo: unde Concilium accedit, ut damnatio fieret ſolemniùs; non ut adderet primò infallibilitatem. Dixi per ſe loquendo: quia cum Papa Alexander V. & Joannes XXIII. in Schiſmate tunc exiſtente, ſolum erant Pontifices probabiliter, ſolum illorum infallibilitas erat ſub opinione probabili; & in illis circumſtantiis non erat aliud medium ad cauſam finiendam.

Secun-

129. Secundum, illa omnia, quæ Concilium definiebat, ſemper eſſe ſubordinata futuro mox eligendo legitimo Pontifici; qui fuit Martinus V. & ideo illo electo procuravit Concilium confirmationem ab eodem Pontifice jam electo; qui quidem confirmavit Concilium quoad certas diſpoſitiones; & ſolùm hæ diſpoſitiones ab eo confirmatæ infallibilitatem obtinuere. Conſtat autem hæc confirmatio ex verbis Concilii ſeſs. 45. quæ ita habent. *Sanctiſſimus Dominus noſter Papa dixit, reſpondendo ad prædicta* (ideſt ad hæreſes, & errores damnatos à Concilio) *quod omnia, & ſingula determinata, concluſa, & decreta in materiis fidei per præſens Concilium conciliariter tenere, & inviolabiliter obſervare volebat; ipſaque ſic conciliariter facta approbat, & ratificat &c.* Itaque Martinus V. electus, & conſecratus Pontifex ſeſs. 45. coram Patribus ejus Concilii generalis, juridicè confirmavit, & ratum habuit omne, quod in illo conciliariter definitum fuerat circa fidem; non verò quodlibet aliud in eo decretum.

130. Tertium eſt, Concilium ipſum etiam generale, & legitimum; adhuc quoad res fidei non habere ultimum, ac irreformabile judicium; aliter non expectaretur ultimum, & definitiuum Papæ; hoc autem ultimum, & definitiuum judicium Papæ eſſe omnino infallibile, & irreformabile; aliter Papæ judicium definitiuum ultimum non expectaretur. Dices, judicium Papæ eſſe ultimum, & irreformabile; ſed præcedente ſemper univerſali Concilio. Verùm hæc objectio jam manet deſtructa ex hactenus dictis; in quibus manifeſtè probatum eſt, Summos Pontifices etiam extra omne Concilium multa definiiſſe de fide; quæ nullo alio expectato, de fide credita ſunt ab Eccleſia.

131. Eodem Sæculo 15. multæ ſunt exortæ hæreſes; quas non vacat hîc recenſere, ne plus, quàm par eſt, excurrat hæc diſputatio, de quibus poteſt videri Eminentiſſimus, ac doctiſſimus Card. Aguirre in ſuo verè aureo Tractatu de Authoritate Papæ diſp. 15. ſect. 5. ex probatiſſimis Authoribus à ſe allegatis; quæ omnes hæreſes fuerunt abſque ullo Concilio ſaltem univerſali damnatæ à Pontificibus Romanis Martino V. anno 1520. Eugenio IV. anno 1531. Nicolao V. anno 1569. Sixto IV. anno 1521. Alexandro VI. anno 1594. & ſtatim fideles doctrinam illam à Pontificibus extra ullum Univerſale Concilium damnatam ut hæreticam, ut talem indubitanter habuerunt.

SECTIO IX.

De infallibilibus definitionibus Summorum Pontificum extra Concilium in duobus ultimis Sæculis 16, & 17.

132. INitio Sæculi 16. Leo X. Papa extra omne Concilium in Bulla expedita anno 1520. 17. Kalendas Julii Pontificatus ſui anno 8. damnavit omnes Lutheri errores hæreticales; qui videri poſſunt apud Aguirre Diſs. 17. tota ſect. 1. inter quos damnatur is art. 27. qui ita habetur. *Certum eſt in manu Eccleſiæ, aut Papæ non eſſe ſtatuere articulos fidei; imò nec leges morum, ſeu bonorum operum.* Sed poſſe ſtatuere articulos fidei, & habere poteſtatem ad definiendum de fide, eſt omninò idem, ut per ſe patet; ergo qui negat Pontificem habere authoritatem ad definiendum de fide, conſequenter dicit Eccleſiam, vel Pontificem non poſſe ſtatuere articulos fidei; quæ eſt propoſitio damnata: maximè quia particula *aut*, ibi non ſumitur conjunctim, ſed disjunctivè; ideſt, qui unum, vel alterum negat. Inter eoſdem errores Lutheri damnatur à Leone X. hic art. 28. qui ita habetur: *Si Papa cum magna parte Eccleſiæ, ſic, vel ſic ſentiret; nec etiam erraret; adhuc non eſt peccatum, aut hæreſis contrarium ſentire, præſertim in re non neceſſaria ad ſalutem, donec fuerit per Concilium Univerſale, alterum reprobatum, alterum approbatum.* Ex quo articulo damnato evidenter colligitur eos, qui dicunt Papam non poſſe definire de fide, niſi intra Concilium Univerſale, incurrere in illum articulum damnatum. Sed Papa cum majori parte Eccleſiæ ſentit ſe

habe-

habere poteſtatem ad definiendum extra Concilium; & de facto Pontifices extra Concilium multas definiunt veritates, ut id negari non poſſint Adverſarii: ergo qui ad definitiones infallibiles neceſſarium eſſe Concilium aſſerunt, in eum articulum damnatum incurrere videntur: videant ergo qui aſſerunt, Concilium ad definiendas res fidei eſſe omnino neceſſarium, quid huic argumento ſit reſpondendum.

133. Eoſdem errores Lutheri damnavit Adrianus VI. qui Leoni ſucceſſit, in Bulla miſſa ad Ducem Saxoniæ Fridericum plena quidem ſumma eruditione, & non minori amore paterno; quæ per extenſum videri poteſt apud Aguirre citata ſect. 2. & ubi primum Leo X. & Adrianus VI. ediderunt diplomata contra dogmata Lutheri, ſtatim totus orbis Catholicus ea cum ſuo perditiſſimo Authore fuit execratus. Mortuo Adriano Papa ſequenti anno 1623. & electo Clemente VII. mox ex authoritate Apoſtolica Laurentius Card. Sanctæ Anaſtaſiæ, ejuſdem Papæ Legatus à Latere in Germania, Conſtitutionem edidit gravem quidem, & eruditione plenam contra Hæreſiarcham Lutherum; contra eundem anno 1528. celebratum fuit Concilium Senonenſe, ſive ab aliis dictũ Pariſienſe; eo quod Lutetiæ fuerit inchoatum anno 1528. Præſide Archiepiſcopo Senonenſi Antonio à Prato Card. Sanctæ Anaſtaſiæ, Galliarum, & Germaniæ Primate, & Franciæ Cancellario; in quo errores Lutheri, & ſequacium à Leone X. & Adriano VI. damnati, magis diſtinctè damnantur.

134. In quo Concilio multa ſunt notatu digna. Primum, in Decreto generali, in quo execrantur PP. illi impia dogmata Lutheri, & ſequacium contra Romanorum Pontificum decreta; *Quæ*, inquiunt, *& Decretales Epiſtolas etiam & Canones Conciliares enervare contendunt*. Itaque abominantur Patres illi Senonenſes impiam Lutheranorum doctrinam, quod Sacros Canones, Pontificumque Decreta per ſummam audeant impudentiam enervare: at qui Sacri Canones, Pontificumque Decreta paſſim continent infallibilitatem Pontificis in definiendo res fidei, & morum; & ſuperioritatem Summi Pontificis, ſuper univerſam Eccleſiam, & ſuper univerſalia Concilia; ut toto hoc opere demonſtratum eſt; ergo pro hac infallibilitate, & ſuperioritate Romani Pontificis, tanquàm doctrinam Catholicam tuentes, Patres illi ſtare videntur.

135. Secundum notatu dignum eſt id, quod Patres illius Concilii mox ſubiungunt, ibi. *Univerſos inſuper, qui aliter, quam Romana credit, & prædicat Eccleſia, credere, & pertinaciter aſſerere attentant, ejuſmodi Concilii (nimirum Lateranenſis) authoritate, velut hæreticos, & pertinaces à communione fidelium ſeparatos declaramus*. At qui Romana Eccleſia non ſolum credit, quæ à Sede Apoſtolica intra Concilia pronuntiantur de fide, & moribus, ſed etiam quicquid è Cathedra pro tota Eccleſia traditur etiam extra omne Concilium; ut hucuſque probatum manet; ergo Concilium illud Gallicanum manifeſtè ſtat pro infallibilitate Papæ etiam extra Concilium Univerſale.

136. Tertium ibi notandum, quod id Concilium præcipit Epiſcopis Suffraganeis, ut obſeruent Conſtitutiones Urbani V. Clementis V. & Bonifacii VIII. adverſus hæreticos, quamvis extra Concilium editas. Quartum in eodem Concilio notandum; quòd ſumma cum veneratione ibi allegetur Concilium à Leone X. celebratum, tanquam ſacrum, & generale, & in eo Concilio inter alia, duo expreſsè definiuntur. Primum eſt Concilium Baſileenſe, in quo habetur Papam eſſe inferiorem Concilio Generali, tanquam Conciliabulum reprobari ſeſs. 11. pag. 683. col. 1. ante med. ibi. *Cum ea omnia poſt tranſlationem ejuſdem Baſileenſis Concilii per Eugenium Papam Quartum etiam Prædeceſſorem noſtrum factam à Baſileenſi Conciliabulo, ſeu potius conventiculo, quia præſertim poſt hujuſmodi tranſlationem Concilium amplius appellari non merebatur, facta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint*. Secundum quod ibi definitur, eſt, quod Romanus Pontifex habeat authoritatem ſuper omnia Concilia, ibi. *Cum etiam ſolum Romanum Ponti-*

tificem, tanquam authoritatem ſuper omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac diſſolvendorum plenum jus, ac poteſtatem habere, nec dum ex Sacræ Scripturæ teſtimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Pontificum etiam Prædeceſſorum noſtrorum, ſacrorumque Canonum Decretis, ſed propria etiam eorumdem Conciliorum confeſſione manifeſtè conſtat.

137. Hîc maximè advertendum eſt duplici modo aliquam veritatem in aliquo Concilio definiri. Primo, magis expreſsè, & diſtinctè; ut per hos terminos: Definimus, declaramus, decernimus, tanquam de fide omnibus credendum. Secundo, non utendo illis terminis tam expreſſivis, definimus &c. Sed tamen proponendo univerſis Chriſti fidelibus aliquod dogma ab omnibus tenendum; quo pacto Lateranenſe Concilium ſub Leone X. propoſuit omnibus Chriſti fidelibus hanc veritatem, ſcilicet, quòd Summus Pontifex habeat poteſtatem ſuper omnia Concilia: unde hæc veritas in hoc Concilio, ut patet, non fuit primo illo modo definita, fuit tamen definita ſecundo modo, ut legenti Concilii verba perſpicuum erit: & hic ſecundus modus non eſt minus infallibilis: nam ſi eſſet falſum, Pontificem habere poteſtatem ſuper omnia Concilia, erraret Concilium Univerſale legitimum, & ſuo capiti unitum proponendo toti Eccleſiæ unam falſitatem; non poſſe verò Concilium generale legitimum, ſuoque ſupremo capiti Romano Pontifici unitum errare, ipſi etiã Adverſarii affirmant: habet igitur Supremus Pontifex poteſtatem ſuper omnia Concilia, ut in hoc Concilio Univerſali pro tota Eccleſia credendum proponitur; & eidem Concilio ad infallibiliter definiendum ſubdi putandum eſt? Si Pontifex Maximus abſque Concilio definire nequit; quî fieri poteſt, ut in hoc, ipſi Concilio non ſubdatur? Si habet poteſtatem ſuper omnia Concilia: quomodo illis ſubditur? ergo vel Pontifex Maximus ad definiendum infallibiliter, etiam independenter à Concilio, authoritatem habet; vel non habet poteſtatem ſupra Concilium, quod tamen illi Univerſali Concilio manifeſtè adverſatur.

138. Eodem Sæculo, paucis annis poſt peractum Concilium Tridentinum, regnante jam B. Pio V. delatæ ſunt ad Sedem Apoſtolicam quædam propoſitiones Baii Doctoris Lovanienſis; quæ maturè diſcuſſæ ab eodem Pio V. & poſtea ſolemnius à Gregorio XIII. damnatæ ſunt reſpectivè. Hæc Bulla extat reliquas inter apud Cherubinum, & apud Soar. de Grat. tom. 1. Prolog. 6. cap. 2. Ripald. initio Tom. contra eundem Bajum Bulla Pii fuit edita 7. Kal. Octobr. 1567. publicata verò à Gregorio XIII. 4. Kal. Febru. 1579. ſtatim verò illa Pontificia definitio abſque ullo Concilio Univerſali, ut infallibilis fuit recepta in Eccleſia.

139. Epiſcopus Iprenſis, Sæculo præſenti, idest 17. Cornelius Janſenius multa edidit opera; in quibus erant aliqui errores; qui ab Urbano VIII. matùra facta diſcuſſione condemnati ſunt non tam diſtinctè. Verùm cum aliqui diſcipuli Janſenii ſuum vellent excuſare Magiſtrum; contendebant eam doctrinam nullam hæreſim continere; cùm à Pontifice non fuerit diſtinctè damnata. Præſules verò Gallicani fidei Catholicæ zelo fervidi ſcripſerunt ad Innocentium Papam X. Urbani Succeſſorem anno 1653. ut eas ſingulas propoſitiones damnaret; quod quidem ille fecit, facta maturiùs examinatione, applaudentibus ubique fidelibus, præſertim Gallis; quin tamen ullus expectaret aliquod Univerſale Concilium.

140. Itaque Innocentius X. anno 1653. & ſui Pontificatus Anno nono, diſtinctè damnavit quinque propoſitiones Janſenii, hoc tenore. Primam. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent vires, deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.* Temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & ut talem damnamus.

Secundam. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Tertiam. *Ad merendum, & demerendum*

rendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione. Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quartam. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*. Falſam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quintam. *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*. Falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu; *ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorũ mortuus ſit*; impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Et in fine addit Summus Pontifex hæc verba: *Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem ſuper prædictis quinque Propoſitionibus approbare ullatenus aliàs opiniones, quæ continentur in prædicto Libro Cornelii Janſenii*.

141. Quæres hic an prædicti Authores fuerint hæretici formales, & in ſua falſa doctrina contumaces? De Bajo dicunt communiter Authores, ſtatim ac vidit doctrinam reprobatam à Summis Pontificibus, illis obediſſe, & cum doctrina Catholica ſe conformaſſe. Extat ejus abjuratio, & ſuæ doctrinæ retractatio, per hæc verba: *Ego Michael de Baii, Cancellarius Univerſitatis Lovanienſis, agnoſco, & profiteor me ex variis colloquiis, & communicationibus habitis cum Rev. P. Doct. Franciſco Toleto Concionatore Suæ Sanctitatis, & ad hanc rem ſpecialiter miſſo, ſuper diverſis ſententiis, & propoſitionibus, olim à Sanctiſs. Domino Noſtro Pio V. fel. record. ſub data Kalendar. Octobr. 1567. & nuper à Gregorio XIII. moderno Pontifice Maximo ſub data 4. Kal. Febr. anno 1579. iterato damnatis, & prohibitis, ita motum, & eo perductum eſſe, ut planè mihi habeam perſuaſum, earum omnium ſententiarum damnationem, atque prohibitionem jure, meritoque, ac non niſi maturo judicio, & diligentiſſima excuſſione præmiſſis, factam, ac decretam eſſe. Fateor inſuper plurimas ex iiſdem ſententiis in nonnullis libellis à me olim, & ante emanatam Sedis Apoſtolicæ ſuper iis cenſuram, conſcriptis, & in lucem editis contineri, & defendi etiam in eo ſenſu, quo reprobantur. Denique declaro me in præſentiarum ab iis omnibus recedere, & damnationi à Sancta Sede factæ acquieſcere, neque poſt hac ullas docere, aſſerere, aut defendere velle. Actum 24. Maii anno 1580. Michael de Baii*.

142. De Janſenio autem; cum illo jam mortuo, doctrina ejus fuerit damnata; incertum eſt, quid efficeret, ſi illo adhuc vivo doctrina illa fuiſſet damnata. Nihilominus conjectari poteſt illum cenſuræ Sedis Apoſtolicæ obediturum; ex illius verbis to. 2. lib. 1. c. 29. ubi ſic ait: *Mihi conſtitutum eſt, quam ab infantia ſecutus ſum, ſenſuum meorum ad extremum uſque ſpiritum ducem ſequi Romanam Eccleſiam, & Beatiſſimi Petri in Romana Sede Succeſſorem: ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque cum illo non colligit, ſpargit &c*. Idem dicit lib. 10. de Gratia Chriſti. Janſenii diſcipuli reſpondent Janſenium in prædictis verbis loqui de Pontifice definiente in Concilio. Sed hi Janſeniſtæ, dum contendunt excuſare doctrinam, incuſant Doctorem. Siquidem Janſenius dixerat ſe ſæpius omnia Divi Auguſtini ſcripta evolviſſe. Sic enim ait lib. Proemialium cap. 10. *Volutationi, & lectioni aſſiduæ univerſorum Librorum D. Auguſtini, iterum, iterumque ſæpius repetitæ per 22. annorum ſpatium immerſus fui &c*. & id etiam legitur in Synopſi vitæ Janſenii affixa ejus operi. Sed D. Auguſt. lib. 4. contra duas Epiſtolas cap. 12. reiicit Pelagianos appellantes ad Cõcilium generale. Sic enim ait S. Doctor. *An verò Congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? quaſi nulla hæreſis aliquando, niſi Synodi congregatione damnata ſit: cùm potiùs rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit; multoque ſint, ac incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari, damnarique*

meruerunt; atque inde per cæteras terras devitandæ innoteſcere potuerunt. Verum iſtorum ſuperbia, quæ tantum ſe extollit adverſus Deum, ut non in illo velit, ſed potiùs in libero arbitrio gloriari; banc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur: orbem quippè Catholicum, quoniam Domino eis reſiſtente, pervertere nequeunt, ſaltem commovere conantur: cum prius vigilantia, & diligentia Paſtorali poſt factum illis competens, ſufficienſque judicium, ubicumque apparuerint iſti Lupi, conterendi ſint, ſive ut ſanentur, atque mutentur, ſive ut ab aliorum ſalute, atque integritate vitentur, adjuvante Paſtore Paſtorum.

143. In quibus verbis D. Auguſtinus manifeſtè dicit ad damnandas hæreſes non eſſe opus Synodo Generali, ſed ſufficere authoritatem Paſtoris Paſtorum, qui eſt Summus Pontifex; & idem dicit ſerm. 2. de verbis Apoſtoli; cùm ad Africanos perveniſſet reſponſum Romani Pontificis in cauſis fidei; ſic ait: *A Sede Apoſtolica reſcripta venerunt; cauſa finita eſt &c.* & lib. 2. operis Imperfecti, ibi. *Quid adhuc quæris examen, quod jam factum eſt apud Sedem Apoſtolicam? ergo hæreſis non adhuc examinanda, ſed coercenda poteſtatibus ſæcularibus.* Si ergo Janſeniſtæ dicunt Janſenium vidiſſe, & ſæpiùs evolviſſe ſcripta Augùſtini, & D. Auguſtinus tam clarè affirmat ad damnandas hæreſes non eſſe opus Synodo generali, ſed ſufficere authoritatem Pontificis Romani, non eſt dubitandum ipſum etiam Janſenium, ſi vixiſſet, ſuaſque opiniones vidiſſet à Sede Apoſtolica damnatas; aquieturum fuiſſe judicio Summi Pontificis, & non appellaturum ad judicium Concilii generalis: dato tamen, quod ille ſic appellaret; potiùs deberent Janſeniſtæ credere D. Auguſtino: & non Janſenio, ſi forte contrarium affirmaret: ſed revera ipſe Janſenius in citatis verbis; clarè aſſerit ſe ducem ſequi Petri Succeſſorem; & nihil loquitur de Synodo.

144. Omitto hîc in hoc noſtro Sæculo varia Decreta Pontificum; quibus extra omne Concilium damnatæ ſunt multæ propoſitiones, ut patet ex Decreto Alexandri Papæ Septimi, 24. Septembris 1665. & ex alio Decreto ejuſdem Papæ, 18. Martii 1666. item ex Decreto Innocentii Undecimi, die, 2. Martii 1679. & ex illo Decreto quo damnavit ut hæreticam doctrinam Michaelis de Molinos anno 1687. de quo poteſt videri Author Galliæ Vindicatæ.

SECTIO X.

Formatur ex hactenus dictis ineluctabilis probatio de infallibilitate Summi Pontificis in definiendo res fidei, etiam extra Concilium.

145. IN præcedentibus Sectionibus manifeſtiſſimè probatum eſt ex evidentibus teſtimoniis à primo Sæculo Eccleſiæ, uſque ad Sæculum præſens, in quo regnat Sanctiſs. D. Papa Innocentius XII. omnium Prædeceſſorum ſuorum Pontificum corona, & decus immortale; Univerſalem Eccleſiam ſemper tanquam de fide credidiſſe, quidquid etiam extra Concilium generale Pontifex Romanus definivit pro Cathedra, ideſt, ut docens pro tota Eccleſia, ea, quæ ſunt credenda, & anathematizans ea, quæ ſunt reprobanda: vel ergo à principio Eccleſiæ uſque ad hoc tempus Eccleſia rectè credidit, vel erravit: Si credidit fide ſupernaturali Divina, tanquam infallibile, & omninò certum id, quod Pontifices, etiam extra Concilium, pro Cathedra definierunt: ergo illi habuerunt authoritatem infallibilem; Si erravit ita credendo; ergo verba Chriſti ſunt falſa; ex quibus conſtat Eccleſiam Dei nunquam erraturam: juxta illud, *Portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam*; & juxta illud; *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*; ſed verba Chriſti ſunt infallibilia; juxta illud, *Cœlum, & terra tranſibunt; verba autem mea non tranſibunt.* Non poteſt igitur negari ſine errore, in doctrina Catholica Pontifices habere authoritatem infallibilem ad definiendum pro Cathedra:

dra: quid autem ſit definire pro Cathedra; infra demonſtrabitur.

146. Præterea, ſi Chriſtus non dediſſet Petro, & ejus Succeſſoribus Romanis Pontificibus infallibilem authoritatem ad definiendum, quid ſit hæreticum, & reprobandum, ac execrandum à fidelibus, & quid ſit credendum, & ampleſtendum ab iiſdem, niſi dependenter à Synodo generali, Chriſtus non haberet perfectiſſimam providentiam erga ſuam Eccleſiam; ſed eſt de fide certum, Chriſtum habere perfectiſſimam providentiam erga ſuam Eccleſiam: ergo Pontifices habent infallibilem authoritatem definiendi independenter à Concilio Generali. Conſequentia eſt manifeſta. Secunda propoſitio neque etiã ab Adverſariis negatur; nec poteſt negari ſalva fide. Probatur major: nam quæ providentia foret heri, ſi cum poſſet ponere Paſtorem, qui valeret gregem liberare à lupis, poneret unum, qui non poſſet, niſi expectando aliquos ſocios, qui vel non venient, vel tam tardè, ut interim lupi diſcerpant gregem? Quam ſtragem non faceret in Eccleſia Dei Pelagius, ſi præſtò non occurreret Summus Pontifex, damnando hæreſes illius hæretici? idem de Ario, & aliis hæreticis; quos multò ante Concilium generale damnarunt Pontifices: ne interim, dum non congregabatur Concilium generale, tota Eccleſia veneno hæretico inficeretur. Si Pontifex Romanus, ut damnaret hæreſes Lutheri, expectare deberet Concilium Tridentinum, quam ſtragem non faceret Lutherus, ſpatio treſdecim annorum, quo fuit finitum illud Concilium? & ſic de ſimilibus. Itaque vel Chriſtus non habuit providentiam, vel Pontifex habet infallibilitatem: non poteſt primum aſſeri, ergo ſecundum non poteſt ullo modo negari.

147. Confirmatur alio non minus efficaci principio; quia ſicut poſſibile fuit, quod Chriſtus dederit infallibilitatem Pontifici ſolùm intra Concilium; permittendo ruinam ſuæ Eccleſiæ interim, dum Concilium non cogebatur, ob ſua inſcrutabilia judicia, vel permittendo, quòd interim Pontifex ſola authoritate fallibili, probabili tamen, uteretur, & ſequerentur in Eccleſia errores materiales, ſi fortè Pontifex definiret falſum; ita poſſibile fuit, quòd Chriſtus dederit infallibilitatem Pontifici etiam extra Concilium; non permittendo errorem ullum in definiendo. Si eveniret primum, poſſet Pontifex errare, extra Concilium definiendo; ſi eveniret ſecundum, non poſſet Pontifex, in definiendo etiam extra Concilium, errare: in his duobus concordant nobiſcum Adverſarii: qualis verò de facto poteſtas definiendi ſit conceſſa Pontifici, cum dependeat à voluntate libera Chriſti, non poteſt cognoſci, niſi ex revelatione divina, ſaltem Sacris Canonibus, Conciliorum Decretis, Sanctorumque Patrum teſtimoniis declarata. Sed Pontifici fuiſſe conceſſam poteſtatem definiendi primo modo, non probatur ab ullo textu ſacro, vel ab ullo Concilio legitimo, vel ab ullo Canone recepto; fuiſſe verò conceſſam poteſtatem Pontifici ad definiendũ ſecundo modo, ideſt, infallibiliter etiam extra Concilium, manifeſtè probatur ex multis locis Sacræ Scripturæ, ex multis Conciliis Generalibus, ex Sacris Canonibus, ex authoritate Sanctorum Patrum tam Latinæ, quàm Græcæ Eccleſiæ; & ſolum id negant, vel Hæretici, vel Schiſmatici, vel aliqui pauci Catholici ob ſuas peculiares convenientias temporales; ut patet manifeſtè, ex tota hac ſuperiori doctrina; ergo non poteſt negari ab homine ſapiente, & procedente ſeriò, ac ſine paſſione, dari in Pontifice Romano hanc poteſtatem infallibilem definiendi verum, etiam extra Concilium. Hæc demonſtratio eſt adeo evidens, ſuppoſitis Principiis Theologiæ, ut nihil reſpondeant, nec poſſint reſpondere Adverſarii, quod ſatiet intellectum.

148. Videamus, quid reſpondeant Adverſarii: Prima illorum reſponſio eſt, hanc opinionem, ſcilicet, quòd Papa non habeat infallibilitatem in definiendo extra Concilium; & quòd Papa ſit inferior Concilio, adhuc non eſſe damnatam ab Eccleſia; & illam ſequi multos Doctores Catholicos, & pios, ut Joannem Gerſon, Abulenſem, Panormita-

mitanum, Caſtro, & multos Doctores Pariſienſes; & tamen iſti non ſunt damnati ab Eccleſia; nec ſunt, nec poſſunt hæretici appellari; imò in hoc demonſtrant ſe eſſe Catholicos, & orthodoxos, dum ſunt parati ad obediendum Concilio orthodoxo, & univerſali. Et confirmant hoc ſuum fundamentum duobus Conciliis generalibus Conſtantienſi, & Baſileenſi; in quibus illorum opinio videtur clarè eſſe definita. In primis quoad Concilium Conſtantienſe, quod quidem fuit legitimum; nullius vigoris eſt argumentum: nam loquitur de Papa dubio; ut ſupra demonſtratum eſt: minus urget Baſileenſe; quia licèt loquatur etiam de Papa indubitato, qualis erat tunc Eugenius IV. attamen hoc Concilium, ſeu potius Conciliabulum fuit reprobatum ab ipſo Eugenio IV. à Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. 11. à Pio II. ut ſupra vidimus: Concilium autem, quod à Sede Apoſtolica non approbatur, nullum habet vigorem, ut ipſimet Adverſarii, cum quibus contendimus, fatentur: quare ex hac parte corruit fundamentum Adverſariorum.

149. Quod verò Eccleſia nunc non condemnet ut hæreticam illam opinionem, eſt argumentum purè negativum; quod nihil valet. Primò, quia ſatis illam opinionem jam habet reprobatam in Concilio Lateranenſi, Florentino, in Conſtitutione Martini V. in multis Sacris Canonibus, in Sanctis Patribus, pro ut ſupra evidentiſſimè declaratum eſt: imò ſe habet Eccleſia prudenter non declarando hæreticos illos AA. timore majoris mali; ſed iſta ejus permiſſio, ſeu potius diſſimulatio, non eſt, nec eſſe potuit, approbatio erroris, ſed timor Schiſmatis; quemadmodum pater, qui habet filium primogenitum, à quo videt dependere ſuam familiam; ſi videat iſtum filium in aliquibus eſſe inobedientem, & prudenter timeat, ſi illum graviter puniat, nè è domo fugiat; illum interim tolerare impunitum, non eſt approbatio exceſſus, ſed timor diſceſsûs. Sic quòd Reſpublica permittat meretricium, nè fiant adulteria; eſt timor adulterii, non approbatio meretricii. Secundò, quia ſatis declarat Eccleſia ſe damnare illam opinionem negantem infallibilitatem Papæ in definiendo extra omne Concilium; quando toties extra Concilium definit multas hæreſes, ut vidimus à primo, uſque ad hoc tempus Eccleſiæ, condemnando ut hæreticos, eos, qui in illis à ſe damnatis contumaciter perſiſtunt.

150. Sin minus dicant iſti Patres Doctores Pariſienſes pugnantes jure optimo contra errores Janſenii, quid reſpondebunt Janſeniſtis; qui dicunt eas, ſcilicet propoſitiones Janſenii non fuiſſe damnatas in Concilio; ſed à ſolo Papa, proindeque adhuc poſſe defendi, ut non hæreticas? Si dent manus argumento Janſeniſtarum, Cur pugnant contra illos? Si agnoſcunt infallibilitatem Papæ in illis quinque propoſitionibus extra Concilium damnatis; cur negant infallibilitatem in aliis materiis? nam infallibilitas non minor eſt in una materia, quàm in alia: Deus enim non minorem fidem meretur, quando revelavit Canem Tobiæ, quàm dum revelavit Myſterium Trinitatis.

151. Nec ſatisfaciunt dicendo eſſe Catholicum, qui paratus eſt obedire Catholicæ Eccleſiæ Congregatæ. Hæc eadem reſponſio fuit Pelagii, Arii, Lutheri; & tamen non obedierunt Concilio, qui non obediverant definitioni: hæc enim eſt hæreticorum conſuetudo, confugere ad Concilium, quod ſciunt tardiſſimè congregandum; ut interim liberè, & impunè ſpargant hæreſes: & coactum poſtmodùm Concilium, non admittant, ut fecit Arius, Pelagius, Lutherus, & aliæ peſtes ſimiles. Hoc quidem non eſt quærere Concilium, ſed libertatem, non ſtudioſiùs procurare antidotum, ſed liberiùs ſpargere venenum. Ad allegatum Gerſonem, & alios Doctores contrarium opinantes, dico illos Doctores falli, præſertim, quia erant decepta membra Conciliabuli Baſileenſis ab Eccleſia reprobati: imò credendum eſt eos loqui in caſu Papæ dubii: quod ſi loquantur de Papa indubitato; illorum authoritas nulla omnino eſt contra tot Concilia Generalia, SS.PP. & Sac. Canones; ut ex dd. clariſſimè patet.

Secun-

152. Secunda illorum reſponſio eſt; definitiones Pontificias poſſe ſumi triplici modo. Primo, quando primò proferuntur; adhuc tamen non ſunt receptæ ab Uniuerſali Eccleſia. Secundo, quando jam ab Univerſali Eccleſia ſunt receptæ. Tertio, quando ſunt de materia jam definita in aliquo Concilio generali legitimo, & à Summo Pontifice approbato, vel de aliqua veritate expreſſa in Sacra Scriptura, vel tandem de aliqua veritate indubitabili ab Eccleſia. Quando definitio Pontificis procedit primo modo; Definitio, inquiunt, continet ſententiam probabilem, non veritatem infallibilem; & ſecundum illam ſententiam probabilem, poſſe Judices Eccleſiaſticos benè, quidem, ſed non infallibiliter judicare; poſſe tamen ab illa ſententia Papæ extra Concilium definientis ad Sedem Apoſtolicam, ideſt, ad ipſum Papam in Concilio definientem, appellari. Quando definitio procedit ſecundo modo; vel etiam tertio, jam habere infallibilitatem; quia jam ſumitur Pontifex cum tota Eccleſia; cum qua non poteſt errare; & hoc ſecundo, & tertio modo procedere omnes illas definitiones Pontificias fluentes à primo Eccleſiæ Sæculo, uſque ad hoc præſens Sæculum Summi Pontificis Innocentii XII. In quibus definitur ſemper aliqua veritas juxta ſecundum, & tertium modum conſiderata. Hac reſponſione putant Adverſarii, qui ſe Catholicos profitentur (nam hic cum hæreticis nō contendimus) triumphare. Sed ex mox dicendis, quàm parum nerui habeat reſponſio, manifeſtum erit.

153. Incipiendo à primo, quod ſcilicet Pontifex extra Concilium infallibilem non habeat authoritatem, eſt cōtra ſacros Canones ſupra allegatos; contra Concilia ſupra adducta; imo contra Sacram Scripturam explicatam ſecundum conſenſum Sanctorum Patrum; in quibus manet ſupra evidenter demonſtratum, Summum Pontificem habere infallibilitatem in definiendo res fidei; nec ibi expectatur conſenſus Eccleſiæ, ut definitio ſit firma; ſolùm expectatur in ſubditis obedientia præſtanda; & in Supremo Prælato veritas definienda; & non quòd oves regant Paſtorem; ſed quod Paſtor dirigat oves: unde quando quilibet fidelis primo habuit certam notitiam definitionis Pontificiæ, vel dubitavit de illa veritate definita, vel illam, ut de fide certam infallibiliter credidit; ſi credidit; ergo illa ſententia Pontificis non fuit accepta, ut ſolum ſententia probabilis: opinio enim eſſentialiter includit formidinem partis oppoſitæ, ſive intrinſecè, ſive extrinſecè, prout loquuntur Logici. Si dubitavit; ergo ſemper fidelis manebit anxius, an illa propoſitio ſit benè condemnata, necne; an veritas ſit de fide, necne; deinde licet inveniatur illa veritas expreſſa in Scriptura; ſemper dubitabit, an ille ſit ſenſus germanus Scripturæ; an etiam ſit in Concilio generali, in hoc ſenſu definita, an etiam ſit recepta veritas illa ab Eccleſia, tanquam de fide, necne: & ſic vel tota noſtra fides erit dubia, fallibilis, & perplexa; vel ſi non ſiſtatur in ipſa authoritate Pontificis; unuſquiſque ſuo dirigetur judicio, & peculiari inſtinctu, circa Concilia, Scripturas, & Traditiones; quod eſt incidere in hæreſim Lutheri, Calvini, & aliorum recentium Hæreticorum; ſed noſtra fides debet eſſe firma, certa, & indubitabilis; aliter non erit ſcala ſalutis, ſed præcipitium damnationis, juxta Symbolum D. Athanaſii. *Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quiſque fideliter, firmiterque crediderit, ſaluus eſſe non poterit*: ergo neceſſariò Pontifex pro Cathedra ſedens, ſeu agens Magiſtrum Eccleſiæ, debet eſſe Regula viva, certa, & infallibilis noſtræ fidei, ne Eccleſiæ Chriſtianæ ædificium ſit ruinoſum, ſed huic petræ fundamentali firmiter adhærendo, firmum permaneat, & ſtabile, juxta Chriſti promiſſionem: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam*: Ex his patet, quàm fragilis, & inanis ſit hæc ſecunda Adverſariorum reſponſio.

154. Hanc etiam reſponſionem frivolam, inanemq; agnovit Regale Sacerdotium, prælud. 2. 5. num. 3. cujus verba aurea hic tranſcribo, quæ ita habent: *Nec magis hac declaratione Catholicis*

con-

conſultum credimus: ſi quæ enim inter Catholicos de Religione dubitatio ſurgat, habent in Romano Pontifice Judicem erroris expertem, & infallibilem; cui omnes, & meritò acquieſcunt: jam hac ipſa infallibilitate decidendi Papæ ademptâ, & in Concilium translatâ, quem rogo Judicem adibunt, qui lites dirimat? nam ſi ad Concilium differantur, erunt utique immortales: imitari ergo Judices Areopagi oportebit, qui difficili, implexaque lite productâ, partes jubebant poſt centum annos judicio ſiſti, accepturas nimirum à morte ſententiam. Vicerunt Janſeniſtæ, ſi Concilium expectatur, & Innocentius, Alexander, Clemens, Pontifices Maximi errare potuerunt. Veriſſimè ſcribit Beatus Cyprianus Epiſt. 55. ad Cornelium. Non aliundè hæreſes ſunt exortæ, & nata Schiſmata, quàm quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia Dei Sacerdos, & Judex vice Chriſti cogitatur.

SECTIO XI.

Quid ſit propriè definire pro Cathedra?

155. EX tota hac ſuperiori doctrina manifeſtè deducitur Summum Pontificem non poſſe errare, quando ex Cathedra definit, etiam extra Concilium, ſed adhuc reſtat explorare, quid ſit propriè definire pro Cathedra: hoc in hac ſectione diſcutiemus. Definire pro Cathedra nihil aliud eſt, quàm definire, ut formaliter eſt Pontifex Maximus totius Univerſalis Eccleſiæ, & utens poteſtate Clavium ſcientię ad diſcernendum verùm à falſo, doctrinam Catholicam ab hæretica, per ſpecialem aſſiſtentiam Spiritus Sancti; nè à veritate deflectat, & ut ſic agens non ut privatus Doctor, ſed ut Magiſter totius Eccleſię, per Pontificium Oraculum, à Domino conſtitutus ad dicendum infallibiliter verum. Ita deſcribunt communiter Sancti Patres, & Sacri Theologi, prout videre eſt apud Eugenium Lombardum de Regal. Sacerdotio lib. 2. §. 6. pag. 357. ubi Lit. B. citat Caſſutium in ſua hiſtorica notitia, ubi agit de Sexta Synodo, & copioſiùs lib. 3. §. 1. pag. 467. Valentia 2. 2. qu. 1. punct. 7. §. 39. Soar. contra Regem Angliæ lib. 1. cap. 6. num. 15. & 16. Granad. 2. 2. Controv. 1. tract. 7. diſp. 2. ſect. 4. num. 1. Cardenas de probabilitate tract. 1. diſput. 9. cap. 20. art. 3. num. 33. pag. 109. Vincentius Faſſari in Append. pag. 70.

156. Ad quod intelligendum, obſerva primò poſſe multas actiones ab eodem materiali principio ſub diverſa tamen formalitate prodire. Exemplo ſit in homine, à quo procedunt actiones ſenſus, appetitus, intellectus, voluntatis, naturales, & ſupernaturales, quæ quidem diverſæ ſunt actiones, & procedunt ab eodem homine, ſed ſub diverſis rationibus formalibus. Actio ſenſus procedit ab homine, ſed prout formaliter eſt ſenſitiuus; actio appetitus ab eodem, ſed prout formaliter eſt appetitiuus; actio intellectualis, ab illo, ſed prout formaliter eſt intellectiuus; actio voluntatis, ab illo, prout formaliter eſt volitiuus; actio naturalis ab illo, prout formaliter eſt ens naturale operans ex principio formali naturali; actio ſupernaturalis ab illo, prout formaliter eſt affectus principio aliquo ſupernaturali, ut quando operatur ex habitibus ſupernaturalibus, fidei, ſpei, charitatis, & aliarum virtutum ſupernaturalium; ſic pari modo contingit in hoc homine, qui eſt Pontifex Maximus, & Supremus totius Eccleſiæ Paſtor, & Rector, Doctor, ac Univerſalis Magiſter, à Deo conſtitutus pro docenda, dirigenda, inſtruenda, & conſervanda, ac confirmanda Eccleſia; & pro ea liberanda ab omni perverſæ doctrinæ macula, & nævo; ut ſit Chriſti ſponſa pulchra, ſine macula, & ruga hæreticalis doctrinæ. His igitur homo poteſt diverſis modis conſiderari; Primò, ut perſona privata, & privatus Doctor. Secundò, ut perſona publica, & Doctor Univerſalis Eccleſiæ, ſeu ut Summus Pontifex, & Papa Univerſalis. Quantum ad primum poteſt eſſe fallibilis, ſicut alii homines, & Doctores privati, juxta illud, *omnis homo mendax*: quia ut ſic, operatur ut homo,

mo fragilis, fallibilis, & errori ſubjectus: unde poteſt Papa componere aliquem librum, ſicut alii Doctores; & in illo, ſicut alii, errare; ideoque ea, quæ ibi definit, ut priuatus Doctor, non ſunt de fide; ſed ſolum habent eam authoritatem, quàm cæteri alii Doctores habent: unde illa doctrina non dicitur Papalis, & Pontificia, licet ſit & procedat ab illo homine, qui eſt Papa; quia non procedit ab illo, prout formaliter eſt Papa, & communis, publicusque Doctor Univerſalis Eccleſiæ.

157. Obſerva 2. Deum ſolùm promiſiſſe infallibilitatem huic homini pro ut formaliter eſt Papa, & Univerſalis Doctor Eccleſiæ, ad illam in fide confirmandam, & dirigendam. Ita omnes Sancti Patres, Sacri Theologi Concilia, Canones, & Decreta; quæ, ut hactenus explanatum, & expenſum eſt, ſolùm conſiderant in definitionibus Papam, formaliter Papam, Supremum Paſtorem, Summum Pontificem, communemque Univerſalis Eccleſiæ Doctorem. Probatur 1. ex Teſtamento veteri, in quo ſolùm conſulebatur Summus Sacerdos in ambiguis fidei quæſtionibus dirimendis, quando erat Solemni Pompa veſtitus, ut patet Exodi 28. & habebat veſtitum Ephod; in quo erat inſcriptum *Veritas*, & ſolum tunc appellabatur Oraculum, *Urim*, & *Thummim*. Unde hoc oraculum ſolum peragebatur quando Summus Sacerdos agebat ſolemniter Pontificem; *Deo, hac ratione oſtendente, munus Eccleſiam inſtruendi, & in cauſis ambiguis judicandi, ad Summum quidem Sacerdotem pertinere, non tamen ſemper, & ubique, ſed cum Pontificem agit; tunc enim, & non aliàs, eum cælitus, ne fallat, aut fallatur, illuſtrari.* Itaque in hoc Oraculo Pontificio tria notantur. Primum, ornatus Pontificalis. Secundum, inſcripta Veritas. Tertium, deciſio, ſeu definitio quæſtionis ad fidem, vel ad mores pro tota Eccleſia, quæ tunc erat Synagoga, univerſaliter edocendos pertinentis; & ut omnes fideles, ſub pœna mortis ei Pontificiæ definitioni ſtarent. Illa ergo definitio non erat actio privati hominis, ſed Pontificis, ideoque erat infallibilis veritatis ſignificatæ per illos caracteres. *Veritas*, quod nomen ſolum inſcribebatur in illo homine, ut agente Pontificem; ergo ſolum erat infallibilis veritatis, cum Pontificem agebat: quia ſolum tunc ei infallibilis Dei veritas, ne erraret, ſpecialiter aſſiſtebat.

158. Probatur 2. ex Matth. 23. ubi Chriſtus jubet, Scribas, & Phariſæos audiri, eorumque doctrinam obſervari, eo præciſè, quia ſuper Cathedram Moyſis, & Prophetarum ſederint, ibi. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite; ſecundum verò opera eorum nolite facere*. Unde Chriſtus Dominus conſideravit ibi duas actiones. Prima erat actio Cathedræ, *ſuper Cathedram*; ſecunda erat actio Phariſæorum, & Scribarum, *opera eorum*: quantum ad primam; jubet Apoſtolos illam ſequi; quia cum ſit actio Cathedræ, eſt infallibilis veritatis: quantum ad ſecundam, jubet, illam non ſequi, quia erat actio non doctrinalis Cathedræ, ſed fragilitatis humanę. Et ratio à priori eſt; quia Deus quando præcipit, intenditque finem; applicat neceſſaria media, ſine quibus ille non poteſt finis obtineri. Cùm verò Deus intenderit, & voluerit, ut omnes fideles in caſibus dubiis, & difficilibus ad fidē pertinentibus, à Pontifice, ut formaliter tali & ut agente Magiſtrum Eccleſiæ dirigerentur ſecuri, & tuti ab omni errore; neceſſariò debuerat illi Pontifici, ut definienti, infallibilitatem concedere; aliter ſi fideles ſcirent, vel dubitarent, illum habere fallibilitatem, ſecuri non eſſent; timerentque, nè errarent à via veritatis; quod erat contra finem à Deo intentum.

159. Probatur 3. ſpecialiter in lege gratiæ ex Lucæ 22. v. 32. *Simon, Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. In quo Textu multa notantur. Primum eſt perſecutio Eccleſiæ facta ab hæreticis à Satana inſtigatis, ibi. *Sathanas expetivit vos, ut cribraret*. Secundum, infallibilitas veritatis fidei Petri, ut Summi

Digitized by Google

Paſtoris conſiderati impetrata efficaciter à Chriſto, ibi. *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*; ideſt, fides tua, ſeu fides tuæ Sedis Apoſtolicæ. Tertium confirmatio in fide, qua Petrus, ſive Sedes Petri, confirmat fratres ſuos, ideſt, fideles omnes. *Tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. Confirmat Petrus Eccleſiam, dum illam ut Magiſter univerſalis docet in fide Catholica: Chriſtus promittit infallibilitatem confirmanti, ſeu ut confirmet docens; ergo ſolum, & ſemper quando agit Magiſtrum Eccleſiæ, infallibilitatem habet: aliter Chriſtus non daret Petro medium proportionatum infallibilitatis, præcipiendo, & efficaciter volendo finem, fideles confirmandi infallibiliter; quod eſſet facere Chriſtum minus providum & prudentem.

160. Hactenus probatùm eſt, tunc Pontificem Romanum definire pro Cathedra, quando ille definit docens Univerſalem Eccleſiam tam dogmata credenda, quàm mores ſequendos, atque ita agit, ut Summus Pontifex, ac Doctor Eccleſiæ; & in hoc conſiſtit definire pro Cathedra; verum adhuc reſtat explorare, quæ conditiones requirantur, ut cenſeatur loqui tanquam totius Eccleſiæ Doctor, & fidei Magiſter: in hoc vertitur cardo rei. Communis, & vera Theologorum reſponſio eſt; tunc docere tanquam totius Eccleſiæ Magiſtrum, ac Doctorem; quando implorato Divini Numinis auxilio toti Eccleſiæ Univerſali definitè proponit, quid credendum, quidvè ſequendum ſit; factâ illâ maturâ diligentiâ, ac examine rerum de quo ſupra jam ſumus loquti; quando autem ita definit pro tota Eccleſia, Semper nos debemus præſumere illum jam omnem diligentiam adhibuiſſe, & ad nos hoc explorare non ſpectat, ſed definita credere; & tunc Deus non permittet illum toti Eccleſiæ falſum proponere, ſed illi aſſiſtet infallibiliter, ut verum dicat, & proferat.

161. Ex hac verò ratione ineptè ſatis, vanèque arguunt aliqui Recentes ſolùm in Concilio Pontificem poſſe definire, vel ſaltem, quando tota prorſus Eccleſia cum definiente concordat: ſic enim cum toto corpore colligatum viſitur caput; & tunc ſolum in unitate corporis Eccleſiaſtici Papa definit. Verùm hæc ratio à tota ſuperiori noſtra doctrina remanet jugulata; in qua maniſeſtiſſimè oſtenſum eſt ab exordio naſcentis Eccleſiæ plurimas Pontificum definitiones extra Concilium Univerſale, & etiam quando multi perduelles ſumma opum vi reluctabantur; neque propterea Pontifex abſque unitate corporis Eccleſiaſtici definire dicebatur. Exiſtimabitur ne Pontifex Romanus caput ab Eccleſia diſiunctum, nunc quando non eſt coactum Concilium? Dicebatur ne Pontifex non definire in unitate corporis Eccleſiaſtici, quando contra Pelagium definiebat? contra Arium? contra Dioſcorum? contra Macedoniũ, Photium, Lutherum, Calvinum, & contra alias Chriſtianæ Reipublicæ peſtes, repugnantibus tum tot Chriſtianorum millibus? manifeſtum igitur eſt ad definiendum pro Cathedra, nec Concilium convocari, nec omnino Chriſtianorum turmas conſentire definitioni requiri. Immo, quia ipſi à vera doctrina diſſentiunt, Pontifices veræ doctrinæ definitiones moliuntur.

162. Ex his ergò ſic obſervatis maniſeſtè deducitur, quid ſit definire pro Cathedra, & quod ſic definiendo nunquam poſſit errare; ſed quod ille definit ut hæreticum, ſit in Eccleſia habendum ut hæreticum, & quod ille definit, ut Catholicum, ſit in Eccleſia habendum ut Catholicum: tres ſiquidem ex dictis requiruntur conditiones ad definitionem Papalem, & infallibilem. Prima, ut actio definitiva ab illo, ut formaliter Papa, & univerſali Doctore Eccleſiæ procedat. Secunda, ut non temerè in hoc procedat, ſed convertendo oculos mentis, ideſt, matura examinatione rem diſcutiendo conſultis hominibus doctioribus, preces ad Deum, ut infallibilis veritatis Oraculum effundendo. Tertia Divinas Scripturas, & Sacros Canones exactè perſpiciendo. Unde Pontifex Romanus aliqua facit, ut homo, alia, ut Princeps, alia ut homo doctus, alia verò ut Papa, Eccleſiæ Doctor, & funda-

fundamentum ejus:& his ultimis ſolum & ſemper infallibilitatis aſcribitur privilegium.

163. Hanc differentiam inter actiones Papales, ſive Cathedræ, & inter actiones ejuſdem Pontificis, non ut formaliter talis, ſed ut privatæ perſonæ agnovit Sexta Synodus Generalis ſeſs.8. & 18. & in Epiſtola Papæ Agathonis Decretali dicit fuiſſe locutum Petrum; coagnovitque Cathedram Petri, ejuſque Succeſſores omnis hæreſis eſſe expertes: & tamen ſeſs.13. dicit Honorium I. Romanum Pontificem fuiſſe hæreticum; quare ne Concilium ſibi contrarietur; neceſſariò dicendum eſt; in primo loco fuiſſe locutum de Cathedra; in ſecundo loco de Honorio, ut perſona privata, & ut quodam privato Doctore. Eodem modo loquitur D. Auguſtinus Ep. 165. contra Donatiſtas: ubi diſtinguit Cathedram à perſona; hoc eſt, errorem perſonalem à Cathedrali, & errorem Cathedralem negat in Petri Succeſſores cadere: poſſe tamen in eos cadere errorem perſonalem. Vide tamen, quæ dicimus infra num.179.

164. Notant verò hîc DD. ita intelligendam eſſe illam ſecundam conditionem de conſultatione præmiſſa ad definitionem Pontificiam, ut non ſit allegata certo alicui, & determinato numero Patrum, aut Doctorum; quia aliter ille, cujus error damnaretur, poſſet opponere; Papam non definiiſſe pro Cathedra; eo quod pauci fuerunt conſulti, & minus docti; & ex hac objectione enervaretur Pontificis in definiendo authoritas; quare niſi conſtaret evidenter Papam temerè aliquid definiiſſe (quod certiſſimè Deus nunquam fieri permittet) ſemper ſtandum eſt Papæ definitioni, ut infallibiliter veræ, ſive alioquin fuiſſent plures, ſive pauciores, doctiores, ſive minus docti conſulti; quia examinare hoc non ſpectat ad ſubditos, ſed ſolum ad Summum Paſtorem; & ſemper credendum eſt Deum illi aſtitiſſe, nè in definiendo res fidei pro tota Eccleſia, temerè proceſſiſſet, & erraſſet. Ita Sancti Patres, ac Doctores apud citatum Longobardum pag. 469. Tandem hęc veritas, ſcilicet Papam pro Cathedra definientem errare non poſſe videtur jam innegabilis: quia jam eſt definita in Concilio Univerſali Viennenſi ſub Clemente V. in Clement.de Summa Trinit. & in Synodo Generali Florentina ſub Eugenio IV. ſeſs.ult.& in Concilio Generali Lateranenſi ſub Leone X. ſeſs.11.& in Concilio Complutenſi contra Petrum Oximienſem ſub Sixto IV. de quibus poteſt videri Raynaldus ad annum 1529. num. 32. & Bullarium in Sixto:to.4. Conſt.17. & hæc veritas jam, ſaltem implicitè fuerat definita in prioribus Conciliis Univerſalibus legitimis à SedequeApoſtolica approbatis,ut conſtat ex dictis in ſuperiori doctrina.

SECTIO XII.

Diluuntur objecta contra infallibilitatem definitionis Papalis.

165. Opponitur 1. Sancti Patres ſupponunt poſſe Romanum Pontificem incidere in hæreſim; & hoc ipſum ſupponunt Canones; ut ſæpè à nobis dictum eſt: & ideo in hoc caſu poſſe deponi ab Eccleſia. Supponamus ergo, quod aliquis Papa habeat aliquem errorem hæreticalem; cur illum non poterit ſpargere, & docere? Reſp. quidquid ſit, quod poſſit illum errorem habere; non poſſe tamen illum pro Cathedra docere: quia ut probatum eſt, illi pro Cathedra definienti Deus ipſe, ne Petri Cathedra erret,ejuſque fides deficiat, infallibilem aſſiſtentiam promiſit.

166. Inferes:ergo erit continuatum in Eccleſia miraculum, videlicet ut unus homo, cum tamen cæteri multis erroribus obnoxii ſint, omnis erroris, dum pro Cathedra definit, omnino ſit expers? Reſp. hoc ad ſummum ordine gratiæ, non vero naturæ ordine miraculum conſiderari poſſe: hoc autem in ordine gratiæ miraculum cenſeri non debet; quidquid ſit, quod in ordine naturæ miraculum dici queat. An peccator; qui per quodlibet lethale peccatum ſpiritualem mortem incurrerat, natu-

ræ viribus poterit à tali morte reſurgere? Certè non poſſe, fides ipſa Catholica docet. Erit ergo miraculum gratiæ ab illa ſpirituali morte revocari; & tamen hoc in eo ordine gratiæ miraculum non cenſetur: videlicet, quia Deus omni peccatori cooperanti cum divina gratia prævenienti (quam Deus hominibus etiam peccatoribus offert, juxta illud, Joan.1. *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*,) ad actum contritionis eliciendum, juſtificationem, qua à morte culpæ reſurgat, infallibiliter promittit; ut ex veteri, novoque teſtamento expreſsè conſtat. Unde, vel hæc ſpiritualis reſurrectio, quæ quotidie in Eccleſia fit, eſt miraculum, vel non eſt miraculum: ſi miraculum eſt in Eccleſia quotidie fieri ſolitum; cur illud etiam miraculum, videlicet, quod Cathedra Petri nunquam erret, & conſequenter, nec Romanus Pontifex ex illa Cathedra docens, definienſque, admittere refugis? Si talis ſpiritualis Reſurrectio miraculum eſſe non cenſetur; videlicet, quia ei, qui ex toto corde ad Deũ convertitur, Deus juſtificationem infallibiliter dandam in Sacris literis promittit; cur nunquam errare Pontificem pro Cathedra definientem miraculum eſſe cenſebitur, cùm Deus illi pro Cathedra definienti, ut ex eiſdem Sacris literis conſtat; ne unquam erret Cathedra Petri, ejuſve fides deficiat, infallibilem aſſiſtentiam pollicitus eſt?

167. Opponitur 2. Fruſtra erunt Concilia, ſi Romanus Pontifex abſque illorum ſubſidio errare nunquam poteſt. Reſp. licèt non ita Concilia requirantur; quaſi abſque illis non poſſit Papa infallibiliter definire; adhuc tamen ad multa requiri. Primò, ut Pontificis definitio multo ſolemnior fiat. Secundò, ut melius, quæ ipſe decernit, executioni mandari poſſint. Tertiò, ut convocatis ex omni Natione Patribus, & exploratis, perſpectiſque cujuſque Nationis moribus, leges communes gubernativæ faciliùs, convenientiùſque decerni poſſint, & municipales, cujuſque Provinciæ propriæ commodius approbari, diſponivè queant. Addo argumentum à ſcopo noſtræ quæſtionis prorſus aberrare; ideoque inutile, imbelleque eſſe. Nam noſtra quæſtio ſolùm propriam definiendi authoritatem ſpectat, & hanc aſſerit capiti, non membris adſcribi, arrogarique, undè licèt membra exigantur, ut à capite in ea vigor, influentiæque vitales deriventur; idcirco à membris in caput vigor omnis manabit? An quia Rex, Princepſque Supremus ad ferendas commodè leges Magiſtratus ſuos, juriſque peritos ad ſe convocet; Decernendi leges authoritas non Regi, Principive Supremo, ſed ſub ordinatis ſibi Magiſtratibus aſcribetur? Si ergo illa temporali Regi, cui, ne erret, aſſiſtentia Dei tam ſpecialis promiſſa non legitur, juriſdictio non negatur. Supremo quidem omniũ Principi Eccleſiaſtico, videlicet Romano Pontifici, cujus Cathedræ, ne erret, deficiatve, ſpecialem Deus aſſiſtentiam promiſit, indeficiens juriſdictio denegabitur? Vides, quam nihil roboris præfato argumento in ſit?

168. Opponitur 3. In negotiis ordinariis ordinaria diligentia ſufficit; in gravioribus negotiis ordinaria ſatis non eſt, ſed longè major expoſcitur: in graviſſimis verò, ſummique momenti negotiis; qualia ſunt, quæ certam pro tota Eccleſia fidem pro ſummo æternæ felicitatis bono conſequendo, & pro ſummo æternæ damnationis damno vitando ſpectant, ſummus diligentiæ gradus in ſolo Generali Concilio repertus, omnino neceſſarius eſt: ergo ut Papa aliquid de fide definire poſſit, Concilium Generale omnino depoſcitur. Reſp. falſò ſupponi convocationẽ Concilii ſummum diligentiæ gradum ſemper eſſe: imò ordinariè loquendo longa in expectando Concilium mora ſæpiùs Eccleſiæ nociva eſt: proindeque ſtatim remedium adhiberi oportet, ne interim, dum Concilium non convocatur, incendium univerſæ Chriſti Domui, videlicet, Eccleſiæ damnum exitiale, extremamque ruinam afferre ſine ullo remedio videatur. Deinde negatur, ad definiendum ſummam omnino diligentiam depoſci: ſed ſufficit, quæ moraliter, prudenterque fieri poſſit, rerum circumſtantiis, præſentique neceſſitate ſpectatis. Agetne

ne contra æternam ſalutem, quæ quidem maximi momenti res eſt, qui ſummam omnium diligentiam, curamque non adhibuit? prudens, moraliſque non ſufficiet? Requiritur ne, ut tota die quis acerbiſſimis in ſe flagellis deſæviat? ut ſingulis diebus pane, & aqua jejunet? ut aſperrimam Religionem ingrediatur? & tamen hęc ſumma eſt diligentia, ſumma cura, ſumma ſedulitas, & ſalus æterna, quæ illis atrociſſimis mediis fortaſſe ſecurior eſſet, maximi negotii, momentique eſſe non dubitatur.

Dices. Diligentia eſt quid facti: in quo Pontificem errare poſſe nemo ibit inficias: minùs autem eſt periculum erroris, cum multis, quam cum paucis rem definire: unde commune proloquium euulgatum eſt, errandum cum multis: non quod error ſit in ullo caſu ſequendus; ſed quia qui in rebus dubiis majoris authoritatis præſidio, quod in multis ſequendis tutius eſt, adhærere, minus errandi periculum nanciſcetur. Reſp. quando factum ipſum per ſe omnino ad infallibilem definitionem requiritur, non permiſſurum Deum Pontificem in eo facto errare: etiam quando extra Concilium definiat: quod Adverſarii fateri debent in definitione Conciliari.

169. Opponitur 4. Diuus Cyprianus Stephano Pontifici Romano in Concilio Romano definienti, hæreticos ad Eccleſiam redire non iterum in Eccleſia luſtrales baptiſmi aquas ſuſcipere debere, vehementer obſtitit: & tamen Cyprianus non fuit ulla hæreſis labe infectus; imo glorioſiſſimè Martyrii palmam adeptus eſt. Ergo Papa aliquid de fide extra Univerſale Concilium definire non poteſt: aliter, ſi illa Pontificis Stephani definitio de fide infallibilis eſſet; quo pacto D. Cyprianus, illi definitioni obſiſtens, ab infami hæreſi liber evaderet? Reſp. 1. verùm quidem eſſe quòd Stephanus Papa circa Firmilianū extra Concilium, poſtea in Concilio Romano id ipſum definierit, & quod Cyprianus ei definitioni acriter obſtiterit, ut clarè colligitur ex ejus Epiſtola, non tamen inde ſequitur Papam in ſuis definitionibus tàm extra, quàm intra Concilium fallibilem eſſe: ſed ſolùm probatur Cyprianum in hac parte non bene ſe egiſſe: quia cum Pontificia definitione confirmari debuerat.

170. Licet autem D. Cyprianus ex odio contra hæreticos, & ex ferventiſſimo erga fidem Catholicam zelo motus fuerit ad illam tunc opinionem, commodius fore judicans, ad perduellium terrorem, ut ii, qui ab hæreticis fuerunt baptizati, ad Eccleſiam, non admitterentur niſi per januam Eccleſiæ; quæ eſt Baptiſmatis Sacramentum, ingrederentur; errorem zelo excuſante. Iſta verò Cypriani, aliorumque Antiſtitum ſententia poſtea cum majori pompa in Concilio Arelatenſi I. Can. 2. damnata fuit, ut D. Hieronymus contra Luciferianos teſtatur. Imo & ipſi, qui pro Cypriano clariſſimo Præſule ſteterant, Stephano adhæſere; ipſumque Cyprianum ſuam priorem ſententiam mutaſſe D. Auguſtinus Epiſtola 48. ad Vincentium, & lib. 2. contra Donatiſtas, clariſſimè teſtatur. Ex quo vides potius pro nobis argumentum ſtare. Atque ita ſcribit D. Auguſtinus lib. 5. contra Donatum cap. 25. Item Euſebius lib. 7. cap. 4. de quo videri poteſt Eugenius Longobardus lib. 3. ꝯ. 9. pag. 535. & idem ſub titulo Galliæ Vindicatæ Diſs. 4. ꝯ. 3. n. 4.

171. Reſp. 2. Hoc argumentum Adverſarios non juvare. Nam ſicut authoritas Cypriani non fecit, quod baptiſmus hæreticorum, quem, quia in Eccleſia Catholica non fiebat, ſed in Synagoga Satanæ, nullum exiſtimaverat, irritus eſſet; ita facere non potuit, quòd Pontificis Romani authoritas infallibilis non eſſet: & fortaſſe Cypriano non apparebat, adeo clara Romani Pontificis infallibilis in rebus fidei definiendis, ultimòque determinandis authoritas, (plus juſto enim mentem præoccupaverant motiva ſuæ opinionis, ob quam cauſam incidit in errorem) quæ lucidior evaſit, quando acceſſit unanimis Patrum de hac Pontificis infallibilitate conſenſus, & de eadem Romani Pontificis indefiniendo, infallibili, indeficientique authoritate, Concilia Generalia legitimè congregata, à Sedeque Apoſtolica approbata, confirmataque prodiere, vide-

videlicet, Chalcedonenſe, Conſtantinopolitanum, utrumque Lugdunenſe, Florentinum, & Lateranenſe. Nonnè plus errat, qui hæc generalia, legitimaque Concilia contemnit; quam erraverat Cyprianus, qui hæc Concilia, utpote nondum facta, minimè viderat? An, ſi tunc eſſent jam congregata, non illis aſſentiretur? Videndo reliquos Eccleſiæ Præſules in Concilio Univerſali congregatos Summo Sacerdoti, ut capiti ſuo unitos; eidem ſupremo capiti ſuo unitos; eidem ſupremo capiti non uniretur, qui toties docuerat eos, qui Summo Pontifici non uniuntur, Schiſmaticos eſſe? Hic diſcurſus deſumitur in favorem D. Cypriani ex D. Auguſtino apud Baronium ad annum 217. pag. 329. Litt. C.

172. Opponitur 5. Pontifices Romani poſſunt in multa alia ſcelera, & crimina prolabi, ut de multis ea commiſiſſe memoriæ proditum eſt: cur ergo non poterunt etiam contra fidem errare, hæreſimque committere, & eam populo ſpargere? qui enim delinquit in uno, factus eſt omnium Reus. An voluntas, quæ ad unum vitium prona eſt ex aliquo naturæ corruptæ, pravæque incitamento; ſi hoc etiam in eo crimine hæreſis lubricum motiuum reperiatur; ad eam amplectendam, voluntatem ad malum pronam non alliciet? Si Pontifici v.g. honorum, ambitioni, divitiarum cupiditati, libidinis ardori, aliiſque ſimilibus vitiis, quibus ipſe infici poſſit, hæreſis, & quælibet alia à fide defectio, ut aptum medium repræſentetur, in eam ut ſuum prauum finem aſſequatur, miſerè non prolabi videbitur? an Petrus à Deo in ſupremum Eccleſiæ Principem electus, dum ſibi ad vitandam mortem Chriſti negatio tanquam commodum, aptumque medium cogitabatur, in aula Pontificis iterum, atque iterum, adjecto etiam juramento, Chriſtum Dominum, Magiſtrum, Redemptoremque ſuum non negauit? an quod fecit à Deo electus, electus ab hominibus facere nequit?

173. Hoc argumentum plus floridè Rhetoricæ, quam nervoſæ, ſolidæque rationis pondus habere optimo cuique ſapienti videbitur: & pro ſolutione, ab Adverſariis quæro, au potuerit Deus ab uno ſpeciali peccato aliquem incolumem, illæſumque ſervare ob certum aliquem à ſe intentum finem; eum ita roborando, ut licet, in alia ſcelera incidat, in illud non prolabatur? Certè hoc à quolibet ſapienti negari nequit: Ecce id fecit Deus: Petro, ejuſque Succeſſori Pontifici Romano promiſit in fide non defecturum; idque, ut Sedes Apoſtolica Petri in fide ſtabilis Regula foret: quo pacto enim cæterarum Eccleſiarum Regula firma eſſe poſſet, ſi curva, inflexaque foret? Et ſatis hoc Chriſti promiſſum hactenus fuit infallibiliter impletum: nam huc uſque nunquam repertus eſt Pontifex Romanus, qui in fide erraſſet, quamvis nonnulli, ut Petrus, & Marcellinus, ob metum mortis externam confeſſionem negaverint; de illis tamen benè intelligebatur mentis errorem non habuiſſe.

174. Reſp. 2. hos Adverſarios noſtram deſerere quæſtionem, & ſic eo argumento nihil elidi, concludive: noſtra enim quæſtio ſolum eſt, ut alibi dicimus, Pontificem Romanum falſum definire non poſſe: unde licet de aliquibus Pontificibus erraſſe in fide, quidam Scriptores referant, nunquam tamen legitur eos errorem aliquem pro tota Eccleſia definiiſſe, ut ſuo loco oſtendimus. Quare argumentum poſitum ab ſcopo noſtræ quæſtionis aberrat; ideoque nihil probat. Quemadmodum, ſi alicui proponeretur probandum terram eſſe immobilem: ille probaret aſtra moveri: Itaque ego dico, Romanum Pontificem falſum, credendum toti Eccleſiæ ut verum, non poſſe proponere: tu mihi opponis illum poſſe peccare: ego tibi omitto antecedens, & nego tuam conſecutionem: quomodo illam probas? Hæc ſunt Adverſariorum argumenta certè nihil probantia: & illis telis, armiſque contra Canones, & Concilia pugnant.

175. Opponitur 6. Teſte Tertulliano lib. adverſus Praxiam cap. 10. Zephyrinus Papa cum Montano hæretico cõmunicavit: ergo illius hæreſim approbaſſe videtur. Reſp. Montaniſtas, antequam ſuam hæreſim clariùs indicarent,

ha-

habuiſſe pietatis ſigna; multis etiam miraculis apparentibus apud vulgus in pretio eſſe; itaut tanquam veri Catholici communiter haberentur: nihil igitur mirum, ſi Zephyrinus deciperetur; poſtquam verò à Praxea rei fabulam edoctus eſt, illos rejecit. Ex quo nihil infertur contra infallibilitatem Papæ pro Cathedra definientis.

175. Opponitur 7. Liberius Papa ſubſcripſit Arianis condemnantibus D. Athanaſium ſequentem doctrinam Catholicam de Filio conſubſtantiali Patri; ergo Papa poteſt definire falſum. Reſp. hoc argumentum nihil probare contra nos: aliud enim eſt Papam errare, & peccare, aliud verò eſt Papam docere, & definire errorem protota Eccleſia. Primum fecit ut homo fragilis, & metu coactus, ut Marcellinus, & etiam Petrus. Secundum nunquam fecit, nec poterat facere docendo hæreſim pro Cathedra. Imò poſtea hanc maculam exterſit; cùm reſciſſis actis illius Conciliabuli Sirmenſis, & propterea iterum ſua ſede pulſus, ærumniſque confectus, in Sepulchris delituit; & ideo multis encomiis à Sanctis PP. laudatur, de quo videri poteſt Sozomen. lib. 4. cap. 10. Itaque argumentum probat errorem perſonalem, non Cathedralem; de quo ſolum eſt quæſtio.

176. Opponitur 8. Felix fuit collocatus in Pontificatu Romano per Arrianos, expulſo inde Liberio: ergo &c. Reſp. argumentum eſſe contra adverſarios: nam licet Felix, antequam eſſet Papa, comunicaſſet cum Arrianis in ſolo exteriori; poſtquam tamen fuit Papa, damnavit Hæreticos Arrianos, Fidem Catholicā ſecutus; immo in re nunquam fuiſſe Arianum teſtatur Rufinus lib. 10. hiſtor. cap. 22. Theodoret. lib. 2. cap. 17. Sozomen. lib. 4. cap. 10. & confirmatur ex martyrio, quod ille pro Fide Catholica eſt paſſus, & à Sancta Eccleſia colitur ut Martyr. Vide Amicum de Fide diſput. 6. ſect. 6. num. 151.

177. Opponitur 9. Gelaſium Papam, qui in libro à ſe compoſito contra Eutychen docet unam manifeſtam hæreſim, nimirum in Euchariſtia cum Corpore, & Sanguine Domini manere ſubſtantiam panis quemadmodum poſt Incarnationem manet utraque inconfuſa ſubſtantia. Hæc ſunt verba Gelaſii: *Certè Sacramenta, quæ ſumimus Corporis, & Sanguinis Chriſti, divina res eſt, propter quod, & per eadem divinæ efficimur conſortes naturæ, & tamen eſſe non deſinit ſubſtantia ſeu natura panis, & vini*. Quem librum citat S. Fulgentius coævus Gelaſii in reſp. 2. ad Ferdinandum Diaconum, & ſatis indicat Autorem illius libri eſſe Gelaſium Papam, ut patet ex verbis illius Sancti, ibi. *Cum Sedem Apoſtolicam dilectio veſtra unaniter teneat, conſtanter prædicet, ſapienterque defendat &c.* Reſp. 1. incertiſſimum eſſe, librum illum fuiſſe Gelaſii Papæ; imo Cardinalis Baronius accuratè, eruditèque obſervat librum illum de duabus naturis contra Eutychen fuiſſe compoſitum à quodam Gelaſio; cujus in Bibliotheca Phoſius meminit; & qui acta Synodi Nicænæ tribus tomis contra Eutychianos complexus eſt: de quo etiam videri poteſt Bellarminus de Romano Pontifice lib. 4. cap. 10. & plures aliis apud Eugenium Lombardum de Regali Sacerdotio lib. 3. ẞ. 9. pag. 542. & 544. qui efficaciſſimis rationibus demonſtrat authorem illius libri non potuiſſe eſſe Gelaſium Papam. Reſp. 2. argum: non probare contra intentum: noſtra enim quæſtio non eſt, utrum Pontifex, ut doctor privatus poſſit componere aliquem librum continentem errores; ſed utrum poſſit pro Cathedra, & ut doctor Eccleſiæ aliquem errorem in Fide definire. Primum permittimus. Secundum negamus; & contra hoc ſecundum nihil probat argumentum.

178. Opponitur 10. Eundem Gelaſium Papam definientem neceſſarium eſſe fidelibus communicare ſub utraque ſpecie; quæ eſt hæreſis Huſſitarum, & Calviniſtarum: quæ definitio patet ex cap. Comperimus de conſecrat. diſt. 2. ibi. *Comperimus, quod quidam ſumpta tantum modo corporis ſacri portione à Calice ſacri cruoris abſtineant: qui procul dubio (quoniam neſcio, qua ſuperſtitione docentur obſtringi) aut integra ſacramenta percipiant; aut ab integris arceantur:*

Digitized by Google

tur: quia diviſio unius myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire. Reſp. hunc Canonem poſſe intelligi. Primo, quo ad Sacerdotes. Secundo, quo ad Laicos. Si intelligatur quo ad Sacerdotes; prout Canonem illum intelligit Gratianus, & gloſſa ibi; negandum non eſt, non poſſe illos ſine gravi ſacrilegio celebrare in una ſola ſpecie: & ſic recte ſe habuit Gelaſius id prohibendo. Si intelligatur, quo ad Laicos; ad ſolvendam difficultatem ſupponendum eſt eo tempore dari hæreſim Manichæorum dicentium abſtinendum eſſe à carnibus, & vino, ob ſuperſtitionem, qua falsò credebant carnes non à Deo, ſed à Diabolo procreari; ut autem non pateret eſſe hæreticos, ſumebant Euchariſtiam ſub ſpecie panis, quemadmodum Catholici: monitus autem de hac re Papa Gelaſius, præcepit, ut omnes fideles communicarent ſub utraque ſpecie, ut qui eſſent Manichæi, detegerentur; quod quidem fuit medium præſentiſſimum; ut falſæ hæreticorum doctrinæ prudens Paſtor occurreret: præcipiendo igitur communionem ſub utraque ſpecie, fuit definitio convenientiæ, non neceſſitatis: Sic è contrario Tridentinum videns, quod aliqui Germani volebant communicare ſub utraque ſpecie ex errore, quò falsò credebant, eſſe neceſſarium communicare ſub utraque ſpecie ad ſalutē, permittere noluit, ut ſub utraque ſpecie communicarent; quæ diſpoſitio fuit convenientiæ, non neceſſitatis: poſſent enim, ſi Eccleſia diſponeret, communicare ſub utraque ſpecie, dummodo crederent non eſſe id neceſſarium ad ſalutem: Sicut ergo ad tollendum hunc ſecundum errorem non erravit Concilium; ſic ad tollendum illum primum, non erravit Gelaſius.

179. Opponitur 11. Honorium Papam I. fuiſſe hæreticum Monothelitam, & ut talem fuiſſe inter alios hæreticos hujus hæreſis damnatum in Sexta Synodo Generali Conſtantinopolitana ſub Agatone Papa, & quidem videtur non poſſe negari Honorium fuiſſe hæreticum; hoc enim teſtantur Concilia Generalia, 6. 7. & 8. & hoc præſertim act. 7. præſentibus ſemper Apoſtolicæ Sedis Legatis, qui ponerent reclamationem, ſi agnoſcerent innocentiam, illum quoque notant de hæreſi Adrianus II. ut habetur in actis 8. Synodi Generalis act. 7. & Leo Papa in literis ad Conſtantinum Auguſtum, Agatho Papa ad eundem: iterum Leo Papa II. in Epiſt. 2. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & Epiſt. 5. ad Ervigium Regem Hiſpaniæ, Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolit. Epiſt. ad Leonem III. Tharaſius ad Epiſcopos Antiochiæ, Alexandriæ, & Sanctæ Urbis: Theodorus cum Synodo Hieroſolymitana, ut habetur in 7. Synodo act. 3. Beda de natura rerum cap. 67. His omnibus teſtimoniis fides negari non poteſt: aliter nec poterit etiam fides adhiberi, quando nos ſimilia teſtimonia in aliis materiis allegamus. Reſp. 1. omnes illos Authores, & Concilia erraſſe in facto Honorii, quanvis non in jure, in doctrina fidei; illam enim hæreſim recte damnabant, in quocunque ſubiecto fuerit, de facto tamen errarunt, falſo exiſtimantes ex falſa informatione hæreſim illam fuiſſe commiſſam ab Honorio; quod quidem pertinet ad factum, non ad jus. Demonſtratur hoc, quo ad me, evidenter.

180. Ad quod claritatis gratia, prius ſupponenda eſt hujus rei vera hiſtoria, quā excribo iiſdem verbis Eugenii Lombardi ſupracitati collectā ex ipſius Sergii Monothelitę Epiſtola ad Honoriū Papā; & ex Honorii reſponſione ad Sergium, & ita habet: *Heraclius fuſis, fugatiſque Perſis, & intra Tigrim fluviū coercitis, Hieropolim victor intraverat. Illic ab Athanaſio Jacobitarum Patriarcha officii cauſā inviſitur: hunc, ejuſque Aſſeclas Imperator benignè monet, depoſita tandem Eutychiana hæreſi, quæ unam tantum in Chriſto naturam agnoſcebat, in gratiam cum Eccleſia redeat, & decretis Chalcedonenſis Concilii acquieſcat. Athanaſius jam hæreſim Monothelitarum hauſerat; qui ex Eutychianis nati duas in Chriſto naturas admittebant, ſed unam voluntatem; unamque operationem: ergo ex Imperatore viciſſim quærit; ecquid ipſe de Chriſto ſentiat; duaſne in illo voluntates, duaſque operationes, an unam eſſe? Heraclius, quid ad hanc quæſtionem reſpon-*

Digitized by Google

reſponderet, dubius, Sergium Conſtantinopoli Patriarcham, & Cyrum Phaſidis Epiſcopum per literas conſulit: ab utroque (nam Monothelitæ erant) reſponſum, unam eſſe Chriſti voluntatem, unam operationem; idque adeo ab illis Cæſari perſuaſum, impreſſumque eſt; ut edicto, quod ecthesin, hoc eſt, expoſitionem vocarunt, unam in Chriſto voluntatem prædicari, credique juſſerit. Sergius coacta Synodo novam hæreſim quanto conatu potuit, muniendo curavit, & Imperatoris edictum ab Epiſcopis ſubſcriptum ſpectante populo ad foras Sanctæ Sophiæ palam affixit. Idem à Cyro Alexandriæ factum. Sophronius Sanctitate, & doctrina tunc celebris, & poſtea ex Monacho Epiſcopus factus Hieroſolomytanus exultanti palam hæreſi, & Principis potentiâ ſubnixæ ſe ex adverſo opponit, excitatiſque Catholicis Monothelitas anathemate ferit, & hæreticos pronuntiat: Sergius Catholicorum, & Sophronii præſertim auctoritatem veritus, Honorio Pontifici ſcribit, ſimulataque, quam publicè in Concilio, & edicto produxerat, hæreſi, novas à Sophronio turbas agitari dicit, omnia inter Catholicos diſcordiis miſceri, novis, nec neceſſariis vocularum diſputationibus animos turbari; optimum proinde videri, ſi nec una in Chriſto voluntas dicatur, nec duæ, ſed biſce vocibus, velut facibus diſcordiarum extinctis, id de Incarnatione dicatur, credaturque, quod PP. & Concilium Chalcedonenſe præſertim definierat.

181. His acceptis literis, Summus Pontifex Honorius reſcripſit tria principaliter puncta. Primum in Chriſto dari duas quidem naturas, humanam, & Divinam, quamlibet cum ſuis perfectionibus humanis, & divinis. Secundum, in illis naturis unum tantum dari ſuppoſitum. Tertium ut imponeretur ſilentium novitatibus vocularum. Videbat prudentiſſimus Pontifex, ſi diceretur in Chriſto una ſola operatio; inferre illos in fide debiles unam ſolum dari in Chriſto naturam; quæ eſt hæreſis Eutychiana jam damnata; ſi dicerentur due in Chriſto oparationes; poſſe illos inferre dari in Chriſto duos operatores, & duas perſonas, quæ eſt hæreſis Neſtoriana; ut ergo utrumque ſcopulum evitaret; propoſuit veritatem rei, prohibuit novitatẽ vocis. Appono verba Põtificis Honorii in Epiſtolis duabus, quibus ad Sergium reſpondit, & repeꝛiuntur in act. 12. & 13. Sextæ Synodi tomo 3. Conciliorum, & ita habent: *Duas eſſe in Chriſto naturas, eas diſcretas, inconfuſas, impermixtas; ſicque hæreticum eſſe Eutychetem, qui illas confunderet: utramque naturam operari, Divinam, quæ Dei ſunt, humanam, quæ hominis. Abſtinendum tamen à vocibus duarum, vel unius, voluntatum; idque multis ex rationibus. Primo quia voces illæ novæ, & hactenus inauditæ; & ideo partim eſſent ſimplicibus ſuſpectæ, partim offendiculo, cum eas non ſatis intelligerent.*

Secundo quia, qui unam voluntatem diceret, videri poſſet unam quoque naturam admittere; ſicque in hæreſim Eutychianam incideret: qui verò duas voluntates, duaſque operationes diceret, ſuſpectus fieret hæreſis Neſtorianæ, quaſi ut duas operationes, ita duos operantes, & conſequenter duas in Chriſto perſonas agnoſceret. Tertio, quæſtionem de una, aut duabus voluntatibus in nulla Synodo, neque à patribus definitam eſſe; non ergo ad dogma fidei pertinere. Quarto, videri hanc quæſtionem vel ad Grammaticos, vel ad Philoſophos pertinere; cur ergo illius cauſa fideles turbentur. Quinto, cùm duæ in Chriſto voluntates eſſe dicuntur, aliquos ſic intelligere, quaſi duæ contrariæ, pugnantes, diſcordeſque in Chriſto voluntates fuerunt, ita ut humana nollet, quod vellet Divina; id verò falſum, & abſurdum eſſe, ſed in hoc ſenſu unam tantum in Chriſto voluntatem, hoc eſt non diverſam, neque contrariam dari; cum Chriſtus naturam hominis, non culpam ac repugnantiam naturæ cum Divina voluntate aſſumpſerit.

182. Hæc ſunt verba, ex quibus ſolis imputant adverſarii monotheliſmum ſapientiſſimo Papæ Honorio; non enim alia ipſi aſſignant. Videat ergo prudens rerum æſtimator: ubi ſit hîc hæreſis Monothelitæ? Monothelitę nullam propriam, & humanam operationem in Chriſto agnoſcebant, ſed tantum Divi-

Ff nam:

nam: dicebant enim admiſſis duabus operationibus, admittendos eſſe duos operantes, ut obſervat S. Th. 3. p. q. 18. ar. 1. & fatetur Pyrro Monothelita in dialogo cum S. Maximo: at verò Papa Honorius dicebat in Chriſto duas naturas, & utramque operari, humanam, quæ ſunt hominis, divinam, quæ ſunt Dei; ut ſupra habes in expreſſis Honorii verbis: ſolum verò dicit, ſi per duas operationes intelligitis duos operatores in Chriſto; non poſſunt dici in eo duę operationes: quia eſſe duos operatores, eſt hæreſis Neſtoriana; ſi per unã operationem tantùm, intelligitis unam tantùm naturam, non poteſt dici in Chriſto una tantum operatio; quia eſſe in Chriſto unam tantùm naturam eſt hæreſis Eutychiana, cum igitur, inquit Honorius, ſaltem apud ſimplices poteſt dari aliqua æquivocatio, & occaſio erroris, quandiu non definiatur clarè, quid per has voces, *una operatio*, *duæ operationes*, ſignificetur: abſtinere ab hujuſmodi vocibus: in quo Papa Honorius, & propoſuit veram Fidem, & poſuit diſcretam cautelam: quomodo ergo appellandus eſt Monothelita Honorius? Monothelita negat, quod Honorius affirmat; Honorius affirmat, quod Monothelita negat: ergo Honorius eſt Monothelita?

183. Dices. Honorius communicavit cum Pyrrò, qui erat hæreticus: ergo &c. Reſp. Honorium communicaſſe cum Pyrro, & Sergio; quando ipſi oſtendebant ſe Catholicos; illos autem reiiciebat, quando declararunt ſe hæreticos; ut manifeſte conſtat ex prædictis verbis Honorii. Inſtabis: Si ita eſt, quomodo duo Concilia univerſalia, & duo Pontifices Romani Hadrianus, & Agatho Honorium exiſtimarunt tanquam Hæreticum Monothelitam. Reſp. Concilia, & illos Pontifices ſolùm tractaſſe definire jus, ſupponendo factum, quod ab aliqnibus imputabatur Honorio, ſive per calumniam, ſi fuiſſet innocens, ſivè ex zelo, ſi fuiſſet nocens, & hæreticus ſaltem materialiter, ex bona Fide, & non contumaciter: ſi enim voluiſſent abolere memoriam Honorii, diligentius quidem factum examinaſſent, & veritatem agnoviſſent, ſicut Sanctus agnovit Maximus, qui illum à Pyrri calumnia liberavit; ut patet ex Dialogo Maximi cum Pyrro, & hæc pro prima reſponſione.

184. Reſp. 2. argumentum illud nihil probare contra infallibilitatem Papæ in definiendo pro Cathedra: nam ſolum ſcripſit ad Sergium privatà Epiſtolà non definiendo, ſed impliciter reſpondendo; imo in terminis expreſſis dixit adhuc non eſſe tunc definitum de propria ſignificatione illarum vocum; ideoque explicavit veram Fidem; non determinavit germanam ſignificationem, illarum vocum id reſervando majori examinis diligentiæ; interim monendo, ut imponeretur ſilentium in illis vocabulis; quæ propria erant Grammaticorum, aut Philoſophorum. Unde dicendum eſt id non fuiſſe errorem, ſed veram doctrinam, videlicet conveniens eſſe ab illis vocibus abſtinere, quandiu, quid ſignificarent, ab Eccleſia determinaretur. In definiendo, poteſt ne dici errare; qui, ne erretur, definitionem Eccleſiæ prudens expectat?

185. Opponitur 13. Multos alios fuiſſe errores Summorum Pontificum. Gregorii III. qui in Epiſt. ad Bonifaciũ relata in cap. *quod propoſuiſti* 32. q. 7. & habetur in tom. 3. Conciliorum, ob infirmitatem corporis uxoris, marito aliã ducere permiſit. Nicolai I. docentis in nomine Chriſti ſine expreſſione triũ perſonarũ baptiſmũ valere, cap. A' *quodã*, de conſecrat. d. 4. contra Canonem. Multi, & Canonem: In Synodo diſt. ead. Alexandri III. in cap. *Cum eſſes*, de teſtam: dicentis ad ualorem teſtamenti ſufficere duos teſtes, quod videtur error. Aliorumque Pontificum admittentium, poſſe matrimonium ratum, alio matrimonio, ſi conſumatum ſit, dirimi, cap. licet, de ſponſà duorum. Innocentii III. dicentis legem veterem nec dum plenè eſſe abrogatam, cap. per venerabilem, qui filii ſint legitimi. Nicolai IV. in cap. exiit. v. ſ. in 6. ubi docet Chriſtum perfectam docuiſſe paupertatem, quę conſiſtit in abdicatione perfecta omnis dominii, tam in particulari, quàm in communi, quam doctrinam hæreticam eſſe docuit

cuit Joannes XXII. extravag. Ad Conditorem: & quia quorumdam, de verb. ſignif. Item Idem Papa Joannes affirmabat animas beatorum non viſuras eſſe Deum, niſi poſt reſurrectionem, teſte Gerſone, ſermone de paſchate. Cæleſtini Papæ III. in cap. quanto de divortiis, ubi teſtatur Innocentiũ III. ſenſiſſe eum matrimonium diſſolvi per hæreſim alterius conjugis. His textibus unico verbo reſpondet Eugenius Lombardus de Regali Sacerdotio lib. 3. §. 9. pag. 552. hos Pontifices fuiſſe locutos, ut doctores privatos, & non ut pro Cathedra definientes, ſicque fuiſſe errores perſonales, non Cathedrales. Hæc tamen ſolutio mihi placere non poteſt: quia hoc ipſum poſſunt adverſarii nobis reſpondere allegantibus alios textus Canonicos contra illos. Quare aliter reſpondendum eſt.

186. Ad Primum igitur Reſp. cum gloſs. in cap. de libellis. diſt. 20. quam ſequitur Bellarminus de Romano Pontifice lib. 4. cap. 12. Papam ibi loqui de impotentia perpetua ex infirmitate eam gignente, & reddente primum matrimonium nullum juxta cap. ex literis, de frigidis; nec obſtat, quod ibi Pontifex dicit priorem uxorem ali debere: reſpondeo enim hoc eſſe de conſilio non de præcepto: Ad ſecundum reſpondent aliqui tempore Nicolai I. adhuc non eſſe definitum baptiſmum ſolùm factum in nomine Chriſti eſſe nullum, non expreſſo nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; Hæc tamen reſponſio videtur falſa: nam jam hoc fuerat definitum in Concilio Anglicano à Papa Zacharia anteceſſore Nicolai I. quod patet ex Canone: In Synodo, de conſecratione diſt. 4. vera reſponſio eſt Nicolaum ibi ſolum definiiſſe miniſtrum Baptiſmi, non formam; deciditque validum eſſe Baptiſmum adminiſtratum à quocunque ſubiecto etiam Judæo, vel Pagano intendente baptizare, ſive in hac, vel in illa forma juxta varias ſententias, quas ibi non examinabat; quia de hoc non interrogabatur: unde circa definitum non potuit eſſe error; potuit tamen circa non definitum.

187. Imo addit Bellarmino citato Non eſſe adhuc expreſsè definitum non ſufficere ad valorem Baptiſmi formam expreſſo nomine Chriſti, & ſolùm implicitè in nomine Trinitatis. Siquidem Baptiſmum in nomine Chriſti eſſe validum, præter D. Ambroſ. Nicolaum, & D. Bernardum apud ipſum citatos ſequitur Beda, de quo non poteſt preſumi ignoraſſe decretum Concilii Anglicani; quod quidem non poterat facere rem de fide, niſi Papa illius definitionem proponeret, tanquam habendam ut de fide in tota Eccleſia; quod quidem ille non fecit, ſed tantùm ſimpliciter approbavit ut quid bene conſtitutum, non verò ut de fide credendum. Quid mirum igitur, ſi Nicolaus non reprobaverit illam ſententiam, ſed illam in ſua probabilitate reliquerit: quamvis hodie practicè ſit ſemper ſequenda ſecunda ſententia de forma baptiſmi ſub expreſſione trium Perſonarum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Vide Soar. de Sacramentis q. 66. art. 6, diſp. 21. ſect. 3. ubi bene reſpondet decreto Nicæni Can. 9. & decreto Pelagii, & Zachariæ, in cap. Si revera. cap. in Synodo cap. Multi, de conſecrat. diſt. 4. item Amicum de fide diſput. 7. ſect. 1. num. 47.

188. Ad Tertium, in quo aſſeritur Alexandrum dixiſſe ſuos Anteceſſores decidiſſe primum matrimonium ratum poſſe diſſolvi per ſecundum conſumatum, ſe tamen contrarium ſentire: unde neceſsario infertur vel ipſum, vel anteceſsores ſuos erraſse. Reſp. illos Pontifices ſentire, ſed non definire: quod autem unus Papa, aliter ſentiat, quàm alius, dummodo non definiat, nihil pertinet ad noſtram quæſtionem.

189. Ad caput, *cum eſſes*, in quo Papa contra jus cõmune decernit duos, vel tres teſtes ſufficere ad valorem teſtamenti; dico loqui ibi Papam in ſuo ſtatu temporali, vel de teſtamento quo ad pias cauſas; & quoad hoc ſtandum potius eſt juri Canonico, quam civili, ut vidimus in materia de teſtamentis, in quo non viſitur ullus error: & deinde requiritur cum tribus teſtibus aſſiſtentia proprii Sacerdotis, quod antea decrevit Synodus Arelatenſis an-

no 1234. & Colonienſis anno 1300.

190. Ad Quartum dico Innocentiũ non allegare illam legem veterem ut in lege nova præceptivam,ſed ut exemplarem; ſeu ut figuram: in quo nihil eſt erroris. Ad Quintam ut conciliemus iſtos duos Pontifices; oportet excitare tres quæſtiones, quas ad hunc finem attigit Bellarminus citatus. Prima eſt, an in rebus uſu conſumptibilibus, ut pane, vino, & cæt. poſſit dominium ſeparari ab uſu. Secunda,an paupertas, quæ omne dominium à ſe removet, relicto tantùm uſu, ſit honeſta, & meritoria. Tertia,an Chriſtus talem paupertatem verbo, & exemplo docuerit. Circa primam duplex datur ſententia,ſeu opinio; prior negat: quia dominium conſiſtit in eo, quòd dominus poſſit rem deſtruere, vel non deſtruere; ergo Franciſcanus. v. g. qui poteſt panem ſibi datum comedere, ſeu non comedere, verè eſt Dominus illius panis. Secunda ſententia affirmat, hanc docet Nicolaus cit. & poſtea idem docuit Clemens V. in Clement. exivi de Paradiſo, de verb. ſignif. Probatur manifeſtè: quia ad verum dominium non ſufficit ſolùm poſſe deſtruere, vel non deſtruere, quocunque modo; ſed poſſe liberè, quando, & ubi, & quomodo quis voluerit, & etiam donare, vendere, commutare, &c. conſtat autem veros religioſos non poſſe hoc facere: ergo habent uſum abſque ullo dominio.

191. Dices. ergo erravit Papa Joannes.Reſp.Bellarmino videri illum erraſſe; ſed non in fide: quia hæc quæſtio ad fidem non ſpectat; ut ipſe Joannes dicit in extrau. *Quia quorundam*;immo adhuc ſunt variæ ſententiæ, de hac re, ſcilicèt in rebus uſu conſumptibilibus ſeparatur uſus ab omni dominio. Ego tamen exiſtimo nec in fide, nec in vero erraſſe, ſi penetretur ejus ſenſus: nam Pontifex aliàs ſapientiſſimus non voluit dicere dominium rei uſu conſumptibilis eſſe in Religioſo particulari; ſed in ipſa religione in communi; ſiquidem illa res uſu conſumptibilis verè eſt ſub alicujus dominio; non enim vacat, uti ſupponitur: ſed dominium illius rei non eſt in ipſo Religioſo: quia per votum paupertatis eſt incapax omnis dominii; non eſt in ipſo donatore; quia per abſolutam donationem abdicavit à ſe omne dominiũ rei donatæ; non erat in ipſo Papa Joanne XXII. quia ipſe fatetur ſe dominium illud non acceptare; & illi omnino renuntiare: ergo neceſſario deberet eſſe in Religione in communi: ergo ſi res illa uſu conſumptibilis non vacaret, neceſſario dominium deberet eſſe in ea Religione; & conſequenter in ea dominium illius rei non eſt ſeparatum ab uſu: nam ſuppoſita non acceptatione, vel renuntiatione Papæ, tam dominium, quam uſus reſtabat in Religione;dominium in Religione in communi, uſus in Religioſis in particulari. Unde in hoc ſenſu dicebat verum Joannes XXII. nec contrariabatur Nicolao, & Clementi, qui acceptabant dominiũ illud; & conſequenter uſus erat ſeparatus à Dominio; quia uſus erat in Religione; dominium verò in eis Pontificibus illud ultro acceptantibus.

192. Sed quæres, ſuppoſito, quòd hæc Sancta Religio Franciſcanorum ex ſuo perfectiſſimo inſtituto non acceptat ullum dominium etiam in communi, ſi Papa nolit acceptare in ſe dominium rei ipſis donatæ; inquo tunc erit illud dominium? Reſpondeo; vel tunc donator illius rei, illam eis Religioſis donavit conditionatè, ſi illi velint acceptare, vel abſolutè abdicavit ſe omni Dominio, acceptarent, vel non acceptarent ipſi. Si primum, dominium remanebit adhuc in ipſo donante; ſiquidem non tranſit dominium à donatore, ſi donatarius non acceptat; & ſic uſus erit in Religioſis, dominium in ipſo donante; ſi ſecundum, res manebit vacans ſub nullius dominio, & ſolum vſus in prædictis Religioſis: unde in hoc caſu quicunque vellet auferre illa bona ab eis Religioſis, non inferret injuriam realem; ſiquidem ipſi non habent jus ad illam rem; inferret tamen injuriam perſonalem; ſiquidem ipſi habent jus,ut non moleſtentur; neque enim renuntiarunt huic juri per votũ ſuæ ſtrictiſſimæ paupertatis; quod votũ ſolùm eſt de re non habenda; non de moleſtia ab aliis illata ferenda, & hæc obiter in gratiam Franciſcanæ paupertatis; ex quibus patet Joannem XXII.

non

non pugnare cum Nicolao, & Clemente Pontificibus; quia quilibet in ſuo ſenſu verum dicit.

193. Quo ad ſecundam quæſtionem certiſſimum eſt illam paupertatem, in qua uſus ſeparatur ab omni dominio, eſſe maximè perfectam, honeſtam, & meritoriam. Ratio eſt: quia ſtricta paupertas voluntaria eſt perfecta, ut docet Evangelium: ergo ſtrictior, erit magis perfecta; quis autem negabit illam eſſe ſtrictiorem paupertatem; per quam renuntiatur dominio tam in particulari, quàm in communi? Quoad tertiam queſtionem dico, Chriſtum Dominum habuiſſe, & docuiſſe aliquando primam paupertatem ſtrictam, in qua eſt negatio dominii in particulari, cum dominio in communi; aliquando verò illam ſecundam ſtrictiorem, in qua renuntiatur utriq; dominio tam in communi, quàm in particulari: voluit enim exemplar eſſe tam illis Religioſis, qui habent paupertatem ſtrictiorem, ut ſunt Franciſcani, quàm illis, qui ſolùm habent ſtrictam, ut ſunt cæteri Religioſi. Quod Chriſtus hanc doctrinam edocuerit, patet ex Matth. 10. ubi ait. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, non peram, nec duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam*, & ſubjunxit paulo infra; *Dignus eſt operarius mercede ſua*. Dum audis: *Nolite*, conſilium intellige, non præceptum. Dum legis, *Mercede ſua*. intellige obligari populos ad ſuſtentandos Prædicatores; non tamen obligari ſemper ipſos Prædicatores, ut exigant id, quaſi debitum; ſed illis permitti juxta Paulum ad Cor. 9. vel de ſuarum vivere manuum laboribus; vel de fidelium eleemoſynis. Quòd verò Chriſtus hoc confirmaverit exemplo, patet ex Matth. 18. ubi ait. *Filius hominis non habet, ubi caput ſuum reclinet*. Et ex Luc. 8. *Sequebantur eum mulieres, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis*.

194. Quòd autē exemplo ſuo Chriſtus docuerit alterum paupertatis genus, nimirum habendo dominium in communi, patet ex Joan. 13. ubi legimus eum habuiſſe loculos, ex quibus in communi cum diſcipulis vivebat. Et nota hic obiter, nos non loqui hîc de illo dominio inviſibili, quod Chriſtus Dominus habet ſuper omnes res creatas, ut Deus, & Dominus univerſorum; quo dominio non poterat Chriſtus ſe abdicare; ſed de illo dominio externo, viſibili, & ſociabili per commune commercium, & humanam ſocietatem, ac cum hominibus converſationem; juxta dicta à Propheta de illo; *& cum hominibus converſatus eſt*.

195. Ex quibus manifeſtum eſt, nec etiam in hoc Joannem XXII. fuiſſe contrarium aliis Pontificibus. Nam Nicolaus dicit Chriſtum aliquando perfectiſſimam illam paupertatem verbo, & exemplo docuiſſe; quod patet ex illis Textibus Sacris. Matth. 18. & Lucæ 8. aliquando illam minùs ſtrictam, cum dominio in communi, ut patet ex Jo. 13. At Joannes XXII. definit eſſe hæreticum aſſerere Chriſtum nihil unquam hîc in terris habuiſſe proprii, nec in ſpeciali, nec in communi: quæ duo, ut bene notat Bellarminus citatus, non pugnant: nam Nicolaus non negat Chriſtum, aliquando habuiſſe aliquid proprii ſaltem in communi; ſed negat ſemper talem vitam egiſſe. Joannes non negat Chriſtum aliquando nihil habuiſſe proprii, nec in ſpeciali, nec in communi, ſed negat ſemper talem vitam Chriſtum egiſſe: ubi ergo hîc eſt contradictio; ſi quod dicit Nicolaus, non negat Joannes; & quod dicit, Joannes, non negat Nicolaus?

196. Dices: quomodo ergo Joannes notatur ab Authoribus etiam Catholicis, tanquam dicens errorem? Reſp. ab illis eam fuiſſe impoſitam cenſuram; quia ab eiſdem iſta noſtra non fuit appoſita diſtinctio.

197. Ad 6. ubi Joannes idem XXII. dicitur erraſſe circa animas Beatorum, quamvis aliqui negant; aliis verò affirment prædictum Joannem fuiſſe illius opinionis, animas non viſuras Deum, niſi poſt reſurrectionem; illa tamen opinio Joannis tempore non erat adhuc damnata; imò pro illa citat Caſtro D. Bernardum verbo Hæreſis 6. pag. 341. quid mirum, ſi illam tunc ſequeretur Joannes? Imo noſter Bellarminus citat.

re-

refert ex probatis Authoribus, illum hanc ſuam opinionem retractaſſe ante mortem; dixiſſeque ut verum Catholicum ſe ſuas omnes opiniones, quas ut privatus Doctor docuerat, judicio Eccleſiæ definiendas relinquere: & idem Bellarmin. eum liberat à quinque enormiſſimis mendaciis; quæ ipſi Pontifici Calvinus perditionis filius impoſuit.

198. Ad ultimum dico, errorem illum non fuiſſe definitum à Cœleſtino: neque in textu per gloſſam allegato cap. laudabilem de Converſione Infidelium, is error ſcriptus reperitur, ſed doctrina ſana, & Catholica, ut legenti illum textum patebit: verum quidem eſt, quod gloſſa dicit errorem illum eſſe olim in Decretalibus antiquis; per quod videtur inſinuaſſe, fuiſſe expunctum in modernis. Et licet Gloſſa affirmet Cœleſtinum fuiſſe illum, de quo Innocentius Tertius loquitur: *Quamvis quidam Prædeceſſor noſter aliter ſenſerit*, non dixit tamen aliter definierit: quia non negamus poſſe Papam ſentire aliquem errorem, illum tamen Papam definire poſſe, negamus. Primum non repugnat humanæ fragilitati. Secundum repugnat Pontificiæ infallibilitati.

SECTIO XIII.

Diſſoluuntur alia objecta contra infallibilitatem Papæ in definiendo.

199. Opponitur adhuc 1. Poteſt res aliqua definiri à Papa ſive cum Concilio, ſive extra illud, relicta probabilitate partis oppoſitæ: ſed fides non admittit probabilitatem partis oppoſitæ; aliter, quod Deus revelat fide credendum, poſſet eſſe falſum, quod repugnat Deo eſſentialiter veraci: ergo non omne, quod definitur à Papa, habet infallibilitatem. Major, in qua eſt difficultas, probatur: quia in Concilio Lateranenſi relato in cap. Firmiter, de ſumma Trinitate, definitur Angelos non priùs fuiſſe creatos, quàm Mundum corporeum, ibi. *Firmiter credimus & confitemur, quod unus eſt ſolus verus Deus Creator omnium viſibilium, & inviſibilium, corporalium, & ſpiritualium, qui ſimul ab initio temporis utramque de nibilo condidit creaturam, corporalem, & ſpiritualem, Angelicam videlicet, & mundanam*. Et tamen non eſt fidei adverſum, Angelos ante mundũ corporeum fuiſſe conditos: quamvis qui hoc diceret, temerarius nunc eſſet: juxta S.Tho. 1.par.q.61. art.3. ergo non omne, quod definitur, eſt fide credendum.

200. Ut ſolvas argumentum, præmittendum eſt, definitiones Conciliorum, & Papæ quatuor modis poſſe conſiderari. Primò merè narratiuè, quando aliquod ſimpliciter narratur, relinquendo rem juxta terminos ſuæ veritatis, vel probabilitatis, vel falſitatis, nihil de hoc tanquam de fide proponendo. Secundò, diſputativè, utendo ratiocinationibus, exemplis, authoritatibus, probando, non definiendo ut à Deo revelatum. Tertiò ſuppoſitivè, ſupponendo aliqua, vel ex informatione ab aliis deſumpta, vel ex veriſimilitudine cogitata. Quartò denique, definiendo aliquid tanquam à Deo revelatum, proponendoque ut ab omnibus fide credendum, & oppoſitum tanquam hæreticum declarando. Quoad tres priores modos nihil eſt fide definitum, nec fide divina credendum. Ratio eſt evidens: quia non datur fides ſine motivo revelationis: in illis autem tribus modis nihil proponitur ut à Deo revelatnm: ergo non creditur fide divina, quæ ſolum eſt de revelatis à Deo. Quoad quartum modum, quæ definiuntur, ſunt de fide; quia ibi invenitur revelatio divina, quæ eſt motiuum fidei, propoſitum ut tale ab Eccleſia, ſeu Summo Pontifice; qui in rebus fidei univerſæ Eccleſiæ à ſe propoſitis, errare non poteſt; ut hucuſque probatum eſt. His ſuppoſitis.

201. Reſp. facilè ad argumentum. Diſtinguendo majorem propoſitionem. Poteſt aliquid definiri, relicta probabilitate partis oppoſitę, ſi definiatur, tanquam quid revelatum à Deo, nego majorem: quia fides ſupernaturalis divina non admittit probabilitatem partis oppoſitæ, ſed errorem hæreticalem: ſi definiatur, non ut quid à Deo revelatum, ſed ut propoſitum aliquo ex illis tribus

mo-

modis aſſignatis ſupra, concedo majorem; quæ non infringit noſtræ doctrinæ neruum. Ad probationem majoris dico ibi non proponi, ut à Deo revelatam creationem Angelorum, ut inceptam cum mundo corporeo; ſed ut inceptam initio temporis; unde ſolum eſt de fide, quod creatio Angelorum facta ſit tempore; quod verò fuerit facta eo ipſo tempore, quo mundus corporeus creatus fuit; non infertur neceſſariò, tanquam omnino certum de fide, præcisè ex illa definitione: nam illa vox: *Simul*, poteſt intelligi, ut aliqui DD. explicant, de ſimultate temporis negativè, ideſt, non ab æternitate; non verò de ſimultate temporis poſitivè, ideſt, ut primò poſito, cùm mundi creatio corporea poſita fuit: quia tamen non datur ullum fundamentum, ut intelligamus Angelos fuiſſe creatos ante mundum corporeum; imò Sancti Patres, & omnes ferè Theologi dicant, non ante fuiſſe creatos, quam mundum corporeum, ideo communiter falſa eſt illa opinio apud DD. non tamen ab illis judicatur, ut hæretica, antequam ut talis ab Eccleſia definiatur; imò addit D.Thom. loco cit. in Reſponſione eam non eſſe erroneam propter authoritatem D. Gregorii Nazianzeni: *Cujus*, inquit Angelicus Doctor, *tanta eſt in doctrina Chriſtiana autoritas, ut nullus unquam ejus dictis calumniam inferre præſumpſerit*. Quod quidem noſtram de infallibilitate Pontificia doctrinam validè confirmat.

202. Ex quo inferunt DD. multa prodire decreta Pontificum, ac definitiones, quæ non illico faciunt rem de fide; ſed ſolum habent illam cenſuram, quam Sedes Apoſtolica talibus propoſitionibus imponit: ſi enim Sedes Apoſtolica definit illam propoſitionem, ut improbabilem; non debemus illi dare majorem cenſuram, quàm improbabilitatis, & ſic de ſimilibus: ſi verò judicat, ut hæreticam, non debemus nos illi dare minorem cenſuram, quàm hæreſeos. Quando tamen aliquæ propoſitiones abſolutè prohibentur à Sede Apoſtolica, licèt non illas afficiat determinatâ cenſurâ, ſemper manebunt practicè improbabiles: quia poſito decreto prohibitivo; jam illas practicè ſequi non poſſumus: aliter fruſtaneum eſſet illud decretum: lex verò ſemper debet operari aliquem effectum.

203. Opponitur 2. Summi Pontifices, etiam quando definiunt in Conciliis, poſſunt errare in facto, ut fatetur Bonifacius VIII. in cap. 1. de Conſtitut. ubi dicit Romanos Pontifices ignorare ea, quæ ſunt facti: at ignorantia eſt mater erroris. Item Eugenius IV. in Bulla Dudum anno 1434. in qua revocat aliã bullam, *Inſcrutabilis*; tanquam irritam; quia in falſa cauſa nitebatur; de quo videri poteſt Raynaldus ad annum 1434. num. 5. Item Concilia, & Pontifices, de quibus ſupra, errarunt in facto, condemnantes Honorium I. de hæreſi; qui verè fuit innocens, ut ſupra manifeſtè probatum eſt: ergo etiam poterunt errare in jure. Probatur hæc conſequentia: quia Pontifices non poſſunt definire, niſi prius examinata ſit cauſa maturâ diligentiâ, & diſcretione: hæc autem diligentia eſt quid facti; in quo, ut probatum eſt, poteſt Pontifex errare: ergo etiam poteſt errare in jure dependente ab illo facto à ſe ignorato; & conſequenter valente gignere errorem.

204. Videbitur alicui, hanc objectionem exigere diſcuſſionem illius difficultatis, an Pontifex ex Cathedrâ loqui poſſit privilegio Infallibilitatis in quæſtionibus puri facti immediatè non revelati à Deo; (de immediatè enim revelatis nulli dubium eſt) ſed revera examen hujus Controverſiæ non eſt neceſſarium pro ſolutione propoſiti argumenti, quia apertè currit æquo pede, contra definitiones Concilii generalis, ad quas præmitti debent diligentiæ humanæ, quæ ſunt res facti, unde ab Adverſariis ſolvenda eſt vis objectionis, quare brevitati conſulens ab hujuſmodi quæſtione præſcindo, & remitto Lectorem ad ea, quæ circa hanc materiam tradunt graviores Theologi, apud quos de facili poterit videre quid ſit dicendum.

205. Ad argumentum. Ut ſuperius inſinuavi diligentia prudentialis præmittenda definitioni eſt factum connexum cum definitione velut quædam diſpoſitio naturaliter neceſſaria introdu-

ctio-

ctioni formæ in ſubjectum; unde cum omnimoda neceſſitate admittendum ſit in Eccleſia tribunal deciſiuum Controverſiarum fidei,& cæterorum pertinentium ad ſalutem animarum, ſequitur Romano Pontifici loquenti ex Cathedra, apud quem eſt hoc Tribunal, ut probatum eſt, promiſſam fore Infallibilem aſſiſtentiam Sancti Spiritus, nè erret in reſolutione definitiva, ac proinde nè ommittat aliquod ex neceſſariis requiſitis ad definiendum: quare implicat in terminis Deum velle definitionem, & permittere defectum in præviis diligentiis: Pontificem docere magiſtraliter totam Eccleſiam, & errare in præmiſſione prudentialis diſcuſſionis: ſicut implicat naturaliter formam introduci per ſe in ſubjectum, & non præmitti neceſſariam diſpoſitionem. Igitur hoc ipſo, quod conſtat nobis definitio, conſtat conſequenter de debita diligentia præmiſſa: nec eſt ulterius diſcurrendum. Quod dicimus de Pontifice,applicandũ eſt Concilio legitimè definienti res fidei: Authoritates porro adductæ in objectione ex Bonifacio, Eugenio, & Sexta Synodo non procedunt de facto, connexo cum definitione Canonica,velut quadam diſpoſitione; ſed de facto cauſarum humanarum, & Judiciorum, quæ communiter circumferuntur in Tribunalibus circa Lites, & caſus particulares, & perſonas.

206. Hinc obiter colliges 1. quando credimus hunc numero Papam Innocentium XII. eſſe verum Papam, Succeſſoremque D.Petri; id fuit immediatè implicitè revelatum à Deo; quatenus Deus immediatè revelavit permanſuram Eccleſiam ſub Succeſſoribus Petri uſque ad finem mundi, pro regula infallibili incontaminatæ fidei; unde immediatè implicitè hunc, illum,& illum; & cõſequenter mediatè revelavit,quemlibet ex his eſſe verum hominem, baptizatum: aliter ſi non eſſet de fide hunc eſſe verum Pontificem, idem dicendum foret de omnibus anteceſſoribus ejus; deinde nulla Concilia fuiſſent firma;noſtra omnis fides dubia, incerta, fallibilis, & conſequenter non fides, quæ debet eſſe certa, infallibilis, & indubitabilis.

207. Colligitur 2. ſi Papa definiat hunc numero fidelem, v.g. D. Franciſcum eſſe Sanctum, idque proponat tanquam de fide credendum, propoſitionem, ſeu definitionem eſſe de fide; quia hoc fuit revelatum à Deo, quando revelavit in multis Sacræ Scripturæ locis plures futuros eſſe Sanctos, in quibus implicitè ille Sanctus includitur: unde ſi Eccleſia id definiat, illa definitio jam eſſet de objecto revelato immediatè implicitè, quod ſufficit, ut ſit de fide poſita ea definitione tanquam de fide, quemadmodum Summus Pontifex definivit de fide in Chriſto duplicem voluntatem, quæ etiam erat revelata in duabus naturis à Deo immediatè revelatis; & tamen omnes credimus de fide eam duplicem voluntatem, poſtquam Sedes Apoſtolica id definivit: quamvis etiam in Scripturis expreſſa etiam ſit humana voluntas.

208. Dices. Contra primum Corollarium Papa Joannes fuit fœmina: ergo nemo tunc dicere poterat eſſe de fide Pontificem illum fuiſſe hominem; & quemadmodum ille repertus fuit fuiſſe fœminam; ita alius poteſt reperiri non fuiſſe baptizatum &c. Reſp. hanc hiſtoriam de Papiſſa Joanna fuiſſe meram fabulam; ut evidentiſſimè demonſtrant Bellarminus, Aguirre, Lombardus, ex Baronio, & ex aliis Scriptoribus Eccleſiaſticis; itaut ipſi etiam hæretici jam fateantur rationibus convicti, fuiſſe quid commentitium, & fabuloſum. Hanc veritatem, ſcilicet, quod ſit de fide hunc numero Papam eſſe verum Pontificem, hic non tracto: quia id ego probavi in meo tractatu de fide diſput.2. ſect.5. ſub ſect.3.

209. Opponitur 3. Stephanus VI. irritavit Acta Papæ Formoſi, tanquam non veri Papæ; ideoque Ordinatos ab illo juſſit iterum ordinari. Poſtea verò Joannes IX. contra Stephanum VI. declaravit Formoſum fuiſſe verum Papam. Deinde Sergius III. declaravit contra Joannem IX. Formoſum Papam non fuiſſe verum approbando ſententiam Stephani. In tanta verò contradictione Pontificum tum probantium, tum improbantium acta ſuorum Anteceſſorum

ali-

Digitized by Google

aliquem erraſſe neceſſe eſt. Reſp. cum Bellarmino erraſſe quidem Sergium, & Stephanum; quia formoſus, licet fuiſſet degradatus ab ordinibus per Joannem VIII. & reductus ad ſtatum Laicalem; tamen poſtea eis fuit per Martinum I. aliàs II. Cardinalitiæ dignitati, Clericalique ſtatui reſtitutus; poteratque jam validè ad Pontificatum aſſumi. Iſte tamen error Stephani, & Sergii fuit error facti, non juris. Sed contra hoc eſt difficile argumentum: nam licet Formoſus propter putatam inhabilitatem non fuiſſet putatus legitimus Papa: at ſaltem cum fuiſſet Cardinalis Epiſcopus, licèt illicitè, tamen validè poterat ordinare; quemadmodum Presbyter degradatus, licèt illicitè, validè tamen conſecrat Euchariſtiam. Definire autem non validè ordinaſſe error eſt juris. Reſp. illos Pontifices non definiſſe fuiſſe nullos ordines collatos ab Epiſcopo degradato; hoc enim eſſet error juris. Sed juſſerunt, ut iterum ordinarentur, moti privatis affectionibus odii, quod huic Tragediæ dedit initium.

210. Opponitur 4. ex Cæſario lib. 3. cap. 22. qui refert Innocentium III. ex Cathedra definiiſſe unum errorem, qui poſtea ab ipſo Innocentio improbatus eſt. Res ſic habuit: Monachus quidam ſe Sacerdotem finxit, & multa ſacrilegia, Miſſæ Sacrificium peragendo, perpetrabat; tactus tandem ſcrupulo apud Abbatem ſacrilegium ſuum Sacramentaliter eſt confeſſus: & juſſus à Confeſſario, ut à tali ſacrilegio abſtineret: ipſe, ne ſe proderet, à Sacrificio non abſtinuit: Abbas videndo quotidie oculis expoſitum ſacrilegium, rem ad Capitulum generale, celata perſona, detulit: Capitulum generale ad Papam recurrit: hic Congregationem Cardinalium indixit, quid in tali caſu decidendum eſſet. Papa ex Purpuratorum conſilio, inquit Cæſarius, ſequenti anno, Capitulo, quod fuerat à ſe determinatum, & à Cardinalibus approbatum, ſcripſit in hæc verba. *Ego dico in tali articulo eſſe prodendum: quia talis confeſſio non eſt confeſſio, ſed blaſphemia, nec debet Confeſſor blaſphemiam tantam, ac inſaniam celare*. At verò in Concilio Lateranenſi, cui præfuit Innocentius, contrarium omnino definitur, per hæc verba: *Caveat Sacerdos, ne verbo, nec ſigno, vel quovis alio modo prodat aliquatenus peccatorem; & qui peccatum in pœnitentiali judicio detectum præſumpſerit revelare, non ſolum à Sacerdotali officio deponendum decernimus; verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monaſterium detrudendum*. En Innocentium contraria decernentem ſemel in Senatu Cardinalium Eccleſiam Romanam repræſentante, ſemel in Concilio Generali: hìc verum, illic falſum decernit: ergo Pontifex in Concilio Generali erroris expers eſt; extra verò, decipi, & decipere poteſt. Hoc argumentum eſt Maymburgi, ſed quam molle, & debile ſit, mox patebit. Quæro ego à Maymburgo, an Cæſarius infallibili ſit dignus fide? Certè negabit, ſi prudens, ſi ſanæ mentis compos ſit: quis enim neſcit multa à Cæſario narrari fabulis intertexta; & quæ ipſe profitetur ab aliis accepiſſe: fateri ergo debet Cæſarii authoritatem fallibilem: æquum nè igitur huic videbitur authori totam ab Irenæo relatam antiquitatem, tot Patres, tot Concilia Generalia, tot Canones, & Decreta falſi arguere unius hiſtorici fallibilis quidem leviſſimo teſtimonio? quis audeat Pigmeum unum valdè inermem validiſſimo bellatorum procerâ mole gigantum, armiſque fortiſſimis munitorum exercitui triumphaturum opponere? non riſu exſibilaretur? demenſque, & fatuus crederetur? imò à nullo Scriptore hæc Cæſarii hiſtoria narratur; nihil hujus certi omnes inter Innocentii Epiſtolas reperitur: mirum ſanè eſt rem tantam, unique Concilio Generali adverſam ſilentio involvi? Additur, ſi poſt Lateranenſe Concilium contrarium definitum, tanquã dogma fidei credit Maymburgus: ergo Cæſarius ſubſtinendo illud primum factum, in fide erravit; hæreticuſque eſt adhærendo primæ Innocentii diſpoſitioni adverſæ Lateranenſis Concilii Decreto. Quæ ergo fides homini perfidiæ reo adhibenda eſt? Videbitur Maymburgo abſurdum errare Cæſarium in levi facto; cùm in

facto etiam tot præſtantiſſimi viri ſæpè erraſſent: & non erit multo abſurdiùs dicere Sup remum Eccleſiæ Paſtorem in rebus ad fidem, ſalutemque æternam ſpectantibus erraviſſe? tot Scholas, tot Concilia, tot Sanctiſſimos Patres, & Doctores in errorem eſſe prolapſos? erubeſcerem ſanè tali Maymburgi uſus argumento? Demus tamen, factum à Cæſario narratum eſſe verum: quid illo probat Maymburgus? Nunquid illud Pontifex pro Cathedra definivit? oppoſitum anathemate proſcripſit? Hoc facere debuerat, ſi definiret. Deinde Concilium definit abſolutè peccatum pœnitentiali judicio detectum, nullo modo eſſe revelandum; Innocentius extra Concilium ait, revelandum eſſe, quando detectum fuit in eo judicio, quod judicium Sacramentale non eſt, ſed blaſphemia; in quo igitur Innocentius Concilio adverſatur?

DISCEPTATIO SEPTIMA.

Doctrina Maymburgi Authoris Gallicani, & aliorum Pariſienſium refutatur.

AUTHOREM iſtum, qui contra Romani Pontificis auctoritatem bella movet, optimè refellit Author Galliæ Vindicatæ per totam Differtat. 3. cujus opus fuit typis mandatum nuper anno 1688. & certè licet Maymburgi tela retorta ſatis à me fuerint paſſim in totius Operis mei progreſſu; nihilominus, operæ pretium mihi eſt, peculiari ardentioris curæ impendio, nervoſiuſque illa retundere, quod per ſequentes expediam Sectiones.

SECTIO I.

Quædam prædicti Authoris objecta diluuntur.

1. OPponitur 1. Nunquam elapſis retro annis in Eccleſia dubitatum eſſe, quin Concilio Univerſali Pontifex ſubderetur: hanc unicam, & veram cauſam eſſe, cur elapſis temporibus de hac quæſtione altum ſilentium fuerit; id ſe verò factis, exemplíſque probatum, quibus opponere nihil poſſis. Sic ille potiùs verborum pompa, quam rationum, authoritatiſque pondere nixus. Contrarium tamen à nobis eſt demonſtratum ſuprà præcedentibus Diſceptationibus. Ubi Concilium etiam Generale Summo Pōtifici ſubeſſe probatum eſt ex Sacræ Scripturæ Oraculo, ex authoritate Conciliorum Patrumque teſtimoniis, & ex efficaciſſimis rationum momentis; quibus nulla opum vi obluctari quiſquam poſſit; & hæc potiſſimum teſtimonia debent, non autem inanium Maymburgi verborum flores fructuum ſterilesarridere.

2. Opponit 2. idem Maymburg Traittè Hiſtor. fol. 197. num. 4. cap. 17. Spiritus Sanctus eſt, qui in Conciliis Oecumenicis loquitur, & cui ſoli infallibilitatem Concilii debemus, quemadmodum plurium, ac diſcordium vocum concentus, & harmonia non organis, ac fiſtulis, ſed artifici, ac muſico debetur inſtrumenta moderanti: & ideo in Deciſione, ac Decretis primi Hieroſolymitani Concilii hæc verba leguntur. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.* Anima ergo Concilii eſt Spiritus Sanctus: at qui Pontifex Romanus ſubeſt Spiritui Sancto: ergo etiam ſubeſt Concilio, cujus voces, & Decreta ſunt voces, & Decreta Spiritus Sancti.

3. Reſp. verum quidem eſſe Spiritum Sanctum per Concilia loqui, & voces Concilii Univerſalis voces eſſe Spiritus Sancti: juxta illud Chriſti Domini: *Non eſtis vos, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Cœterum non omne Concilium cen-

cenſeri debet aptum Sancti Spiritus organum ; nec omnis Generalis etiam Concilii voces , Spiritus Sancti voces dici poſſunt . Quis enim audeat aſſerere Decreta Conciliorum Ariminenſis , cui 409. Patres aſſidere , Epheſini II. cui 128. Antiocheni , Baſileenſis , aliorumque , in quibus toties tam enormiter erratum eſt , à Spiritu Sancto promanaſſe? & de quibus Gregorius Nazianzenus Epiſt. ad Procopium conquerebatur: *Nunquam ſine periculo Sacerdotum haberi conventus , & nullius Concilii finem lætum , fauſtumque viſum eſſe .*

4. Ex quibus colliges , quàm ineptè Maymburgus prædictum de Organo,& de Fiſtula producat exemplum : nam ſicut non omnis fiſtula canenti apta eſt; ita neque omne Concilium eſt aptum organum loquentis Spiritus Sancti ; ſed illud tantum , quod Oecumenicum eſt , quod legitimè convocatum , approbatumque à Romano Pontifice , ut jam ſuperius eſt probatum. Quomodo enim eſt Concilium Univerſale , quod integrum non eſt ? quomodo autem integrum , cui caput deeſt ? integrum nè erit templum fundamento deſtitutum ? integra familia Patris-familias expers ? Cum ergo Pontifex Romanus, ut fatetur Maymburgus, ſit caput, fundamentum , & Pater familias Univerſæ Eccleſiæ , tam non poteſt ſine illo , ejuſque aſſenſu Concilium dici Univerſale, legitimum , integrumque , quàm non poteſt exercitus ſine duce , templum ſine fundamento , domus ſine æconomo, patreque familias integra nuncupari .

5. Unde jaculum ex prima Synodo Hieroſolymitana in nos ab Adverſario contortum in ipſum Adverſarium retorquetur : nam ibi, licet omnes Spiritu Sancto abundarent , non priùs tamen vox Spiritus audita , aut contentiones pacatæ , quæ Sanctos illos anteſignanos Antiſtites agitabant , quàm Petro ſententiam pronuntiante , ac viam Spiritui Sancto parante ; liquidò id patet ex ipſo Sacro Textu Act. 15. *Conveneruntque Apoſtoli, & Seniores videre de hoc verbo , cum autem magna conquiſitio fieret , ſurgens Petrus dixit ad eos . Quid tentatis Deum imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum , quod neque Patres noſtri , neque nos portare potuimus ? Tacuit autem omnis multitudo .* Ubi vides prius Cõcilium variis opinionibus agitatum eſſe, quàm Petrus loqueretur ; poſteà eo ſententiam proferente ; lite jam velut finita, omnium ſilentium eſſe conſecutum .

6. Hinc eſt, quòd à Patribus ſæpè dictum ſit, nullum vigere Concilium , nulloſque Canones, abſque Romani Põtificis authoritate ſanciri poſſe : quia , ſcilicet credebant Patres , ut animam in corpore capitis experte , mutam eſſe ; ita neque Spiritum Sanctum in Conciliis loqui , niſi per caput Eccleſiæ ; quod Pontifex eſt Romanus . Ita Patres Concilii Romani ſub Damaſo Papa ann. 359. ubi ſic dicitur : *Numerus Epiſcoporum , qui erant Arimini congregati , præjudicii vim habere non debet, præſertim cùm formula illa compoſita ſit ; neque Epiſcopo Romano , cujus ſententia ante omnia expectanda erat , nec Vincentio, neque aliis conſentientibus .* Obiit anno 496. & Gelaſius Papa I. tom. de Anath. *Cognoſcant igitur illud ſecundum Scripturas ſanctas, traditionemque Majorum , Canones , regulaſque Eccleſiæ , pro fide communi , & veritate Catholica , & Apoſtolica, pro qua hanc fieri Sedes Apoſtolica delegavit , factamque firmavit , à tota Eccleſia indubitanter recipi* (loquebatur hic de Concilio Chalcedonenſi) *alia autem , quæ illic prolata ſunt , vel potiùs ventilata , quæ Sedes Apoſtolica gerenda nullatenus delegavit , mox à Vicariis Sedis Apoſtolicæ contradicta manifeſtum eſt, &c.*

7. Vides illa tantum ab Eccleſia recipi Concilia , quæ , & quatenus à Sede Romana ſunt approbata , quæ verò , & quatenus approbata,& confirmata non ſunt , in Eccleſia recipi nullo modo debere ? Unde allucinatur prædictus Author , dum ſine fundamento profert, ſolùm vires habere Sedis Apoſtolicæ definitiones , ac Decreta , dum ab Eccleſia recipiuntur ; cum tamen liquido conſtet ex præfatis Sanctorum Patrum teſtimoniis, ideo ea oportere recipi ab Eccleſia , quia tantum à Romana Sede firmantur , & approbantur.

8. Idem ſtabilitur ex Socrate lib. 2.

Hiſtor. Eccl. cap. 5. ubi loquens de Concilio Antiocheno, ſic ait: *Julius Romanus Epiſcopus neutiquam aderat, nec quemquam, qui ejuſdem locum ſuppleret eò miſit, cum Canon Eccleſiaſticus habeat, non oportere abſque ſententia Romani Pōtificis Decreta Eccleſiis ſanciri.* Idem c. 3. *Julius Epiſcopus, iis, qui Antiochiæ convenerant, per liteas reſpondit, eos contra Eccleſiæ Canones egiſſe, cùm Canon Eccleſiaſticus vetet, nè Decreta abſque ſententia Epiſcopi Romani Eccleſiis ſanciantur.* Et Sozomenus lib. 2. cap. 9. ita habet: *Lex eſt ad Sacerdotii dignitatem ſpectans, quæ pronuntiat Acta illa irrita eſſe, quæ præter ſententiam Epiſcopi Romani conſtituuntur.*

9. Si ergo ex Sanctorum Patrum, Sacrorumque Canonum teſtimoniis, ea, quæ in Conciliis ſtatuuntur, niſi à Romano Pontifice approbentur, & roborentur, irrita, inania, & nulla ſunt, nec recipi ab Eccleſia debent; neceſſariò ſequitur, Concilium Pontifice orbatum, & quod pejus eſt, Pontifici adverſum, Spiritus Sancti organum non eſſe, ſed falli, & errare poſſe; quo pacto enim voces eſſe poſſint, & organa Spiritus Sancti, ea, quæ irrita, quæ nulla ſunt, quæ Sacris Canonibus adverſa, & prohibita, quæ recipi in Eccleſia non debent, quæ improbari poſſunt, & quæ ultimam, definitivamque Romani Pontificis expectant ſententiam? nam ita Patres loquuntur, ut ex dictis liquido patet. Igitur Spiritus Sanctus non loquitur per Conciliū ſua voluntate acephalum, & capite truncatum, quale eſt, quod Pontifici, aut reluctatur, aut auhoritate illius, & aſſenſu caret.

10. Ex quo deducitur neceſſariò Maymburgum falli: dum ſic ſcribit: loco ſupracitato fol. 209. *Romanos Pontifices cum Decreta Conciliorum confirmant, nihil aliud agere, quam ut votum ſuum, & ſuffragium apponant, eadem omninò ratione, qua alii Epiſcopi, qui in Conciliis interſunt; quique Conciliis ſuperiores non ſunt: dicuntur tamen Acta Concilii confirmari, cum illis ſubſcribunt, ſuumque calculum addunt.* Verum quis ex allatis ſupra teſtimoniis Patrum, & Sacrorum Canonum non videat, quantum interſit inter confirmationem Romani Pontificis, aliorumqne Epiſcoporum? Si enim confirmatio, & aſſenſus Pontificis Romani, ſolùm eſt æquè neceſſaria, atque unius ex aliis Epiſcopis, cur Patres, ipſique Canones toties clamant, irrita, caſſa eſſe Concilia, Sacriſque Canonibus adverſa, & prohibita, quæ neque recipi in Eccleſia debeant, niſi Pontificis authoritate corroborentur? quomodo irrita? quomodo caſſa, ſi Papę ſubſcriptio, & aſſenſus, perinde ſe habeat, atque aſſenſus cujuslibet alterius Epiſcopi, puta Tholoſani, Antiocheni, Valentini &c. an, quia deſit aſſenſus, & ſubſcriptio unius ex prædictis Epiſcopis, propterea debent Concilia caſſa, irritaque evadere? Certè hoc abſurdiſſimum eſſet, nec inter Patres unquam auditum, lectumque.

11. Igitur ante Pontificis aſſenſum imperfecta, & enervata ſunt Concilia; nec firma ſatis, & certa, quæ in illis Decreta ſunt. Idque ex receptis Gallicanæ Scholæ principiis, admiſſis etiam ab Adverſario, conſequitur: ſic enim fatetur ipſe tract. hiſtor. fol. 61. Pontificis partes, & munus eſſe, ut judicium, & ſententiam ferat in cauſis majoribus, & fidem, ac mores ſpectantibus. Si hoc eſt verum, & toties à Patribus inculcatum; ergo Summi Pontifices non habent ſolum nudum ſuffragium, aliorum more Epiſcoporum, quando confirmant Concilia, in quibus ſemper de majoribus agitur cauſis; ſed inſuper ultimum judicium, ſententiamque pronuntiant; adeo ut probare, aut improbare poſſint à Conciliis Univerſalibus Decreta, prout Patres ſupra, ipſique Sacri Canones loquuntur. Nec propterea Concilia ſunt inutilia, & ſuperflua; quia ut jam ſupra probatum eſt; ad multa quidem ſunt perutilia; tum ut res à Pontifice definita plus innoteſcat, & Eccleſiæ illic congregatæ firmiùs intimetur; tum ut Sacræ Scripturæ Textus, quibus Pontificum definitiones potiſſimùm fulciuntur, à multis ibi Doctoribus clariſſimis Eccleſiæ luminibus explicentur, prauuſque perduellium hæreticorum ſenſus deludatur.

12. Obſtrepit ulterius prædictus

Adver-

Adverſarius. Concilio Conſtantinopolitano I. nec per ſe, nec per Legatos Damaſus Pontifex præſedit; & tamen ut Oecumenicum; legitimumque ſemper fuit adoratum: ergo approbatio Romani Pontificis non eſt Concilio neceſſaria. Reſp. Fatemur quidem Damaſum illi non interfuiſſe Concilio; eo quippè tempore Synodum convocaverat Romæ. Sed tamen certum eſt approbaſſe, confirmaſſeque ea, quæ in hac Synodo contra Arrianos Decreta ſunt. Quod teſtatur Photinus in libello de ſeptem Synodis, & S.Gregorius Magnus lib. 6. Epiſt. 125. ubi ſic ſcribit: *Non omnes ejus Concilii Canones receptos à Romana Eccleſia eſſe; Canones*, inquit, *Conſtantinopolitani Concilii Eudochianos damnant, ſed quis fuerit eorum author Eudoxius, minimè oſtendunt. Romana autem Eccleſia eoſdem Canones, vel geſta Synodi illius, hactenus non habet, nec accipit: in hoc autem eandem Synodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonianos definitum.* Ex quo vides teſtari Diuum Gregorium Magnum non omnes illius Concilii Canones à Romana Eccleſia receptos eſſe, & apertè ſupponit penes Romanam Eccleſiam eſſe, quos Conciliorum Canones approbet, improbetque. Eſt ne igitur major authoritas Conciliū Papæ authoritate? Authoritas Papæ infringit, labefactatque Canones authoritate Concilii editos; illos improbando, quando à vero aberrant, & ſtabiliendo, confirmandoque, quando continent veritatem, & non eſt major authoritas Papæ, Concili authoritate? Canones Conciliorum, Papæ examini ſubduntur, an vero, an falſò conſentient, & Papæ Concilium non ſubeſt? certè hoc eſt Concilium ſubeſſe Papæ, & non Papam Concilio; & qui huic obluctatur veritati, Sacris Canonibus obluctatur.

13. Opponit adhuc Adverſarius loco citato fol. 209. Si Decreta in Conciliis ſancita nec certa ſunt, nec vires habent, niſi poſt Romani Pontificis ſententiam: ergo hujus arbitrio ſteterit, utrum ad fidem aliquid pertineat: etſi Decretis Nicæni Concilii Sylveſter Papa abnuiſſet, ergo & Ariani hæretici non eſſent, & eorum errores æquè, atque alias opiniones ampleċti impunè, ac ſine culpa licuiſſet, quæ omnia abſurdiſſima ſunt, & à nemine conceſſa. Huic argumento bene reſpondit Author Galliæ Vindicatæ Diſſert. 3. §. 1. pag. 8. dicendo ſi quid roboris huic argumento inſit, non minùs Concilii, quàm Pontificis authoritatem evertere. Quæro enim ſi Concilium Nicænum decreviſſet Filium non eſſe Patri æqualem; an id pro vero haberi debuiſset? aut ante Concilii Decreta liber erat Divinitatem Filio adimere? aut Arius niſi poſt Concilii ſententiam hæreticus non fuit? Quod ſi dicas hypotheſim eſse impoſſibilem: neque enim Concilium errare poteſt; ſeu aliquid contra veritatem in Scripturis revelatam definire. Arium quidem, alioſque hæreticos ante Concilii ſententiam fuiſse; quippe qui veritati in Scripturis expreſsæ, & agnitæ obluctarentur; nec judicio Eccleſiæ acquieſcere vellent. Alios verò, & pleroſque erraſſe quidem, non tamen ante Concilii ſententiam hæreticos dici potuiſse; cum parati eſsent veritatem ampleċti, ſi docerentur, inſtruerenturque. Hæc igitur, ſi tu dicas in favorem Concilii, ego multo magis, majorique jure in favorem dicam Pontificis, ejuſque confirmationis: Pontifici enim, & non Concilio, dicitur: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam &c.* Pontifici dicitur: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum.* Pontifici dicitur: *Ego pro te rogabo, ut non deficiat fides tua.* Pontifici tandem, & non Concilio. *Paſce oves meas.* Cum ergo toties habeamus ex Scripturis Eccleſiam Petro commiſſam ab ipſo regendam, paſcendam, docendamque, nunquam verò Pontificem Concilio, aut Eccleſiæ regendum, paſcendumve, cur non malis id dicere, quod Scriptura dicit, quàm dicere, quod nunquam, & nullibi dicit? Si tot errarunt Concilia Generalia, ut ex tota hac doctrina liquidò patet; quis me certum reddet alia deinceps erratura non eſse?

14. At dices: ex Hiſtoricis legitima non fuiſſe conſtat ea, quæ errárunt; alia vero legitima fuiſſe, & errare non potuiſſe. Sed quæro ex te, an malis fidem adhibere Hiſtoricis, quam Conciliis? reſpon-

reſponſurum te credo Potius Conciliis, quam hiſtoricis fidem eſſe adhibendum. Benè. Potuerunt errare Concilia tot Doctoribus ſapientiſſimis florentia, & errare hiſtorici non potuerunt? Maimburgus reſpondet, ea Concilia legitima fuiſſe, quæ ab Eccleſia fuere recepta: imo ideo illa Concilia recepit Eccleſia, quia legitima fuiſſe invenit; ex quo ergo principio fuerunt credita, ut legitima, niſi, quia à Petri cathedra fuerunt approbata, confirmataque? Manifeſtum igitur eſt, quando Pontifex Concilium aliquod confirmat, ejus confirmationem honorariam tantum non eſſe, per meram, ſimplicemque ſubſcriptionem aliorum Epiſcoporum more factam, ſed ipſi Concilio vires, firmitatem, & robur addere; & abſque hoc Pontificis oraculo, Concilii vires penitus enervari.

15. Opponit 3. Maimburgus cit. fol. 213. Sanctus Leo Magnus, quamvis jam pravam Eutichetis doctrinam tanquam hæreticam damnaviſſet, & ad Flavianum Patriarcham literis egregiè datis, duas in Chriſto naturas aſſeruiſſet; permiſit tamen eandem Eutichetis cauſam in Concilio Epiſcoporum examinari, tanquã in pleniore judicio: immo ad Theodoretum ſcribens, ſibi gratulatur ſuam de duabus naturis ſententiam à Concilio confirmatam, totoque orbe receptam eſſe: Sic enim in literis ad Flavianum ait. Ep. 16. *Quia piè, ac religiosè Chriſtianiſſimus Imperator haberi voluit Epiſcopale Concilium, ut pleniore judicio error aboleri poſſit*. Agnoſcit ergo Papa Leo iudicium Concilii eſſe plenius, & ſuperius judicio, & ſententia Pontificis; ſicque majorem Concilii, quàm papæ authoritatem eſſe. Idem ad Flavianum in cit. literis ſic ſcripit: *Gloriamur in Domino; qui nullum nos in noſtris fratribus deſiderium ſentire permiſit, ſed quod noſtro prius miniſterio definierat, univerſæ fraternitatis firmavit aſſenſu, ut verè à ſe prodiiſſe oſtenderet, quod prius ab omnium ſede firmatum totius orbis judicium recepiſſet*. Supponit ergo S. Leo definitiones Pontificum confirmari, & rurſum examinari à Concilio poſſe; nec prius conſtare, an à Deo prodierint, quàm ſi totius orbis recipiatur judicio; quæ omnia oſtendunt Concilia ſupra Pontifices eſſe.

16. Miror Authorem iſtum non erubeſcere S. Leonem Magnum allegando pro authoritate Concilii ſupra Papã; cum tamen ex Sanctis Patribus, Summiſque Pontificibus nemo plus expreſsè Papæ authoritatem ſupra Concilium comprobavit, edocuitque, quam S. Leo, ut mox videbimus, & jam ex ſuperiori noſtrà doctrinà ſatis conſtare videbitur. An liceat verborum rimari apices, cùm ſit compertiſſimum, qualis ſit hujus Sancti Pontificis mens, ac doctrina? non nè erit planè ridiculum negare ſolem, quando nubecula obtegitur, quem radiis toto orbe diffuſis inclareſcere conſtat? Noctuam dixeris, quæ in tenebris videt id, quod in luce videre nequit. Sed jam audi Leonem, & quid ipſe ſentiat, judica. Primo in ipſa illa Epiſtola ad Synodum Epheſinam data, quam Adverſarius citat. ſic ſcribit Leo. *Fratres noſtros Julianum Epiſcopum, Renatum Præsbyterum, & Hilarium Diaconum miſi, qui vice mea Sancto Concilio noſtræ fraternitatis interſint, & comuni nobiſcum ſententia, quæ Domino ſint placitura, conſtituant, hoc eſt, ut primitus errore peſtifero damnato, etiam de ipſius, qui impudenter erravit reſtitutione tractetur, ſi tamen ſenſus hæreticos, quibus imperitia ejus fuerat irretita, planè, aperteque propria voce damnaverit*. Et Epiſt. 54. ad Concilium Chalcedonenſe, in quo ejuſdem Eutychetis cauſa diſcuſſa eſt, ita ſcribit S. Leo: *Fraternitas veſtra me Synodo exiſtimet præſidere, qui nunc in Vicariis meis adſum, & jam dudum in fidei Catholicæ prædicatione non deſum, ut qui non poteſtis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non poſſitis ignorare, quid cupiamus. Unde fratres chariſſimi, rejecta penitus audacia diſputandi contra fidem divinitus inſpiratam, non liceat defendi, quod non licet credi, cùm ſecundum Evangelicas authoritates, Apoſtolicamque doctrinam pleniſſimè, & lucidiſſimè per litteras, quas ad Flavianum Epiſcopum miſimus, fuerit declaratum, quæ ſit de Sacramento Incarnationis Domini noſtri pia, & ſyncera confeſſio*. Et Epiſt. 33.

ad

Digitized by Google

ad Pulcheriam Auguſtam: *Remota longarum diſputationum labore Cyrilli Alexandrini Epiſcopi Epiſtolæ acquieſcas, & Epiſtolæ meæ ad Flavianum, quia & mea, & Sanctorum Patrum de Incarnatione concors per omnia, & una confeſſio eſt, quam ſiquis exiſtimaverit non ſequendam, ipſe ſe à compage unitatis abſcindit.* Similia habet Epiſt. 40. & 41. ad Marcianum Imperatorem; & Epiſt. 49. ad eandem Pulcheriam; in quibus imitatus eſt Leo Cæleſtinum prædeceſſorem ſuum, qui in Communitorio Legatis ſuis ad Concilium Epheſinum dato, hæc clariſſima, dignaque memoratu habet, ut conſtat ex Commonitorio Cœleſtini nuper per Stephan. Baluz. ex man. ſcrip. Colbertino, & affert etiam Author Galliæ vendicatæ diſſert. 3. §. 1. pag. 10. & ſic habet: *Authoritatem Sedis Apoſtolicæ cuſtodite: ſiquidem & inſtructiones, quæ vobis traditæ ſunt, hoc loquantur, ut intereſſe conventui debeatis, ad diſceptationem ſi fuerit ventum, vos de eorum ſententiis judicare debeatis, non ſubire examen.*

17. Ex his omnibus patet primum Cæleſtinum, & Leonem præſcripiſſe Concilio, quid credi, quid decerni oporteret; videlicet, ut hæreſis Eutychetis damnaretur, ut à doctrina Cyrilli, & Leonis comprehenſa, nè latum unguem, diſcederent Patres Concilii, idque ſub pæna anathematis, ut diſputationibus in contrarium abſtineretur; ut Eutyches verbo, ſcriptoque retractaret, ſicque priſtinæ Cathedræ reponeretur. Secundum, ut Apoſtolici legati de Patrum, Conciliique ſententiis judicium ferrent; ipſi verò Pontificis Romani doctrinam examini, judicioque Concilii nequaquam ſubiicerent. Quid ergo? poteſt nè aliquid dici, imo cogitari, quod amplius Pontificis ſupra Concilium authoritatem exprimat? Præſcribitur Cõcilio, ne à Pontificis judicio, ſententiaque latum unguem diſcedat; & nè ſententia Pontificis Concilii ſubdatur examini; & hoc non eſt ſubdi Concilium Pontifici; ſed Pontificem Concilio? An Concilium querelas habuit de uſurpata ſibi à Pontifice poteſtate? imo mille encomiis, laudumque præconiis Epiſtolas Leonis, velut cælo delapſas exornavit, ut videre eſt in actis Concilii act. 2. circa finem & hoc non ſolum verbis, ſed facto ipſo comprobatur: nam propoſitas à Concilio varias faciendi profeſſionem fidei, formas minus perfectas Legati Apoſtolici rejecere; Patreſque quamvis obluctantes, ut aliam perfectiorem ederent, coegerunt, idque imperio, & authoritate, clariſſimo poteſtatis, quam in Concilium exercebant, argumento. Lege Acta Concilii Act. 5. Ubi omnes Rever. Epiſcopi præter Romanos, & aliqui Orientales clamaverunt: *Definitio omnibus placet: hæc fides Patrum; qui aliter credit, anathema ſit.* Paſcaſius, & Vincentius Sedis Apoſtolicæ dixerunt: Vides iterum hìc tantum abeſſe, ut Leo doctrinam, & Epiſtolam ſuam examini Patrum, Conciliique ſubiiciat, ut potius velit, apertèque, & pleno conſeſſu profiteatur oportere, ut Patres Concilii ad normam, judiciumque Leonis decernant; eſt ne igitur hoc Pontificem obſequi, an imperare? Si Pontifex Concilio ſubeſt: cur Pontifex imperat, obtemperatque Concilium? cur à toto Conventu probata improbat, & admiſſa reiicit? Cur compellit obliterare jam ab omnibus decreta, & nova inducere, proferreque? Cur Leo Epiſtolam ſuam pro norma præſcribit; eique Concilium alligat? Cur non patitur ab ea uno apice recedi? Paruit itaque Concilium, & aliam edidit fidei profeſſionem, quæ habetur Act. 6. non pariturum, ſi major eſſet Concilii authoritas Pontificis authoritate. Eadem Pontificis authoritate Legati Canonem 28. Synodi Chalcedonenſis irritũ, caſſumq; voluerunt, quo primus locus poſt Romanum Pontificẽ Alexandrino Patriarchæ jure debitus Cõſtantinopolitano cedebatur; ut alibi dictum eſt: quo iterum oſtendêre Patres non Papam Concilio, ſed Concilium Papæ obſequi oportere. De quo videri poteſt Actio. 15. prædicti Concilii circa finem.

18. Ex quo manifeſtè patet Maimburgum perperam pro ſe Leonis Epiſtolam allegaſſe; dum in S. Leone contrarium reperitur. Imo verba illa Leonis, quæ ad ſuũ ſenſum Apoſtolicæ Cathedræ ineptè detor-

detorſit, ipſum jugulant Adverſarium. Attentè lege, ac conſidera illud: *Gloriamur in Domino*; . . . *ſed quæ noſtro prius miniſterio definierat* &c. Cum Deus ipſe jam prius definierat, poſſet ne Concilium contra definitum à Deo procedere? nonne ſe opponeret Deo, qui prius Papæ miniſterio à Deo definitum convellere conaretur? Dum Pontifex laudat ſecutum ad definitam jam veritatem conſenſum Concilii, ſenſus fuit Pontificis, ut ſine illo conſenſu Concilii, verba Dei, ſeu definitio Papæ miniſterio declarata mendacium continerent? Abſit talis ab animo Chriſtiano blaſphemia. Sed jam in hoc authore allucinationis ſuæ cauſam, male intellectam, ſeu potius occaſionem rimemur. Sic ait Pontifex: *Quæ noſtro prius miniſterio definierat, universæ fraternitatis firmavit aſſenſu*, ut verè à ſe prodiiſſe, oſtenderet, quod prius ab omnium ſede firmatum, totius orbis judicium recepiſſet. An verbum à Deo per organum Pontificis definitum, quod quidem cœleſte, divinumque erat, ſi non foret à conventu populi receptum, cæleſte, ac divinum eſſe deſineret? an ſi fallax eſset, & vanum, foretque receptum à populo, cæleſte, ac divinum eſſe inciperet? ergo non receptio populi, ſed oraculum Pontificis ſtabilem definitionibus firmitatem confert. Si Papa proferret definitam à ſe veritatem non aliter fore firmam, niſi prius à Concilio receptam, rectè argueret Maimburgus; ſed dum Pontifex laudat aſſenſum Concilii, damnatque, ſi præbeant PP. Concilii diſſenſum; undè probat authoritatem Concilii ſupra Pontificem; cùm inde potius authoritas Pontificis ſupra Concilium comprobetur? Itaque firmatur definitio Papæ Concilii aſſenſu, non quòd ſine illo firma, & infallibilis non foret; aliter fruſtra contenderet, ut obluctantes anathemate ſuis à Vicariis ferirentur, ſed, ut, quod firmum jam erat in ſe, firmum eſſet in animis fidelium.

19. Inſtat Adverſarius: Cur ergo dixit S. Leo Concilii judicium plenius eſſe, ab eoque aboleri errores opertere? Reſp. jam certum nobis eſt Pontificem Leonem Concilio authoritatem ſupra Papam non arrogare; cùm illum dixiſſe contrarium planè conſtet: & in eadem Epiſtola dicit: *Ut in hoc quoque capite membra concordent* &c. Et poſtea ſubjungit: *Multum denique Sacerdotalis officii meritum ſplendeſcit, ubi ſic ſummorum ſervetur authoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas*. Quis rectè ratiocinetur, dum Leo dicit ſe caput eſse Concilii, facere ſe Concilio inferiorem? Quis, niſi mentis expers, dum Leo Pontifex dicit in ea Decretali Epiſtola, oportere Concilium aſsentiri Papæ, ut inferiora ſummis coaptentur, ex eadem Epiſtola, velit educere ratiocinatione legitima, velle ſe Papam Concilio inferiorem agnoſcere? Quis potius non colligat oppoſitum, ſi ſui compoſſit?

20. Verum quidem eſt dixiſse Pontificem plenius in Concilio fieri poſse de Eutychete hæretico judicium; ab eoque errores aboleri oportere. Sed hoc quid ad noſtram quæſtionem de authoritate Papæ ſupra Concilium? An, quia Concilium in Græcia pleniore quidem judicio poterat inceptam de Eutychete ibi præſente cauſam tractare, & non ita Leo Romæ abſens, ubi teſtes produci, accuſati hominis reſponſiones, delictique purgationes excipi, non tam facile potuiſsent; idcirco inde colligendum eſt, majorem eſſe Concilii, quàm Papæ auctoritatem? eſt ne major authoritas magiſtratus qui, reũ ſibi præſentem, & à Rege diſtantem, melius, quàm Rex ipſe abſens, judicare valet; quàm ſit Regis authoritas? quis inde inferat magiſtratum illum Rege ſuperiorem eſſe? Quod ibi ſint congregati plures legis periti; quàm fortè apud Regem; qui juris apices rimentur, cauſam examinent, & pleniore tractent judicio, poteſtatem, authoritatemque ſupra Regem habere dicentur? Ecce in quo ſenſu Leo magnus depleniore Concilii judicio loquebatur, non vero de authoritate Concilii majore, quàm Papæ: aliter ipſe ſibi ipſi in eadem Epiſtola demens adverſaretur: ineptiſſimè igitur Leo contra Leonem, & veritas contra veritatem producitur.

SE-

SECTIO II.

Refellitur factum Vigiliis allatum à Maymburgo contra ſtabilem doctrinæ noſtræ veritatem.

21. OBiicit hic Author Primo tract. hiſtorico fol. 216. Exemplum Vigilii Pontificis: is enim cùm conſtitutionem edidiſſet, qua tria capitula comprobabat, vetabatque, ne à quocunque Mortalium damnaretur; Concilium Conſtantinopolitanum. V. & Vigilii conſtitutionem, & doctrinam trium capitulorum examinandam ſuſcepit, & damnavit, obluctante primùm Vigilio, & tandem cedente ipſi Concilio. Si ergo Concilium examinat, damnatque, quæ tanto ſtudio, tantaque animi contentione, ac ſolemni diplomate Vigilius decreverat, oportet utique majorem eſſe Concilii, quàm Pontificis authoritatem, & hunc illius judicio ſubjacere. Conſtitutum Vigilii videri poteſt apud Baronium ad annum 553. num. 596. & apud Authorem Galliæ Vindicatæ. Diſſert. 3. §. 1. pag. 14. & ita habet: *Apertiſſima licèt veritate ex verbis Epiſtolæ venerabilis Ibæ veriſſimo, ac piiſſimo intellectu perſpectis, Patres noſtros in Chalcedone reſidentes rectiſſimè Orthodoxam ejuſdem viri fidem pronuntiaſſe, & ideo præſentis ſententiæ veſtræ authoritate ſtatuimus, atque decernimus, cùm in omnibus, tum etiam in memorata venerabilis Ibæ Epiſtola intemeratum Patrum Chalcedone reſidentium manere judicium.*

22. His verbis Vigilius non ſolùm perſonam Ibæ; ſed etiam ejus Epiſtolam quanvis mille blaſphemiis plenam, hæreſi abſolvit, idque obtenta Concilii Calcedonenſis authoritate. Additque in fine conſtituti. *Si quid verò de iiſdem tribus capitulis contra ea, quæ hîc aſſerimus, vel ſtatuimus, factum, dictum, atque conſcriptum fuerit, hoc modis omnibus ex authoritate Sedis Apoſtolicæ reſiſtamus.* En Vigilium ex cathedra definientem: & tamen Concilium Æcumenicum Conſtantinopolitanum à tota Eccleſia receptum, cultumque contrarium omnino decidit: Sic enim loquitur. collat. 8. cap. 14. *Siquis defendit Epiſtolam Ibæ, quam ad Maryn Perſam hæreticum dicitur Ibas ſcripſiſſe, quæ abnegat Deum Verbum ex Virgine Maria incarnatum, & eam non anathematizat, & qui præſumit eam defendere, vel inſertam ei impietatem nomine Sanctorum Patrum, vel Concilii Chalcedonenſis, anathema ſit.* Concilium ergo non ſolùm damnat, ſed etiam anathemate punit Vigilium, ejuſque Conſtitutum. Immo Pelagius II. ac Gregorius Magnus apertè Vigilium ignorantia erraſſe profitentur; ac poſtea meliora edoctum Concilii ſententiam amplexum eſſe; conſtituto, quod prius ediderat, damnato. Patet ergo tot Pontificum, qui poſt Vigilium ſedêre, imò totius Eccleſiæ conſenſu, quæ tria capitula damnavit, & Pontificem erraſſe, & à Concilio correctum, imo perculſum eſſe anathemate, ac proinde Pontificem infra Concilium eſſe, & ab ipſo judicari poſſe, punirique.

23. Hoc argumento triumphare videtur Adverſarius; & non videt, quòd non minus probat contra ſe, & in ipſum retorquetur arguentem, qui docet Concilium errare non poſſe; ipſum verò Pontificem poſſe: nam erravit Pontifex ſequendo Concilium Chalcedonenſe; & ipſum Concilium non erravit, quod errorem illum definivit? Quod ſi dicat prius Concilium non erraſſe in jure illa tria capitula comprobando; in quibus illi homines tanquam innocentes ab ea culpa ſibi impoſita liberi ſunt per ſententiam pronuntiati; quod quidem fuit error facti, & non juris; cur ergo non dicit idem de Pontifice, qui minus videtur peccaſſe, quàm Concilium primum illorum capitulorum authorem? Ergo ſe ipſum jugulat Maymburgus alios jugulare intendens.

24. Ut autem apertè videas, quam inane Maymburgi ſit argumentum, explorare oportet, quæ fuerint illa tria capitula in Concilio Calcedonenſi approbata, & à Vigilio tunc laudata, poſtea verò quo ad facti contingentiam, re enucliatiùs diſcuſſa, proſcripta à Conſtantinopolitano Concilio pariter & à Vigilio Pontifice Romano; de quibus eruditè ſatis, nervoſèque agit Author

Galliæ Vindicatæ. Diſſert. 3. §. 1. à pag. 14. uſque ad pag. 34. Hæc ſunt igitur tria capitula, quæ poſtea tot bellorum tumultus in Eccleſia concitarunt. Primum, quòd Ibas Epiſcopus fuerit abſolutus, agnituſque à Concilio Chalcedonenſi, & à Vigilio orthodoxus. Secundum, quòd ita etiam liber extiterit Theodoretus. Tertium, quòd uterque fuerit ſuis ſedibus reſtitutus. Cauſa vero, cur ita Concilium, Vigiliuſque ſic proceſſerint, hæc eſt: Ibas exiſtimaverat Cyrillum, dum aſſerebat unam tantum in Chriſto perſonam contra Neſtorium, dixiſſe illum unam tantùm in Chriſto eſſe naturam, quæ erat hæreſis Eutychiana, & ſic ſcripſit contra Cyrillum ad Maryn Perſam; criminando Cyrillum, quòd diceret *unam eſſe naturam Trinitatis, & humanitatis, nec eſſe differentiam inter templum, & inhabitantem in eo.* Cum tamen poſtea bene agnoviſſet Cyrillum non unam tantùm naturam in Chriſto, ſed duas humanam ſcilicet, & Divinam in una perſona complecti, ideo ad calcem Epiſtolæ, quæ habetur in Actis Concilii Calcedonenſis Act. 10. declarat eandem ſibi eſſe cùm Cyrillo fidem, quod Cyrillus per unam in Chriſto perſonam non intelligebat unam tantum eſſe naturam, ſicut ipſum Ibas tenuiſſe falſò exiſtimabat: id clarè colligitur ex verbis Epiſt. *Eccleſia*, inquit, *ſic dicit; ſicut tua Religioſitas novit, & à principio eſt edocta, atque firmata ex literis beatiſſimorum Patrum, duæ naturæ, una virtus, una perſona, quod eſt unus filius Dominus noſter, &c.*

25. Itaque Ibas in Epiſtola ſua reprehendebat Cyrillum putando per errorem illum eſſe Eutychianum; à qua reprehenſione abſtinuit, veritate comperta, deteſtaque Cyrilli innocentia: deinde laudabat Theodorum; quia hic eo tempore Catholicus credebatur; & in illius libris errores poſitos, ſive ab aliis, eo inſcio, introductos plerique Catholici penſitabant, ſicut olim de Origine, & noviſſimè de Jancenio divulgavere multi. Hac de caſa Chalcedonenſe Concilium relecta ejus Epiſtola; & Ibæ intellectu perſpecto, illum Catholicum eſse declararunt, ut conſtat ex Act. 10. his verbis: Paſchaſinus, & Lucentius tenentes locum Sedis Apoſtolicæ dixerunt: *Relectis chartis agnovimus ex ſententia Reverendiſſimorum Epiſcoporum, (qui videlicet, Tyri, & Beriti convenerunt Ibam Reverendiſſimum innocentem approbari* : relecta enim ejus Epiſtola agnovimus eum eſſe Orthodoxum; & ob hoc decernimus, & honorem Epiſcopatus, & Eccleſiam ei eſſe reſtituendam. Hanc etiam rationem Eunomius Epiſcopus Nicomediæ attigit, quando Act. 10. Concilii Chalcedonenſis Ibam abſoluit. *Jam*, inquiens, *ex iis, quæ relecta ſunt, innoxius approbatus eſt Ibas Reverendiſſimus, in quibus enim dicendo malè culpare viſus eſt beatiſſimum Cyrillum, in poſtremis rectè confeſſus, illa, in quibus culpavit, refutavit.* Perſpicuum ergo eſt, quamvis Epiſtola Ibæ hæreſim redoleret, quia tamen circa finem Epiſtolæ cum Cyrillo ſe communicare profitebatur, & Neſtorium, Eutychetemque damnabat hæreticos; ideò à Patribus Concilii Chalcedonenſis pronuntiatum eſt Ibam ex Epiſtola data ad Maryn Orthodoxum apparere.

26. Similiter Theodoretus Cyri Epiſcopus in eadem Synodo Chalcedonenſi Act. 8. abſolutus eſt, ac Sedi ſuæ, cùm Neſtorium deteſtatus eſſet, reſtitutus. Hic Theodoretus ex Monacho factus Epiſcopus immenſos labores pro fide Catholica contra Gentiles, & hæreticos conſtanter ſuſcepit. Sed poſtea Theodori Mopoweſteni, Neſtoriique, qui à Theodoro virus hæreſis hauſerat, amicitia, (quos ipſe maximè commendabat) adeoque gloriam ſuam fœdaverat, ut eodem morbo infectus videretur, præſertim, ubi contra Cyrillum, quem Catholici omnes, ut arcem veræ Religionis venerebantur, calamum ſtrinxit; igitur Theodoretus, veritate comperta, deteſtoque Theodori, Neſtoriique veneno, Leoni Romanæ Sedis Antiſtiti Catholicus acquievit: & ideo à Concilio Chalcedonenſi fuit abſolutus, Sedique ſuæ per Synodalem ſententiam reſtitutus: hæc ſunt verba Concilii: *Theodoretus dixit: Anathema Neſtorio, & ei, qui non dixit Dei genitricem Virginem Mariam, & qui in duos filios partitur unum*

Fi-

Filium Dei Unigenitum. Omnes Epiſcopi clamaverunt: Theodoretus dignus eſt Sede: Eccleſia Orthodoxum, Eccleſia Paſtorem recipiat. Paſchaſinus, & Lucentius habentes locum Apoſtolicæ Sedis dixerunt: Sanctiſſimum, & Venerabilem Epiſcopum Theodoretum Sanctiſſimus, & Beatiſſimus Univerſæ Eccleſiæ Epiſcopus Urbis Romæ Leo dudum in communionem ſuſcepit; quoniam igitur Neſtorium, & Eutycheu anathematizavit, Sanctiſſima, & Veneranda, diſſima Synodus, inſuper verò, & noſtra humilitas reddi ei Eccleſiam propriam definivit. Vides ergo in hoc Concilio Oecumenico Theodoretum pro Orthodoxo acclamatum eſſe, & pro digno, cui Sedes redderetur.

27. Hæc igitur ſunt tria toties decantata Capitula, ex quibus ſubortæ ſunt tot flammæ contra Eccleſiam; quas præcipuè excitaverant Eutychiani, quòd viderant illis eſſe commodum Synodũ illam debellare, enervareque, & deinde aliqui Catholici; qui ſibi perſuaſum habebant, dum Concilium Theodoretum, Ibamque perpetuos Theodori, Neſtoriique laudatores recipiebat, illi vitio vertebatur, quaſi Neſtorio faveret. Favetne Theodoro, Neſtorioque, qui ad Eccleſiæ gremium recipit eos, qui Theodorum, Neſtoriumque deteſtantur? qui non vult ſedibus Epiſcopalibus reſtituere eos Epiſcopos, niſi prius illorum hominum perditiſſimorum hæreſes, peſtiferumque venenum deponant, abominentur, execrenturque? Eſtne dicendus hæreticus, qui dum putat hominem Catholicum, laudat? dum agnoſcit hæreticum, deteſtatur? In quo ergo erravit (ſaltem quo ad juris quæſtionem) Concilium Oecumenicum ſupremo ſuo capiti unitum? in quo erravit Vigilius, Leoque illud Concilium Sacroſanctum, ac venerabile confirmando?

28. Demus tamen erraſſe Concilium quoad facti quæſtionem; demus, quòd in eo facto erraſſet Vigilius abſolvendo reum, qui ſecundùm juris regulas, & facti conteſtationes Catholicus probabatur; & deinde, quòd aliud Concilium Oecumenicum inſuper cum ipſo Pontifice Vigilio, vel alio ejuſdem Succeſſore velint detectum facti errorem emendare; unde colligit Maymburgus majorem eſſe Concilii, quàm Papæ authoritatem? An ſi Rex aliquis protuliſſet ſententiam in errore facti fundatam, idque Comitiis Generalibus; poſtea in aliis Comitiis, re melius explorata, erroreque detecto, legis periti, Magiſtratuſque Rege inferiores illum incitarent ad revocandam, & emendandam ſententiam, quoad errorem facti; an, inquam major in illis legum peritis, inferioreque Magiſtratu ſupra Regem authoritas probaretur? Deinde ſi Adverſarius inferre non audet majorem authoritatem ſecundi Concilii ſupra primum, quod in facto erraſſe videtur, cur audet inferre majorem authoritatem ejus dicti Concilii ſupra Papam, qui illum facti errorem confirmavit? minus peccavit errans? plus peccavit errorem confirmans?

29. Sed jam premamus factum. Anno 538. hoc eſt 27. annis poſt Concilium Chalcedonenſe de tribus Capitulis ſupra commemoratis mota contentio fuit. Res ita evenit, prout narratur ab Authoribus, & noviſſimè ab Authore Galliæ Vindicatæ Diſſert. 3. §. 1. p. 21. n. 6. Miſſus fuerat in Orientem ab Agapito Pontifice Pelagius, ut Romanæ Sedis Legatione fungeretur. Is è Palæſtina reverſus, ubi Epiſcopum Alexandrinũ patratę cædis reum gradu dejecerat, Monachorum agmen ſecum duxerat Origeni infenſum: ingentem texuerunt errorum Catalogum, quibus Originis Libri reſperſerant; urgebantque ipſos ſimul cum authore damnari: *Quandiu enim Origenis nomen in Eccleſia vigeret, iſtius errores deleri ex animis non poſſe Authoris reverentia, nec perſuaderi hominibus, ut cum coli arborem, amarique videant, fructus tamen averſentur, iſtos verò ſponte collapſuros arbore truncata*. Hæc Monachi nec ſine aſſenſu in aula repetebant Pelagii, & Juſtiniani Imperatoris. Tandem Imperatoris induſtria Origenes damnatus eſt Paſchaſio, & Mæna Epiſcopo Conſtantinopolitano ſententiam proferentibus. Hinc nata occaſio bella movendi contra tria in Chalcedonenſi Concilio capitula: nam Theodorus Cæſareæ Epiſcopus eo tem-

pore Principis gratiâ florens, altoque dolore tabeſcens, quòd damnatum viderit Origenem, cujus, & Eutychetis veneno celato tamen intus miſerè infectus, prætextu veræ Religionis, Imperatorem adiit, oſtendens perire Eccleſiam Eutychianorum diſcordiis:unicum ad pacem ſupereſſe aſylum, ſi Concilium Chalcedonenſe omnes recipiant; hoc enim recepto, nihil diſſidii fore; illud unum obſtare, quod Theodorum, Mopſweſtanum,& Theodoretum,præcipue verò Ibæ Epiſtolam Patres comprobaſſent: iſtos autem Neſtorio apertè favere, ſicque Neſtorium quoque,ejuſque ſententias viſas à Concilio comprobari, cum illos admiſiſſent, hoc Catholicos Neſtorio, ut par erat, adverſos offendi, hoc unum morari,ne Concilium, pacemque admittant. Si ergo tria illa Capitula damnentur, & Concilium admiſſum, & pacem redditum iri, nullo impendio; litandum eſſe omnium paci, communique bono paucis mortuorum cineribus; idque ipſum Ibam, ſocioſque ſi viverent, optaturos: gloriam verò redditæ pacis penes Imperatorem fore.

30. Hæc Theodorus externa facie Religionis: ſed vindicta quærebatur: prævidebat enim Pelagium, ſocioſque, cùm à Patribus longa præfixi ad reſolutionem termini mora decerneretur, nunquam aſſenſuros; hinc illis cum Principe bellum, & ex bello offenſam, invidiamque: aut ſi aſſentirent, ſemel Concilii Chalcedonenſis everſa, deletaque aliqua parte, totum corruere, aut in dubium vocari poſſe: id verò Eutychianis ſaluti fore. Hæc interna Theodori ſenſa; ſed Principi clauſa. Hac oratione per motus Imperator, & præcipuè Theodoræ conjugis, quam vehementer amabat,blanditiis, edictum proponit, quo tria Capitula damnabantur. Incredibile dictis, quantum inter Catholicos certaminis incendium excitaretur; quod negarent poſſe Concilii generalis legitimi ſtatuta convelli; & eadem quoque erat Vigilii Pontificis Romani ſententia. Cum autem ſciret optimè Imperator eò inclinaturam victoriam, ubi Vigilius eſſet, Conſtantinopolim eum acceſſit: omnibus uſus eſt artibus Imperator, ut hanc arcem everteret; jam minis, jam blanditiis, & quod ſuperabat omnia, Imperatricis efficaces preces, tenerrimæque lachrymæ, promiſſiones, præmia rem pene conficiebant: accedebat huc, quòd Vigilius, ſi Pontificatum ab Imperatrice obtineret, promiſiſſet, ſe tribus capitibus abnuntiaturum. Cur ergo non ſatisfaceret promiſſis, qui jam fruebatur obtentis?

31. His ergo preſſus anguſtiis Vigilius, mediam ſuſcepit viam; nec, ſcilicet, damnando, nec præcipiendo tria Capitula obſervari; ſed viam liberam omnibus relinquendo; ut vel quiſque poſſet credere, vel non credere culpam, aut innocentiam illorum Epiſcoporum Ibæ, & Theodoreti: dicebat enim tria illa Capitula non continere articulum fidei: non enim in Concilio erat definitum perſonas illas, ut de fide, fuiſſe innocentes: ideoque liberum cuique fore, unum, vel alterum ſequi, quin id Concilii veritati obſtaret. In gratiam tamen Imperatoris Vigilius occultè libellum compoſuit, quo tria capitula arguebat, ſed eo libello vulgato, offenſiſque Occidentalibus, apertè ſe Orientalium ſententiis adjungit, ut iſtos ſaltem lucrarentur, quippe numero & potentia majores. Adverſati, indignatique Occidentales, quod crederent, inde totum Chalcedonenſe Concilium everti; Vigilius ſchiſma veritus, indicto Epiſcoporum, qui aderant, Concilio, ſilentium partibus indicit, exoratque Imperatorem, ut in proximum, ac univerſale Concilium ſuſpendi edictum velit; annuitque Imperator. Interim Vigilius Theodorum Cæſareæ Epiſcopum Auguſto prædilectum hæreſis compertum, ſchiſmatiſque authorem Eccleſiâ, ſacriſque interdicit; quo ſatis oſtendit ſe in trium Capitulorum negotio non animum ſibi, aut conſtantiam, ſed cauſam defuiſſe; quodque in eam, vel in aliam flecteret partem, non timori, aut gratię,ſed concordiæ vertendum. Morę tamen impatiens Imperator, & præſertim agitante Theodora Auguſta,& fruſtra obluctante Vigilio, edictum palam proponit, jubetque Epiſcopos, qui ſubſcribere moraren-

rarentur, in carcerem, & in exilia rapi, Vigilius cùm jam evaginatos gladios, catenaſque videret,ad aras non ſine vulnere confugit. Sed aderant de cœlo minæ, terræmotus, hiatus, Barbarorum incurſus, quibus in ruinam vergeret Imperium; Imperator verò, Mænaque Patriarcha his malis defeſſi, victique veniam ſacrilegii petere, & edicta auferri juſſa. Hæc ab anno 547. uſque ad annum 552. peracta, ut citati referunt Authores.

32. Denique anno 553. Univerſale Concilium Conſtantinopoli habitum, in quo de Origenis, Neſtorii, & Eutychetis erroribus actum. Eutychiani cauſabantur ſe propter tria capitula Synodum Chalcedonenſem amplecti non poſſe, quod Neſtorio faveret. Miſſa ad Vigilium ornatiſſima Legatio 20. videlicet Metropolitanorum Antiſtitum, inter quos tres Patriarchæ; tantùm erat etiam apud Romanæ Cathedræ adverſis Romanæ faſtigum thiaræ. Rogabant Vigilium,ut Synodo adeſſe vellet. Ille primum inducias petere, tum morbum cauſari,& abſentiam Occidentalium Antiſtitum, qui præcipuè edicto Imperatoris offendebantur: ac tandem, quid de tribus Capitulis ſentiret, ſcripta editurum.Et quidem Vigilius non in Græcia, ſed in Sicilia, ubi votorum major eſſet libertas, volebat Concilium convenire, ſed id ipſum Auguſtus verebatur; quippè nulla illi erat ſpes victoriæ,ſi Occidentales omnes confluerent: ergo nec aliis, nec Pontifice expectatis, initium Synodo fieri voluit. Illyrici Epiſcopi venire renuerunt, Primaſius Adrumeti in Africa Metropolitanus, cum ad Synodum vocaretur, Papa non præſente, *non venio*, intrepidè reſpondit. Alii, qui ex Italia, & Africa aderant, paucique Orientis Epiſcopi Vigilio adhęſere, ut ex eorum ſubſcriptioníbus liquet. Tres primæ collationes in variis rebus præambulis; & in fidei profeſſione impenſæ. In quarta recitatæ ſunt Theodori Mopſvieſteni blaſphemiæ,& in illas à Patribus conclamatum. In quinta, quæ Patres adverſus Theodorum ſcripſerant; & producta, quæ Theodoretus in Cyrillum ſcripſerat. Addita demum aliqua Patrum exempla, & ſententiæ, quibus etiam defunctus damnari poſſe probatur. Acceptum deinde Conſtitutum Vigilii optimis refertum argumentis in trium Capitulorũ favorem: quod eſt hujuſcemodi. *Quæ Concilium Chalcedonenſe ſtatuiſſet, nulla ratione, nulloque obtentu ſubverti debere; alioqui una Concilii parte oppugnata, totum infringi, ac dubium reddi; nec enim oſtendi poſſe, cur in uno potius, quam in alio errare potuerunt Patres, triumphaturum Eutychen, ſociiſque Concilio ſemel impulſo, everſoque, nec majorem illis evenire poſſe victoriam, quàm ut ſuſpectum videant, damnatumque tribunal, in quo ipſi cauſa ceciderint. Jam ferè ſæculum fluxiſſe, quo tribus Capitulis nemo litem intenderit; quid ergo cauſæ eſſe, ut novo, nec neceſſario bello Eccleſia collidatur? Cur modo improbentur tot jam annis probata? Neſtorianam hæreſim tam clarè, enixeque in Concilio Chalcedonenſi damnatam eſſe, tamquam repetitis vicibus, ut venire in mentem nemini poſſit cum tribus illis Capitulis aſſertam, aut admiſſam eſſe, nec Chalcedonenſibus Patribus tam parum lucis affuiſſe, nec Eccleſiam tam vecordem, inertemque, ut tot annorum curſu, aut ſtatueret, aut permaneret, quæ Religionem, fidemque minuerent. Ut Theodoretus, & Ibas damnentur, nihil ad fidem pertinere; hanc enim de rebus, non perſonis eſſe: quid ergo interſit Theodoretus, & Ibæ parci, ſi modo, quæ illi docuerunt, conſtet & ab illis revocata, & ab Eccleſia, Concilioque proſcripta? Id ſemper in Eccleſia receptum eſſe, ut pœnitentes in ſinum reciperet, apertiſque amoris, & clementiæ oſtiis aditum oſtenderet reverti volentibus: alioquin nullum remedium, & finem fore, ſi crederetur ignoſci non poſſe. Ignoviſſe Eccleſiam vivis, nec culpæ ſecuris, cur in mortuos ſæviretur, nec amplius offenſuros? Quod ſi leges, Canoneſque prohibeant abſentem aliquem, indefenſumque damnari; quanto magis emortuum, & in publica Synodo abſolutum? Falli Patres, ſi crederent, hac in mortuos ſententia pacem redituram; imò novum bellum incendi, novumque hæreſi triumphum parari; Occidentis Antiſtites nunquam Chalcedonenſibus illudi paſſuros; illos er-*

go

go pernicioſo ſchiſmate involvi, reddique Patribus, qui Conſtantinopolim pervenerint, infenſos, averſoſque, & quam iſti ſententiam in tria capitula protulerint, illos planè rejecturos; quanto hoc Synodi dedecore, quantoque damno? Hæreticis id lucri accedere, ut cum duas Synodus adverſis Decretis pugnantes videant, utramque pari ludibrio habeant; hunc ergo fructum Concilio fore, ut nulla Conciliis reverentia, fideſque habeatur; hoc hæreticos cupere.

33. Hæc Vigilii mens. Sed cohiberi torrens non potuit: quin Ibas antea in generali Concilio abſolutus, ejuſque Epiſtola ad Maryn damnaretur, quod Actione 6. eſt factum, repetito in Neſtorium, & Theodorum Mopſwenium anathemate ſeptima collatione plures Vigilii literæ in Synodo lectæ, quæ conformari Synodo videbantur: ſed ob factum ſequens, crediderim à Patribus ſenſum ad ipſorum ſententiam detorqueri octava collatione tria capitula, Vigilio, ejuſque ſequacibus conſtanter, & fortiter obluctantibus. Secutæ mox perſecutiones, proſcriptiones, exiliaque adverſantium Epiſcoporum. Nec Vigilio pepercere, ad carcerem, & exilium rapto cum Clericorum manu, qui ei adhærebant. Orta diſcordia inter Catholicos, quibuſdam recuſantibus, aliis verò acceptantibus trium Capitulorum damnationem. Vigilius tandem rediit ab exilio, Siciliam devectus ibi morbis, ærumniſque confectus, Vigilium tandem Concilio ſubſcripſiſſe teſtantur. Euagr. lib. 4. cap. 33. Niceph. lib. 27. & 28. aliiſque quos tacitè refert Author Galliæ Vindicatæ Diſſert. 3. §. 1. p. 26. in fine, idque effeciſſe Vigilium, quia videbat eos jam æſtimari Neſtorianos, qui trium Capitulorum damnationi non conſentirent; & quia aliter pacem Eccleſia obtinere non poterat: ubi verò fideles cognovere Vigilium Concilio adhæſiſſe, ſubito Concilio adhæſere; quia certo credebant nihil roboris eſſe Concilio, niſi Romani Pontificis authoritas Concilium comprobaret, cùm truncatum capite corpus, vita careat.

34. Ex hac hiſtorica narratione multa deduces memoratu digna, & quæ offuſas Adverſariorum tenebras, nubeſque diſcutere facile poſſunt. Primò certum eſt cauſam trium Capitulorum nil ad fidem ſpectaſſe: errores enim Theodori, Theodoreti, & Ibæ omnes Catholici adverſabantur, abominabanturque: lis tantum erat de perſonis; hæc verò quæſtio facti, & non juris erat: nec enim hereſim facit calamus, ſed mens; etiam de mente illorum Epiſcoporum liquidò conſtabat: præſertim, quia jam illi ſuos abjuraverant errores, & in Leonis ſententiam, ſcriptaque palam flexerant, & de illis tribus capitibus, ſalva fide certatum eſſe teſtatur Sanctus Gregorius l. 3. Epiſt. 37. ubi ſic: *De illa Synodo, quæ Conſtantinopoli facta eſt, quæ à multis quinta vocatur, ſcire vos volo, quod in ea de perſonis tantummodò, non autem de fide aliquid geſtum eſt, & de perſonis, de quibus in Chalcedonenſi Concilio nihil continetur* & lib. 3. Epiſt. 2. *Poſtquam talis ſciſſura pro nulla re facta eſt, juſtum fuit, ut Sedes Apoſtolica curam gerat;* & Pelagius II. Epiſt. 2. ad Eliam vocat quæſtionem ſuperfluam, ideſt, nihil ad fidei articulos ſpectantem. Ipſumque probat experientia: nam, ut refert Author ſupra citatus pag. 27. *Damnationi trium Capitulorum in Synodo Conſtantinopolitana factæ totus ferè Occidens obluctatus eſt, coactiſque Conciliis particularibus, propugnatio triũ Capitulorum ſerio fuit ſuſcepta: & tamen nullus propter hoc fuit tanquam hæreticus accuſatus: ergo cauſa illa ad fidem non attinebat; deinde Africa, Illyricum, Hibernia, & totus ferè Occidens, ut fatetur Maymburgus cauſam triumCapitulorum contra quintam illam Synodum Conſtantinopolitanam amplexus eſt; idemque in AquileenſiConcilio definitum: nec alia ratione movebantur, quàm, quod crederent doctrinam quintæ Synodi, qua parte de tribus Capitulis agit, ſententiæ Romanĩ Pontificis adverſari, ſicque hujus potiùs authoritati, quam Synodo parendum eſſe: nec ullis artibus, perſuaſionibus, aut pœnis, nec millies etiam objecta Concilii authoritate moveri, flective potuerunt, ut Capitula illa tria damnarent, quam ſemel edocti illa poſtmodùm à Romanis Pontificibus pro bono pacis cedentibus in re ad fidẽ non ſpectante fuiſſe tandem reprobata.*

Digitized by Google

Et pro hac veritate citat Author Galliæ Vindicatæ Diuum Gregorium, Bedam, Platinam, quorum teſtimonia ibi videre potes.

35. Eſt ne igitur major authoritas Concilii, quàm Papæ? Præcipit Concilium, fideles, non conſentiente Papa, Concilio non conſentiunt, conſentiunt illico Papa conſentiente, & eſt major authoritas Concilii? minor Papæ? Quandiù Pontifex reſiſtit, bello turbatur Eccleſia, nec Concilium poteſt ſedare motus; Pontifex aſſenſu, nutuque ſerenat omnia; & non eſt major Pontificis, quàm Concilii poteſtas? Fluctibus, & vento turbata navi, Apoſtoli deſudant, & tempeſtas gliſcit, imperat Chriſtus mari, & vento, facta eſt tranquillitas magna, & dicentur Apoſtoli plus poteſtatis habere, quàm Chriſtus? Apoſtolorum Succeſſores Epiſcopi turbata navi Eccleſiæ, fluctus non placant, Pontifex Chriſti Vicarius imperat turbolento mari, & ventorum turbini, factaque eſt tranquillitas magna, & dicetur Concilium Epiſcoporum plus poteſtatis habere, quàm Pontifex?

36. Secundo ex hac eadem hiſtoria obſervandum diligenter eſt hoc quintum Concilium Conſtantinopolitanum non potuiſſe prius pro Oecumenico haberi, quàm à Vigilio, aut aliis Pontificibus Romanis fuerit confirmatum, & ideò cum Vigilius, quod tria capita ſpectat, confirmare illud renuerit, ſequitur nihil roboris, viriumque fuiſſe Concilio; hinc Patres tanto conatu, & viribus egerunt, ut ei Vigilius intereſſet, legatur iſtius Epiſtola ad Synodum Epiſt. 8. inter Epiſtolas Patrum. Sic enim ait: *Popoſcit veſtra Fraternitas, & nobis præſidentibus de tribus Capitulis, ex quibus quæſtio nata eſt, conferatur, & finis quæſtioni ipſi Deo placitus, & convenienter iis, quæ à quatuor Sanctis Conciliis, definita ſunt, imponatur; quibus ita dictis poſtulationibus annuimus, ut de tribus Capitulis facta regulari conventu, ſervata æquitate, & mediis Sanctis Euangeliis collationem cum unitis fratribus habeamus, & finis detur placitus Deo.* Idcircò etiam idem Concilium collatione 8. ante ſententiam definitivam, ut robur haberet; hæc præfati ſunt Patres: *Quia contigit Vigilium religioſiſſimum omnibus intereſſe, quæ in tribus Capitulis annotata ſunt, & tamen ſcriptis, quàm ſine ſcriptis in Concilio convenire &c.* Imò ipſe Mænas Patriarcha Conſtantinopolitanus; teſte Facundo Africæ Epiſcopo, pro defenſione cap. 2. & 4. nunquam Imperatoris edicto contra tria capitula voluit aſſentiri, niſi accepto juramento nullam fore ſubſcriptionem, ſi Pontifex reclamaſſet. Deinde Sanctus Gregorius Magnus in ſuis Epiſtolis ad Epiſcopos Iſtriæ, & Illyrici in cauſa Capitulorum ſcriptis id ipſum oſtendit, laudatque ibi multa Leonis Magni teſtimonia, qui Canonem 28. Concilii Chalcedonenſis Patriarchæ Conſtantinopolitano ſecundas deferentis aboleri voluit, nulliuſque momenti eſſe, quia invita Sede Romana Canon ille conceptus, editusque fuit; quæ autem in Concilio etiam generali, invita Sede Romana decernuntur, nullius ponderis eſſe conſtat. Audi Leonem ad Pulcheriam Auguſtam. *Conſenſiones verò Epiſcoporum, Sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes unita nobiſcum noſtræ fidei puritate in irritum mittimus, & per authoritatem Beati Petri Apoſtoli generali prorſus definitione caſſamus.* Oportet ergo majorem eſſe Romani Pontificis authoritatem, quàm Concilii, quandoquidem Generalium etiam Conciliorum Decreta Pontificis Romani authoritate irritantur, caſſanturque.

37. Dices. Oportuit Vigilium in uno ex duobus erraſſe, vel contradicendo Concilio Chalcedonenſi, ut fecit, quando ſexto poſt exilium menſe tria Capitula obliterari voluit, dicendo Pontificia Epiſtola Decretali ſic: *Quæ verò aut à me, aut ab aliis ad defenſionem prædictorum trium Capitulorum facta ſunt, præſentis hujus ſcripti noſtri definitione evacuamus.* Vel opponendo ſe Decretis Concilii Conſtantinopolitani; ut ſupra vidimus, conſtitutum de tribus Capitibus propugnando, ergo ab uno ex duobus liber ſcopulis non evadit. Reſp. in primis hoc jaculum in jaculantem infeliciter, validèque retorqueri: nam Adver-

verſarius fatetur Concilium Oecumenicum errare nullo modo poſſe; debet ergo explicare, quo pacto unum ex illis Univerſalibus Conciliis non erraverit, reprobante uno id, quod alterum comprobaverat. Reſpondet id non errori, ſed tempori, diverſiſque rerum circumvantiis vertendum: cauſa quippe trium capitum, fidei articulus non erat; proindeque tempore Concilii Chalcedonenſis, ex definitione, approbationeque trium capitum, nullum inconveniens, damnumque emergebat; imò quædam in filios reſipiſcentes Eccleſiæ benignæ Matris clementia, & ſpes revertendi in aliis, qui forte in ſimiles errores collaberentur: gliſcit enim deſperatione flagitium: at tempore Concilii Conſtantinopolitani; multi ſumebant ſcandalum, quòd Epiſtola Ibæ plena blaſphemiis, & doctrina Theodoreti, quæ redolebant hæreſin Neſtorianam, non fuiſſent à Concilio expreſsè damnatæ, proſcriptique eorum errorum ſeminatores; ac inde ſaltem minùs docti eruebant Concilium Neſtorianis favere; ex quo bellum inter Catholicos ingruebat; aliis defendentibus, aliis verò damnantibus trium illorum capitum diſpoſitionem cum non parvo pernicioſi ſchiſmatis periculo; ut ergo his malis occurreret Eccleſia, coacto Concilio Conſtantinopolitano, tria illa capita malorum omnium fomitem, radicemque reprobavit. Hoc ergo reſponde Pontificis variæ pro diverſis circumſtantiis diſpoſitioni: cum hoc diſcrimine, quòd quandiù Pontifex non approbavit damnationem capitum à Concilio factam, repugnabant fideles, authoritate ſecundi Cōcilii non obſtante: quando autem Pontifex approbavit prædictam trium capitum damnationem; non obſtante prioris Concilii authoritate, ſubito Catholici omnes Pontifici acquievere? Non eſt hoc plus venerari Pontificem, quam Concilium? Non eſt hoc minus habere poteſtatem, authoritatemque Concilium, quàm Pontificem?

38. Unde ex præjacto argumento duo contra Adverſarium certiſſimè colliguntur. Primum non erraſſe Vigilium, cum fecit idem, quod faciendo Concilia non errarunt. Secundum majorem eſſe Pontificis, quàm Concilii Generalis authoritatem: ſiquidem, quādo Pontifex prioris Concilii diſpoſitioni adhæſerat, Catholici reſiſtebant: bellumque erat, atque diſcordia contra eos, qui non adhærebant Pontifici; quando autem paci cedens, damnationem à poſteriore Concilio factam Pontifex approbavit; illico fideles obtenta pace ſiluere. Imo numquam Eccleſia Catholica damnationem reciperet, ſi Pontifices Romani in ea priori diſpoſitione perſtaret; ſchiſma eſſet, & fatale in Eccleſia bellum. Quis ergo, ſi cœcus non eſt, in hoc non videat, Pontificis, quàm Conciliorum majorem eſſe authoritatem?

39. Vides ergo quàm infeliciter finierit Maymburgus bellum, quod falsò putaverat feliciter inchoaſſe: ſed, fuit, inquit, per Concilium Pontifex damnatus, in carcerem conjectus, in exilium amandatus. Quid inde? Probare ne intendis jus ab injuria. Proba ergo Pilatum, Scribaſque Judæos fuiſſe Chriſto vero Deo majores, qui Chriſtum Sanctiſſimum, & innocentiſſimum iniquè, ſuperbèque proſcripſère, ac ignominioſa Crucis morte damnarunt. Vis ne, tractetur ſic Chriſti Vicarius, ſicut Chriſtum tractavere Judæi; circa Vigilium vide Amicum de fide, Diſp. 7. ſect. 1. num. 44.

SECTIO III.

Exploditur aliud argumentum objectum à Maymburgo ex facto Honorii.

40. JAm alibi Diſcept. 6. ſect. 12. num. 179. Honorium propugnavimus, ſed quia videmus adhuc illum à Maymburgo Tract. hiſtor. c. 18. primæ edit. fol. 155. & cap. 12. fol. 118. abſque ullo fundamento impeti; juvat hic iniquum audacis calumniæ jaculū apertæ veritatis clypeo longiùs repellere. Adſcribunt Honorio hæreſin Monotholiſmi, hoc eſt, in Chriſto ſolum eſſe unam operationem, idque non pauci decepti Catholici ex antiquis, quos Ma-

Maymburgus potiùs, quàm apertam, manifeſtiſſimamque veritatem amplecti voluit. Sed quo fundamento, qua ratione ducti? Deus immortalis! oſtendunt literas Honorii: atqui literæ illæ, quas ipſi proferunt, nullam illius hæreſis umbram, nullum veſtigium, tam pernicioſæ labis indigitant; ſed potius oppoſitam illi hæreſi fidem declarant: quo pacto ergo Monothelita Honorius dicendus eſt? Numquid inanibus oblatrantium vocibus, non clamoribus veritatis credendum? Sergio ſcribit Honorius, ut ſuo loco vidimus, in Chriſto duas eſſe Naturas, & quamlibet ſuam habere propriam operationem; & eſt Monothelita Honorius? cùm is tantùm ſit Monothelita, qui unicam tantum in Chriſto operationem admittit.

41. At urget Maymburgus. Honorius I. in Sexta Oecumenica Synodo hæreſis Monothelitarum accuſatus, damnatuſque eſt: ergo poteſt Pontifex errare, & Concilium, tanquam Judex Superior, illum judicare. Quod ſi dicas corruptam eſſe à Græcis Synodum Sextam, & Honorium I. culpæ eſſe expertem, malè verò à Patribus fuiſſe intellectum; Quid vero, rogo, dices ad ſeptimæ, & octavæ Synodorum, Synod. 8. Act. 7. Leo II. Epiſt. 2. ad Epiſc. Hiſp. & Epiſt. 4. Niceph. Epiſt. 3. ad Leonem III. Tharaſ. Epiſt. ad Summum Sacerdotem Antiochenum, Beda de nat. rer. cap. 67. videatur Regale Sacerdotium fol. 546. ad Adriani, Leonis, Agathonis, Nicephori, Tharaſii, Theodori, Bedæ, & aliorum Patrum teſtimonia aſſerentiũ illum fuiſſe talis criminis reum. At male Patres Honorium ſunt interpretati. Eſto; Saltem ergo crediderunt poſſe Põtificem errare: niſi enim id crederent, numquam eos erraſſe dicerent: fuit ergo omnium eorum Patrum ſententia, & Pontifices errori eſſe obnoxios, & Concilii judicio ſubjacere; & qui contrarium docent, ſententiæ, doctrinæque Conciliorum adverſantur. Huc uſque prædictus Adverſarius, quem meritò duplicis erroris hîc inſimulat Author Galliæ Vindicatæ Diſſert. 3. §. 1. pag. 35. Primus illius error, ſeu inconſiderantia eſt, quod juris quæſtionem cum facti quæſtione confuderit. Secundus, quod ſententiam privati hominis, & Pontificis agentis munus Magiſtri communis pro tota Eccleſia non diſtinxerit. Iacit ergo tela, incerto, & ignoto ſcopo, & vult ſcopum veritatis attingere. Unde ſic ego arguo; ſi Honorius erravit ad Sergium, ſic & ſcribendo privata Epiſtola, nonnè facti error fuit: quomodo definiebat ex Oraculo, qui tunc ſe remittebat ad futurum definitionis peragendæ oraculum: cum ante definitionem præſtandam prædefinitionem præſtabat? Suſpendebat uſum vocis pro diſturbatione cavenda, interim dum ab Eccleſia non definitur, & jam definiebat? Quis hoc ſanæ mentis homo affirmet? poteſt ergo Pontifex, ut privatus homo, errare: hoc non inficiamur: ſed quid ad noſtræ quæſtionis ſtatum? in qua ſolum aſſerimus errare non poſſe Pontificem, actiones Pontificis pro tota Eccleſia exercentem publico, & non privato magiſterio: Nunquid omnes actiones Regis, Regis ſunt actiones; Numquid Deus promiſit infallibilitatem perſonæ, & non potius officio, & publico pro tota Eccleſia magiſterio? privati hominis error Eccleſiæ non nocet; publici verò, maximè noceret; ideò qui promiſit, divinoque oraculo firmavit, nunquam eſſe Petri Eccleſiam convellendam, non illud primum, ſed hoc ſecundum ſpectabat.

42. Demus ergo, quòd erraſſet Honorius, ut perſona particularis, & privatus homo (non enim quidquid privato calamo ſcribit Pontifex, oraculum eſt) quid ad noſtram facit quæſtionem? Demus deinde, quòd Honorius in præfata facti quæſtione deficeret, unde colligit Maymburgus emendari debere à Concilio, tanquam Judice Superiori; non poſſet etiam in ſimili facti quæſtione labi Concilio: id fatetur Maymburgus: quis ergo illud Superior emendabit, corrigetque? dicet, ab alio futuro Conciliũ? & ſi hoc etiam errabit; quod quidem errare poſſe non negat prædictus Author, cum Synodus una alteram authoritate non præſtet: à quo ergo corrigi poſſet? Dicet: à Concilio Summo Pontifice præmunito. Benequidem

ſed jam ipſe deſerit quæſtionem, qua intendit, Concilium, ut à Papa diſtinctum, ſupra Papam eſſe. Præterea in hoc jam conceditur, non Concilio, ſed Pontifici terminationem cauſæ competere. Errat ergo hic hiſtoricus, dum ex hoc infert Concilii, quàm Pontificis præſtantiorem eſſe authoritatem, cùm inde majorem eſſe Pontificis, quàm Concilii authoritatem colligere deberet.

43. Ex quo vides hunc Authorem conſequutionem certè fallacem, lubricamque ex malè intellecta doctrina Patrum, Conciliorumque educere: dum infert ex illo Conciliorum, Patrumque judicio Pontificem Concilio ſubjacere: nam Honorius in ea Epiſtola ad Sergiū nihil ex Cathedra definivit, ut probatum eſt: Patres illum erraſſe non crederent, ſi Pontifex definiſſet, ut Magiſter Eccleſiæ; nec ſic eos credidiſſe probat, nec unquam probare poſſet Maymburgus; ſed nec ſi Pontifex erraſſet, ut privatus, à ſolo Concilio ſine Pontificis aſſiſtentia factum illud corrigi poſſet: ſiquidem ultima terminatio cauſæ non pertinet ad Concilium, quod, ut probatum eſt, & concedit Adverſarius, errare poteſt, ſed ad Papam, ſine quo etiam à generali Concilio nihil fit, quod habeat firmitatem, ut Sacri Canones clamant; ergo qui fieri poteſt, ut Pontifex emendetur, corrigaturque à Concilio, tanquam à Judice Superiore, cùm Concilium nihil poſſit ſine Pontifice agere, firmo, & irreformabili judicio; eritne Superior Pontifice, qui nihil ſtabile ſine Pontifice facere poteſt?

44. Et quidem Sextam Synodum hæreſis damnantem Honorium, Græcorum fraude corruptam eſſe, nec ipſe Maymburgus negat, ut idem ſupponit in argumento à ſe facto; nec id mirum apud Græcos; nam & Acta Quintæ Synodi infecerant, teſtibus Patribus Act. 12. & 14. Sextæ Synodi, & ſeſs. 8. gloriatur Macharius Archiepiſcopus Antiochenus Patrum ſcripta, ut ſuis opportunum videbatur, aptata à ſe eſſe; pro ut refert ex Authoribus antiquis Author Galliæ Vindicatæ Diſsertat. 3. §. 1. pag. 36. Sanctus etiam Gregorius lib. 5. Epiſt. 15. ad Narſem Concilia Chalcedonenſe, & Epheſinū fatetur eadem fraude fœdata, idemque Sanctus Leo Ep. 81. ad Palæſtinos, & Anaſtaſius in præfat. in 8. Synodum: eadem eſt quærela Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem; & quidem Græcorum fallaciæ, mendacia que omnibus nota. Quid ergo nouum eſt Græcos hac arte inſtructos, deinde ea, qua ſe jactant, ingenii vanitate, qua gloriantur omnia ſe poſſe mutare, cœlum in terram, terram in cœlum ingenii ſui dexteritate transferendo. Hanc Græcorum corruptionem manifeſtiſſimè pandit Synodalis illa Agathonis Epiſtola, quam Patres Sextæ Synodi ſummis laudibus extulerunt Act. 12. & 14. ubi cum de hæreſi Monothelitarum diſputaret, *negat Romanam Eccleſiam juxta Chriſti promiſſionem à vera fide unquam deflexiſſe, ſed aſſerit ſuos prædeceſſores, ſemper hæreſibus reſtitiſſe, & fratres in fide confirmaſſe*. Quid, ſi hæreticus Monothelita foret Honorius, auderet Agatho illa ſic eorum Patribus proferre? Patres illi facto Honorii non improbarent? non arguerent mendacii memoria recentis facti Honorii, ſi illud fuiſset; non exciperent riſu, potiùs, quàm encomio? Quis non rideret Salomonem (ut citati Authoris utar exemplo) ſi in publicis Regni comitiis diceret nullum è ſua, Judæque familia homicidio, & adulterio obſtrictum fuiſse, cum veſtigia fœdari thalami, calentis Uriæ ſanguinis omnium oculos adhuc implerent. Nonne mendax foret Agatho, imo & impudens apertum proferens mendacium coram Patribus? prudentes, & veri Præſules forent Patres, qui non ſolum laudarent, ſed applauderent mentienti? illos audi clamantes *Petrum in Agathone locutum eſſe*.

45. Præterea, ſi verum eſt Honorium hæreſis damnatum eſse ab illis Patribus, habita reverentia tantorum Antiſtitum, dico, nec majus delictum imputari, nec iniquior ſententia eſse potuit. Honorium hæreticum pronuntiare? Honorium anathemate percellere? crimen horribile, pœna atrociſſima ſine ulla teſtium productione, ſed tantum ex una ipſius Epiſtola; ex qua illius declaratur innocentia, & nec ulla levis

um-

umbra culpæ poteſt deduci; in ea Epiſtola, à Patribus, ut dicunt, lecta, doctrinâ ſana, veraque de duplici Chriſti natura, unaquâque cum ſua operatione continetur, & ex eadem dumtaxat Epiſtola inſimularent PP. Honorium Monotheliſmi, quod eſt hæreſis de duplici natura, cum unica tantum operatione? in ea met Epiſtola prudentiſſimè monet Honorius, ut non utantur circa Incarnationis Myſterium vocibus in Eccleſia tunc non uſitatis, donec præſcribantur ab Eccleſia; & proſcribitur à Patribus, tamquam deſerens, contemnenſque Eccleſiam? Qui dicit in Chriſto humanam operationem, & divinam ſemper fuiſſe concordes, & non, ſicut in nobis, repugnantes, duplicem in Chriſto operationem negare cenſebitur. Si adhuc in Eccleſia non erat aſſignatus, præſcriptuſque modus loquendi, erit hæreticus exiſtimandus, qui declarat doctrinam Catholicam, & ſuſpendit modum loquendi, qui ſaltem rudibus eſſe poſſet erroris occaſio? Nunquid hæreticus putandus Hieronymus, Epiſtola ad Damaſum octava, qui dum non erat deciſum ab Eccleſia, quid, nomen Hypoſtaſis ſignificaret, monet, ut tres eſſe Perſonas in una Divina natura credatur; & interim abſtineatur voce trium Hypoſtaſum? Nunquid hæreticus cenſendus Auguſtinus, Epiſt. 174. qui docuit credendum Filium Patri conſubſtantialem eſſe, & interim dum ab Eccleſia non determinetur, quid vox homuſij ad ſignificet, illa voce abſtinendũ eſſe? Hæc culpa, quæ Hieronymum, Auguſtinumque non fecit hæreticos, hæreticum faciet Honorium? Neſtorium, Theodorum, Mopweſtenum, Theodoretum, alioſque Sacri illi Antiſtites longo examine, matura conſideratione, admiſſis defenſoribus, & tandem invitis, & ferè extortis, & cum geminulatis ſententiis judicarunt, damnaruntque & ſolum Romanum Pontificem, (quod in viliſſimum quemque hominem minimè facerent) in conſulto quidem, cauſa non examinata, non exploratis teſtibus indefenſum, & ſolum ex una Epiſtola; ex qua nihil contra fidem deducitur, judicarent, damnarent, anathema dicerent? Id certè vel ſummam in eis Patribus imperitiam, ignorantiamque, vel crudeliſſimum filiorum in Patrem odium, invidiamque demonſtraret: ergo vel illa Honorii Pontificis Romani damnatio à Patribus facta commentum, figmentumque hæreticorum perduellium fuiſse putandum eſt; vel Patres iniquiſſimos, ignorantiſſimoſque fuiſse. Quis non potius de perduellium Græcorum arte fallaciam, quàm de tot, tamque Religioſis, ſapientibuſque Patribus temeritatem, ignorantiam, invidiamque præſumet?

46. Sed dices: Honorius cum Sergio communicabat; imò & illi ſcripſerat, ſe cum eo ſentire, ſibique probari, quæ Sergius propoſuerat: ergo ex hoc capite meritò pro hæretico habitus eſt. Reſp. eo tempore Sergium fucata Religione Catholicum apparere; hæreſemque ipſius latere; nec illam Pontifici propoſuerat, ſed ſolum modum loquendi ab aliis cum non parva fidelium diſturbatione introductum referebat, remediumque poſtulabat pro pace Eccleſiæ, cujus legitimum, obedientemque filium ſe externa facie profitebatur; & ideo tunc cæteri fideles Sergium, Agnum, non lupum credendo, cum eo communicabant. Quis ergo dicat Hæreticum eum, qui Catholico bona fide credito ſe immiſcet? Hæreticus ne Baſilius vir alioquin ſevera pietate cum Euſtachio Epiſcopo Ariano occulto, & externa facie Catholico communicare viſus? Hæreticus Chryſoſtomus, cum Origeniſtis, dum illorum detecta lues non erat, communicans? Hæreticus Innocentius Pelagium amicè tractans, quòd videlicet pietate, ac Religione, quas ipſe ſimulabat, captus eſset? Hæreticus eſt dicendus, qui amplectitur fidem? Irreligioſus, qui Religione captus, eum diligit, quem Religioſum eſse putat? Ecce iſta eſt hæreſis Honorii, dum videns illum Catholicum apparere, in conſortium, ſocietatemque admittit; nonnè temerarius foret Honorius, ſi dum videt Sergium Catholicum, tanquam Hæreticum reſpueret?

47. Urget adhuc Maymburgus loco citato. Honorius Sergio Monothelitæ

aſſentiri ſe dicit: ergo & ipſe hæreticus Monothelita eſt. Sed vide iſtius hominis audaciam, & irreverentiam contra Supremum caput Eccleſiæ. Cur non explorat prius, & accuratiùs rimatur, in quo Sergio conſentiat Honorius? Conſentire cum hæretico, ſed non in hæreſi; verùm in aliqua veritate, non eſt hæretico aſſentire,& hæreticum eſſe: an ſi conſentias cum Luthero in Trinitatis Myſterio credendo, quod ipſe non negat, hæreticus es? quo pacto igitur, Maymburge, qua ratione, qua ſcientia, imò, & qua conſcientia famam proſcindis Honorii, illum Monotheliſmi incuſando, quòd Monotheliſta ſit, conſentiens cum Sergio Monothelita, cum non probas, nec unquam probare poteris, Honorium ſentire cùm Sergio in Monotheliſmo? Vide diſcrimen Honorium inter, & Sergium, ut obſervavit D.Tho. 3.par.q.18.ar.1, quod Sergius, & Monothelitæ in Chriſto dicerent ſolũ Deum operari, & humanitatem pati, in omnibus ſemper eſſe motam, & in nullo agere. An ne profert hanc blaſphemiam, eructatque hoc venenum,qui dicit,ſicut dixit Honorius in Chriſto unum eſſe operatorem, ideſt, unam tantum eſſe perſonam operantem, & non duas, ſicuti ſomniabat Neſtorius; at duas eſſe operatrices naturas; itaut Divina, quæ Dei ſunt, operetur, humana, quæ hominis; ſicque humanam naturam non pati tantum, ſed etiam operari? quæ igitur conſenſio operari ad non operari, lucis ad tenebras, Chriſti ab Bellial?

48. Opponit Adverſarius: Cur ergo Monothelitæ Honorii Societate, & communione gloriabantur. Reſp. qui utitur hoc argumento;poſſet etiam velle probare Matronam aliàs pudicam, & honeſtam meretricem eſſe, ex eo, quod meretrix aliqua per effrontem audaciam diceret conſociam habere ſuç perditæ vitæ Matronam illam nobilem, & pudicam. Poſſet etiam velle probare de aliquo Catholico eſſe Calvinum, qui ſæpe gloriatur per ſummam impudentiam Catholicum ſecum conſentire. Rimari prius debuerat hic Author, an vana eſſet illa gloriatio: annervoſo. connixa fundamento; & credo:ſi ſanæ mentis eſſet, erubeſceret, ſanè his tenuiſſimas aranearum telas obtexere; & non potius veræ doctrinæ, & Catholicis, probatiſſimiſque authoribus adſtipulari. Contemnat igitur Author Catholicus hæreticorum nænias, & authoritatem revereatur Sancti Maximi apud Baronium in Append.tom.8.acriter defendentis Honorium, multiſque laudibus illum exornantis; cujus efficacibus dictis, & clariſſimis rationibus tandem victus Pyrrhus manus dedit, & calumniam eſſe contra Honorium confeſſus eſt. Credat etiam Joanni Papæ IV. ſcribenti ad Imperatorem Conſtantinum Heraclii filium, Epiſtolas Honorii Catholicas eſſe, nec ulla hæreſi inquinatas, & fraude Monothelitarum in alienos, perverſoſque ſenſus expoſitas. De quo vide vetuſtos authores, eo tempore ſcribentes apud Authorem Galliæ Vindicatæ Diſſert. 3. §. 1. pag. 40. ſcriberetne Joannes Conſtantinopolim, & Imperatori, niſi certus veritatis? Aliàs timere poſſet, ne Honorii Epiſtolis, palam editis apertè convinceretur falſitatis; ſi quicquam labis haberent literæ Honorii anno 649. Credat etiam Synodo Lateranenſi anno 680.ſub Martino Papa I. & Romano ſub Agathone, ubi accuratè de hæreſi Monothelitarum à Patribus actum, damnatique nominatim Theodorus, Cyrus,Sergius, Pyrrus, & Paulus, nulla ibi Honorii facta mentione. Deinde Photius, Zonara, & Paulus Diaconus apud Authorem citatum enumerant in Sexta Synodo damnatos, & nullam habent Honorii mentionem. Miror igitur, quòd Adverſarius, qui Catholicum ſe eſſe profitetur, tam dubiis, fragilibuſque fundamentis ex arena factis nitatur, ad convellendam, ac labefactandam veritatem toties in Sacris Canonibus definitam, Pontificem Romanum non poſſe ab ullo Concilio judicari, ut conſtat ex ſupradictis 1. & ſeq. ubi eos Canones allegavimus, & Sanctorum Patrum, Doctorumque authoritate comprobavimus.

49. Ex his etiam manet jugulata ſatis audacia Dupini Pariſienſis de Antiqua Eccleſiæ diſciplina Diſſert. 5. p. 349. ubi allegat verba Sextæ Synodi pag.944. quæ

quæ leguntur ſic: *Retractantes Dogmaticas Epiſtolas, quæ tanquam à Sergio ſcriptæ ſunt tàm ad Cyrum, quam ad Honorium quondam Papam antiquæ Romæ; ſimiliter & Epiſtolam ab illo, ideſt, Honorio, reſcriptam ad eundem Sergium; haſque invenientes alienas exiſtere ab Apoſtolicis Dogmatibus, & à Definitionibus Sanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum; ſequi verò falſas doctrinas hæreticorum eas omnimodo abiicimus.* Et poſtea ſubjungitur. *Cum his verò ſimul proiici à vultu Dei, Eccleſia Catholica, ſimulque anathematizari prævidimus, & Honorium, qui fuerat Papa Antiquæ Romæ, eo quod invenimus, per ſcripta, quæ ab eo facta ſunt ad Sergium, quia in omnibus mentem Sergii ſecutus eſt, & impia dogmata confirmavit.* Et p.972. Epiſtolæ Honorii lectæ in Concilio, & ita dicitur. *Non ſecus, ac cætera chartæ, & literæ Hæreticorum igni addicuntur, eo quod*, inquiunt Patres, *cognovimus in unam ipſam, eandemque impietatem tendere, cum ſcriptis Hæreticorum*, & Act. 8. pag. 1024. ait Synodus Dœmonem per Organa ſua, ideſt, Theodorum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Honorium, & Cyrum, atque Marianum, & Stephanum Eccleſiæ continenter erroris ſcandala excitare, unius voluntatis, & operationis in duabus naturis Chriſti hæreſim in populum ſpargendo.

50. Ex his ergo Sacri Concilii monumentis, quæ putat citatus Doctor Pariſienſis, nulla vi poſſe convelli, profert, quaſi ex Cathedra ſua, *Romanos Pontifices etiam ut Pontifices, atque ut ajunt, ex Cathedra loquentes, erroribus obnoxios eſſe poſſe: nam exemplis propoſitis cernere eſt eos conſultos univerſam Eccleſiam docentes literis, & ſcriptis publicis animo definiendi emiſſis à veritate, & fide deviaſſe.* Ego in primis, ſupponendo, illud Concilium vitiatum non eſſe, quod tamen ſupra ex evidentibus conjecturis, & ex authoritate ſapientiſſimorum hominum vitiatum fuiſſe arte perduellium hæreticorum latè probavimus, quæro ex Dupino, an potuerit errare Concilium ex falſa peſſimorum teſtium depoſitione, ex literis vitiatis, iniquave accuſatione fucatæ religionis colore? Si doctus eſt, & veritatis amans, hoc non denegabit: nam perſonam accuſatam crimen illud patraſſe non fuit ab Eccleſia definitum, nec manſit articulus fidei; ergo licet erraret circa perſonam, non obſtaret infallibili oraculo Concilii, quod ſolum definivit jus, non factum: quod verò erraverit in hoc facto à ſe non definito, conſtat ex Authoribus ſupra à me citatis; imò ex ipſis verbis Concilii: nam dicit Epiſtolam Honorii continere errorem de una tantum operatione in Chriſto; quod evidenter eſt falſum; cum Epiſtola Honorii expreſsè habeat; *in Chriſto non poſſe dici duos operatores; prout duo operatores duas in Chriſto eſſe perſonas ſignificat, ſed in una tantùm perſona duas eſſe naturas operatrices, humanam operantem, quæ hominis ſunt, Divinam, quæ ſunt Dei.* In Concilio autem dicitur hanc Epiſtolam alienam exiſtere ab Apoſtolicis dogmatibus, & à definitionibus Conciliorum, quod quidem eſt manifeſtè falſum, cùm in Chriſto in vna tantùm perſona duas eſſe naturas operatrices, humanam operantem ea, quæ ſunt, hominis, Divinam, quæ Dei ſunt, ſit dogma fidei, quod Dogmatibus fidei repugnare nequit, fides enim contra fidem non eſt; ſed Concilio legitimo, & unito capiti ſuo Romano Pontifici propter aſſiſtentiam infallibilem Spiritus Sancti, non poteſt errare circa jus; ergo fuit error facti, vel ex falſa informatione, vel ex Epiſtola vitiata per aliquem hæreticum, ſive malevolum Catholicum: neque enim Chriſtus promiſit infallibilem aſſiſtentiam teſtibus, & accuſatoribus, ne falſum deponerent: Unde, prout habet recepta Theologorum doctrina, ſententia Concilii, & Summi Pontificis ordinariè non intendit definire facti quæſtionem, niſi id expreſſitiſſimis verbis exprimat, & niſi ſine facto ipſo exiſtente jus definiri non poſſit: Unde Univerſalis Concilii ſententia, quoad hæreſim damnandam, eſt abſoluta, quo ad perſonas damnatas, eſt conditionata; quaſi ſic prodeat oraculum: Monotheliſmus abſolutè, hæreſis eſt: Si verò iſte, vel ille Monotheliſmum admiſit, Monothelita,

& hæ-

& hæreticus eſt: non erit autem, ſi non admiſit: imò ſi Concilium diceret: Honorius, de quo ſolum cognoſcimus ex hac fallibili quidem hominū fortè mendacium teſtificatione hæreticum extitiſſe; ſivè teſtes dicant verum, ſive falſum, eſt hæreticus; eſset vox Dœmonis, non verò Numinis oraculum: ergo ſi eam aliundè conſtet, perſonam illam Honorii crimen illud Monotheliſmi nō perpetraſse; ut euidenter conſtat ex ſupradictis, qui factum illud negat Honorio, authoritatem Concilii non evertit. Dupinus igitur, qui videtur ſolum in ſimplici rerum narratione verſatus, hos quidem ſubtiles Theologiæ neſcivit apices: & ideo in apertum ſeſe præcipitauit errorem.

51. Præterea quæro ex te Dupine, unde deduxeris illam audacem tuam, verè tuam concluſionem. *Romanos Pontifices, etiam ut Pontifices, atque, ut aiunt, ex Cathedra loquentes, erroribus obnoxios eſſe poſſe?* Definivit ne pro tota Eccleſia Honorius, dum privato calamo ad Sergium ſcribit? Quidquid Pontifex calamo ſcribit, oraculum ne eſt? Definit (ut jam ſupra dicebamus) qui monet Sergium ſuos moniturum, ut abſtineatur voce, duarum, vel unius operationis, interim, dum ab Eccleſia, quo ſit utendum vocabulo, maturiori conſideratione non definiat? quomodo jam definit, qui definitionem expectare jubet? Si ergo in hoc erravit Honorius, utique non definiens, non ex cathedra loquens erravit. Fallit ergo conſequentia tua: & falleris tu, talem conſecutionem falsò deducens.

At non erravit Honorius: imo prudentiùs, ſapientiùſque egit. Factum conſidera; & Pontificis mentem agnoſces. Sergius Patriarcha fucata Religione ſe Catholicum gerens, &, dum ejus non fuit detecta lues, tanquam ſanus communiter exiſtimatus, viderat, vel videre ſe ſimulaverat; diſcordantes illic Catholicos: quidam enim dicebant unā in Chriſto dici debere operationem, & non duas; quia inde deducebant duos operatores, duaſque perſonas, quod Neſtorianum eſt. Alii contendebant, unam dumtaxat in Chriſto operationem dici non poſſe: quia inde inferebant naturam humanam Chriſti in Divinam transfundi, convertique, in Chriſtoque humanitatis ſubſtantiam non remanere; prout in Conſecratione Euchariſtię nihil ſubſtantiæ panis creditur remanere. Quid tunc efficeret Pontifex, fidei propugnaculum, & Catholicæ Religionis ancora? diſſidentes relinqueret? diſcordes non pacaret? Adhæreret uni parti, cum alterius ruinæ periculo? Non hoc fecit, nec facere debuerat: ſed medium elegit pacandis fidelium diſcordiis aptum: quod certum fide erat, expoſuit, nimirum unam perſonam; & ſic jugulabat Neſtorianos, & duas naturas, quam libet ſuæ propriæ actionis operationē; & ſic decollabat Euthychianos, & Monothelitas, quorum primi unam tantum naturam, ſecundi unam tantum operationem in Chriſto eſſe aſtruebant. Quod dubium incertumque videbatur circa modum loquendi, jubet ſuſpendere, ut erroris evitetur occaſio; donec maturius exploretur, quid Eccleſia intelligat per vocabulum; Duos operatores, duas, vel unam operatricem: interim docet, ſi per duos operatores intelligant ipſi duas in Chriſto Perſonas operantes, omittant vocem, duos operatores: & ſi per duas operationes, intelligant duos operatores, ideſt, duas in Chriſto perſonas, abſtineant voce, duas operationes; ſi per unam tantum operationem, intelligant ita eſſe duas concordes, & inter ſe minimè repugnantes, divinam, ſcilicet, & humanam ſemper ita conformes, ut ambæ quodammodo una eſse videatur, quo pacto multæ fidelium animæ in anteſignana Eccleſia cor unum, & anima una dicebantur; quid novi, quid Dogmatibus fidei adverſum cenſeri debeat?

52. Ecce, quod fecit, ſapienterque expoſuit Honorius; in quo ergo erravit Honorius? Erravit veram fidem exponendo? Diſcordes animos prudenter, ſapienterque componendo? tollendo ſchiſmata, tumultuſque ſedando? erravit, ſuſpendendo uſum vocabuli eo tempore pernicioſa æquivocatione uſurpati; donec ab Eccleſia verbi lubrica æquivocatio tolleretur? Non erravit

Hie-

Hieronymus, Auguſtinus abſtinendo voce trium Hypoſtaſium, & vocabulo homuſii, donec, ut dicebamus, quid per Hypoſtaſin, quid per homuſium ſignificaretur, ab Eccleſia fuit determinatum, & præſcriptum: hoc faciendo non errarunt duo illa Eccleſiæ ſydera; idem faciendo Sol Eccleſiæ Honorius erravit? ſolum poteſt aſſerere Honorium turpiter erraſſe vel aliquis falsâ informatione inſtructus, quale in hac mera quæſtione de facto præſumi poteſt fuiſſe Concilium; vel aliquis malevolentia, invidiaque ductus, aut aliquo palpi ſtimulo actus, qualis videbitur aliquibus fuiſſe Dupinus.

53. At pergit Adverſarius. Leo II. Epiſtola ad Imperatorem Conſtantium, expreſsè anathematizat Honoriū, quod Eccleſiam prophana traditione maculatam permiſerit maculari; & ita etiam Conſtantinus in edicto: *Anathematizamus, qui novorum dogmatum auctores, & fautores ſunt, Theodorum, Sergium &c. atque etiam Honorium fautorem, authorem, & confirmatorem hæreſis &c.* Hæc tamen nihil habent momenti, ponderiſve: ſiquidem eo errore facti in ſupradicto Concilio dumtaxat innituntur; unde deſtructo, ſublatoque fundamento, argumenti moles corruat, neceſsè eſt. Et ideo lectiones Breviarii antiqui profecto Sancti Leonis; in quibus legebatur etiam Honorius à Sexta Synodo Monotheliſmi damnatus, correcta ſunt ab Eccleſia, quod veritate detecta, agnoverit Concilium in errore facti fundatum, & in multis circa facti quæſtiones per hæreticos, improboſque viros enormiter vitiatum. Cur ergo hic Adverſarius errori potiùs, quàm veritati poſtea, facta maturiori exploratione, adhæſit? plus quidem religioſè, Catholicæque ſe gereret; ſi diſrumpens tenues, fragileſque ſophiſmatum telas, Sacrum Romanæ, Apoſtolicæque Sedis oraculum veneraretur.

SECTIO IV.

Nimia cujuſdam Doctoris Pariſienſis libertas contra Sedis Apoſtolicæ auctoritatem ex malè intellecto facto Joannis 22. repellitur.

54. DE hac materia ſatis diximus in excuſanda Joannis 22. Pontificis Romani opinione, quam ipſe habuit, ut doctor privatus; quia tamen audacter invehitur quidam Pariſienſis Dupin contrà Sedis Apoſtolicæ authoritatem occaſione prædictæ opinionis, operæ pretium judicavi hîc nimiam illius hominis libertatem retundere. Sic enim ait diſſert. 5. de antiqua Eccleſiæ diſciplina. §. 3. pag. 353. *Ex his, & aliis, quæ huc afferri poſſent, teſtimoniis, conſtat Joannem 22. non tantum in eo errore fuiſſe, animas Sanctorum beatitudine non frui ante Judicii diem, ſed etiam nihil non molitum eſſe, ut errorem iſtum tota Eccleſia, & præcipuè Gallicana amplecteretur: atque ob eam rem Legatos à latere cum literis in Galliam miſiſſe: & fortè multos Gallos in eam ſententiam traxiſſet, niſi Facultatis noſtræ auctoritas obſtitiſſet. Habemus ergo in iſto Pontificatu exemplum, quo manifeſtè probatur Papam Romanum, etiam cum Eccleſiam docere intendit, errorem poſſe, tanquam fidei dogma proponere: ac proinde ruit Romani Pontificis ex cathedra loquentis, hoc eſt Eccleſiam docentis, infallibillitas.* Huc uſque Dupinus. Ut autem probet errorem illi Pontifici imputatum, plures congerit Hiſtoricos, & in primis Continuatorem Nangii ad annum 1333. ubi narrat hanc Joannis opinionem omnibus fuiſſe ſcandalum, aliquibus ſilentium, vel ob reverentiam, vel ob timorem, & quendam ex illuſtri Prædicatorum Religione zelo incenſum contra illum errorem Avinione, ubi Joannes erat, publicè prædicaſſe, & propterea in carcerem detruſum fuiſſe. Deinde miſiſſe Papam duos Theologiæ magiſtros, qui ſecum in illa doctrina ſentiebant, ut DD. Pariſienſes ad ſuam traherent ſententiam; ſed obluctantibus Gallis, Magiſtratu, & Rege; Papæ ſen-

ſententiam proſcriptam fuiſſe. Additque ex ſuo Dupinus miſſam à Rege fuiſſe Epiſtolam ad Papam; qua mandatur, ut ſententiam Pariſienſium teneat, quia melius ſcirent, quid deberet teneri, & credi in fide, quam Juriſtæ, aut alii Clerici. Et Papam, viſâ Gallorum repugnantiâ, petiiſſe per literas, ut liceret Baccalauriis, utranque opinionem tueri. Hiſque literis acceptis, ter congregata Facultas opinionem Joannis improbavit, vetuitque defendi. Citat deinde Petrum Alliacum Cameracenſem horum ferè occulatum teſtem; anno 1406. Joãnem Gerſonem in ſerm. de Paſchate dicentem falſam illam Joannis opinionem damnatam fuiſſe cum ſono buccinarum, vel tubarum coram Rege Philippo. Gobelinum Coſmodromii. ætat. 6. cap. 71. Longium in Chronicam Monaſterii Ciſtercienſis; ubi dicitur Joannem, antequam è vita migraret, opinionem, ſive errorem ſuum revocaſſe; cujus revocationis verba ſunt hæc. *Et ſi forſan in prædictis ſermonibus & collationibus aliqua diximus, quæ ſcripturæ ſacræ, quovis modo eſſent, vel viderentur obuja, ea revocamus expreſſè*.

55. Ego in primis veritatem, vel falſitatem hujus narrationis hîc ad trutinam non reduco ſed veram eſſe illis permitto; ea vero permiſſâ, quid hoc ad noſtram facit theſin? Num nos hanc agimus quæſtionem; poſſit ne Pontifex Romanus privatus doctor errare? videtur author iſte nec etiam quæſtionis terminos prælibare, nec fixum collimare Scopum; quid mirum, ab illo miſerè aberret? Quæſtio noſtra tantùm eſt, poſſit nè Pontifex Romanus errorem aliquem; pro tota Eccleſia authoritate Apoſtolica definire, itaut illo ſic errorem definiente, erret clavis Apoſtolica Petri, ſoli Romano Pontifici tradita? Huic Quæſtioni, errare non poſſe, reſpondemus. Hoc probat ſacra Scriptura, ſacri Canones, ſanctorumque Patrum validiſſima, expreſſiſſimaque teſtimonia: contra quæ prædictæ illorum hominum narrationes nihil evincunt. Prius probare debuerat Dupinus Joannem Pontificem Romanum errorem illum definiiſſe, quod ipſe non probat, nec unquam probare poterit; licet rem apertè veram, clariſſimamque veritatis lucem obſcuris ſophiſmatum nubeculis ipſe, atque ei ſimiles obvoluere moliantur. Quid juvat obtegere ſolem nube, quò negetur dies; ſi nubes ipſa, quanvis ſolem obducere videatur, non impediat diem clareſcere? obnubilare intendunt ſolem Pontificium nubeculæ iſtæ Adverſariorum; dies tamen veritatis hujus infallibilitatis Romani Pontificis ſemper inclareſcit. Imo quanto plus conantur adverſarii probare in Joanne Pontifice Romano maximam ad eam falſam ſententiam animi propenſionem, tanto evidentius in Romano Pontifice infallibilitatem declarant, nam ſi tantum Joannes procuravit, ut tota Eccleſia, & præſertim Gallicana illi ſuo adhæreret errori, cur non definivit? Quis ei ligavit manus? Quis retardavit? Quis eum à ſuo conatu compeſcuit? Certè non fuit impeditus ab humana ulla potentia, non à Gallis, non à Rege Philippo; nec à facultate illa Theologiæ Gallicanæ: non enim adeò ſtulta erat mente, adeo craſſa imbutus ignorantia, imperitiaque, ut crederet ab humano, fabillibilique Gallorum conſenſu fidei articulos pendere. Quãvis ergo maximè promptus ad definiendum, non definivit: quanvis efflagitaſſet, incitaſſetque vos ad illam, ut contenditis, ſententiam, non auſus eſt definire, nec ſi vellet, poſſet; quia Deus, ut ex ipſa ſcriptura ſacra pateſcit, ne pro tota erret Eccleſia, infallibiliter aſſiſtit.

56. Urget Adverſarius adducendo plures variorum Pontificum inter ſe diſſidentes definitiones, quarum unam falſam eſſe opportet: non enim duæ propoſitiones omnino oppoſitæ poſſunt eſſe ſimul veræ, ut demonſtrat Ariſtoteles. Duo hujus rei exempla refert ex Almaino in tract. de Authoritate Eccleſiæ, his verbis. *Secundò*, inquit, *Innocentius III. & Cæleſtinus determinaverunt contraria ſuper iſta propoſitione, uno conjugum ad hæreſin tranſeunte, alter, qui remanet in fide, poteſt ad ſecunda vota tranſire*. Determinatio Innocentii, quod non poteſt, ponitur in cap.

çap. *Quanto*, de divortiis. Determinatio Cæleſtini, ut dicit Gloſſa in eodem capite, olim in fine ponebatur in Decretalibus, de converſione conjugator. fine. Tertio pergit idem. Aliqui Pontifices ſtatuerunt contra Evangelium, ut Pelagius, qui fecit conſtitutionem, quod omnes Subdiaconi Siciliæ à ſuis uxoribus abſtinerent, quas in minoribus duxerant, ut ab officio ceſſarent, quam, quia erat iniqua, & contra Euangelium, retractavit Greg. I. ejus ſucceſſor, ut patet. 31. diſt. cap. *ante triennium*, ſi enim potuerit judicialiter ſtatuere contra Evangelium, ita & definire.

57. Ante reſponſionem ego non poſſum non admirari, vehementique dolore premi, quod ſint aliqui Catholici, qui dum proprio jure deberent quaslibet difficultatum inter ſacros Canones umbras, ſive intricatos nodos, qui diſſolvi, extricarique facillime queant, exſolvere; tantum abſit, ut eos nodos in favorem Sedis Apoſtolicæ ſolvere pro virili contendant, ut potius, hæreticorum more, difficultatem plus corroborare, quam enervare, extenuareque procurent; quaſi foret ipſis immenſa laus, propriique ingenii commendatio Romanæ gloriæ authoritatem deterere. Sed ipſos in adducenda Pontificum illorum contradictione, non legiſſe ſe, vel non intellexiſſe Canones illos manifeſtè conſtat. Inprimis in cap. *Quanto* cit. Innocentius duo præcipuè ponit. Primum id quod Evangelium aſſerit; ut patet ex verbis Innocentii ibi. *Si alter infidelium conjugum ad Fidem Catholicam convertatur; altero vel nullomodo, vel non ſine blaſphemia divini nominis, ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad ſecunda, ſi voluerit, vota tranſibit; quod ait Apoſtolus, ſi infidelis diſcedit, diſcedat, &c.* Secundùm ponit in verſiculo. *Si verò &c.* ibi. *Si verò alter fidelium conjugum vel labatur in hæreſim, vel tranſeat ad Gẽtilitatis errorem, non credimus, quod in hoc caſu is, qui relinquitur, vivente altero, poſſit ad ſecundas nuptias convolare, &c.* Itaque in primo dicit, diſcedente conjuge infideli, vel nolente habitare, niſi ſuadendo ad peccatum, conjux alter ad fidem converſus, poteſt cum alio nuptias contrahere. In ſecundo dicit: Si uterque eſt fidelis, uno diſcedente à fide, non poteſt, qui relinquitur, cum alio contrahere. Rationem diſcriminis aſſignat Pontifex, quòd primum matrimonium non fuit ita ratum, ut non potuerit diſſolvi. Secundum verò cùm ſit Sacramentum, eſt ratum ita, & ſtabile, ut poſtquam fuerit conſumatum, in nullo caſu diſſolvi poſſit. Cæleſtinus vero ita ait in cap. *Laudabilem*, de converſ. Conjugatorum in verſiculo: Hic Triburienſis ibi. *Hic Triburienſis Concilii regula contenti ſumus, aſſerentes, quod ſi in mortem ipſorum malitiosè fuerint machinatæ, licet earum ſtudio ad Fidem acceſſerint, nec tamen eis adhærere debent, nec ſunt, ſi adhæſerint, etiam tolerandi; cum tale damnum tali lucro Eccleſia compenſarè non vult &c.* Itaque Innocentius nihil ponit contrarium Cæleſtino; nam Innocentius ſolum dicit poſſe conjugem, qui ad fidem converſus eſt, ſi alter conjux diſcedat, vel velit permanere, ut diſſuadeat converſum ad fidem, tranſire quidẽ poſſe ad ſecundas nuptias, Cæleſtinus verò ponit impedimentũ ad ſecundas nuptias contrahendas cum alio., licet ſine convertendi illum ad fidem: quia non vult Eccleſia favere homicidiis etiam obtentu Religionis; & hoc eſt ſecundum Evangelium: *Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona*: ergo uterque Pontifex remiſſam diſpoſuit ſecundum Evangelium.

58. Unde quæro nunc ex Dupino, an Evangelium habeat in ſe contradictionem? Certò ſcio, cum Catholicus ſit, non habere, reſponſurum: quo pacto igitur illi duo Pontifices inter ſe contradictionem habeant, ſi rem Evangelicam ſine ulla contradictione ſequuntur; & ideo Innocentius prudenter dixit; licet quidam prædeceſſor noſter ſentiſſe aliter videatur non dixit: *Licet ſentiſſet, ſed licet ſentiſſe videatur, ſcilicet illis, qui illum male ſunt interpretati. Nec obſtat, quod Gloſſa d. cap. Laudabilem, dicat decretalem antiquam expreſsè oppoſitam fuiſſe diſpoſitioni Pontificis Innocentii;*

Digitized by Google

tii, & modo eſſe correctam; *quod jam probat poſſe Pontificem errare pro doctrina toti Eccleſiæ danda* nam potius probatur gloſsatorũ textum non intellexiſse, quã Pontificem erraſse: De quo vide Theologos, & Canoniſtas apud Aug. Barb. in collectan, ad lib. 3, Decretal. in d. cap, *Laudabilem*; qui omnes dicuntCeleſtinũ nihil illic de Fide definiiſſe, ſed tantùm poſuiſse impedimentum ad matrimonium cum illo infideli homicida etiam ob finem Religionis; quod potuit ponere Pontifex, & juſtiſſimè poſuit. Vides, ut adverſarius nihil probat?

59. Plus debile quidem, & inerme eſt ſecundum jaculum ex ſecũdo exemplo illorum duorum Pontificum videlicet Pelagii, qui fecit conſtitutionem unam, per quam Subdiaconi in Sicilia abſtineant ab uxoribus, vel ceſſent ab altari. Et Gregorii, qui prædictam conſtitutionem Pelagii, tanquam duram revocavit cap. *Ante triennium* diſt. 31. Can. 1. Ego in dubium non revoco Pelagii conſtitutionem à gregorio ſucceſſore fuiſſe revocatam; ſed quæro ex Dupino: quid facit hoc ad quæſtionem noſtram de infallibili Pontificis Romani circa res fidei definiendas authoritate? Quod Deus Legem Circuncilionis à ſe primò juſtè, ſanctèque conſtitutam, & leges alias ceremoniales veteris teſtamenti per novam Legem gratiæ revocaverit, quidquam de infallibili Dei authoritate derogavit? Anne Pelagius in ſua illa conſtitutione jus aliquod divinum violavit? nonne erat Sancta, & veneranda lex, quæ minus puros ab altari Sacro ſejungeret, & quæ juberet, ut Agnum immaculatum, quem in Cœlo virgines nivea pompa, candidiſque liliis, quòcunque ierit, ſequuntur, in terra etiam à nuptiis carnalibus liberi venerentur, colantque? Hanc eandem rationem, qua Pelagius ad ſuam illam cõſtitutionem ferendam fuerat ductus, idemmet Gregorius, qui dictam legem abrogaverat, approbavit in eod. cap. *Ante triennium*, ibi. *Cauſa verò hujus inſtitutionis munditia fuit Sacerdotalis, ut liberè cunctis diebus vitæ ſuæ orationi poſſint vacare*: *Si enim*, (*ut Paulus ait*) *ab uxoribus eſt ceſſandum, ut expeditius orationi vacemus, miniſtris utique altaris, quibus quotidiana neceſſitas orandi incumbit, nunquam conjugali officio vacare permittitur*. Idem dicitur cap. *Sacerdotibus*, diſt. 31. expreſſius cap. *Epiſcopos*, eadem diſt. deſumpto ex Concilio Chartag. 2. ibi. *Epiſcopos, præsbyteros, & Diaconos* (*ita ut placuit, & dicit ſacroſancti Antiſtites, aut Sacerdotes, aut levitas, vel qui ſacramentis divinis inſerviunt*) *continentes eſſe decet in omnibus*. Et cap. *Tenore debet* eadem diſtinc. ibi: *Tenere debet Eccleſia, ut omni modo Sacerdotes, & Levitæ cum uxoribus ſuis non miſceantur*: *quia miniſterii divini quotidianis neceſſitatibus occupantur &c.* Et cap. *cum in præterito*. diſt. 84. dicitur hoc fuiſſe traditum ab ipſo Sanctorum Apoſtolorum oraculo. ibi. *Cum in præterito Concilio* (Chartaginenſi 2.) *de continentiæ, & caſtitatis moderamine tractaretur, iſti tres gradus conſcriptione quadam caſtitati per conſecrationem annexi ſunt, Epiſcopos*, inquam, *præsbyteros, & Diaconos ita placuit*, (*ut condecet Sanctos Antiſtites, ac Dei Sacerdotes, nec non levitas, vel qui ſacramentis divinis inſerviunt*) *continentes eſſe in omnibus, quo poſſint ſimpliciter, quod à Domino poſtulant, impetrare*; *ut quod Apoſtoli docuerunt exemplo, & ipſa ſervavit Antiquitas, nos quoque cuſtodiamus. Ab univerſis Epiſcopis eſt dictum*; *Omnibus placet, ut Epiſcopi, Præsbyteri, & Diaconi, & qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes etiam ab uxoribus abſtineant &c.* Quis igitur iniquam judicet Pelagii conſtitutionem, tot juris Canonici fulcimentis munitã? Qui leges ſacroſanctas, ac jura ſanctiſſimorum Patrum, & Conciliorum ſervat, iniquus eſse putabitur? veritatem tot Patrum monumentis roboratam ſequens, errare dicendus eſt?

60. At dices. Cur ergo Gregorius illam conſtitutionem Pelagii, tanquam legem duram revocavit, ut conſtat ex d. cap. *Ante triennium* d. 31. ibi. *Ante triennium omnium Eccleſiarum Siciliæ Diaconi prohibiti fuerant, ut more Romanæ Eccleſiæ ſuis uxoribus nullatenus miſceantur. Quod mihi durum, atque incompetens videtur, &c.* Appellavit du-

ram:

ram? Ergò iniquam, & injuſtam appellavit? Chriſtus abrogavit legem Circuncisionis, quià dura, difficiliſque erat, & jugum, quod nec Patres ipſi antiqui portare poterant; ergò lex circuncisionis antè fuerat iniqua? Quis hoc dicet? Ante abrogationem lex illa Pelagii juſta erat, ex juſta cauſa, juſtoque fine conſtituta; poſteà verò ob humanæ fragilitatis, eam Legem obſervare non valentis cauſam, jam minùs congrua ex illis circumſtantiis denuò adjunctis videbatur; ideoque licut juſtè fuerat ex recto fine conſtituta, ità ex juſta etiam cauſa fuit à ſucceſſore revocata. Ex quo patet turpitèr erraſſe gloſſam, quæ Pelagii legem illam appellavit iniquam, & turpiùs Dupinum cum ſuo allegato Almaino dicentes eſſe contrà Evangelium; & patebit nullam indè fieri conſequentiam; qua inferunt, poſſe Pontificem definire falſum; qui contrà Evangelium conſtitutionem ediderat: falſiſſimum enim eſt talem legem eſſe contra Evangelium, cum potiùs in Evangelio, in exemplo, & Doctrina Apoſtolorum, in Conſiliis, in jure Canonico, & in ratione naturali fundata fuerit. Nequè poteſt dici uxorum juri adverſari. Nam, quæ nupſerant viris ad Altaris miniſterium dedicatis, ac conſecratis, huic ſe expoſuerunt periculo, voluntariè, præſumere enim debuerant poſſe à ſummo Sacerdote, ad quem ſpectat pro majori in res ſacras decentia, leges ferre, illud decretum conſtitui; & deinde Summus Pontifex non abſolutè interdicebat uxorum uſum, ſed illis ſi uti vellent jubebat, ut abſtinerent ab Altari; ſi autem vellent Altaris miniſterio inſervire, ut ab uxoribus abſtinerent. Legant igitur Adverſarii Leges Canonicas, illarumque ſenſum percipere ſtudeant, & nec Leges Sacroſantas, conſtitutioneſque venerandas exprobrabunt, nec tales indè conſequentias, quas miror in homines ſapientes cadere poſſe, inferre deberent.

SECTIO V.

Oſtenditur falſitas Dupini circa contradictionem definientium Pontificum Romanorum.

61. PRimò narrat hic Author definiiſſe, docuiſſeque Innocentium IV. Pontificem Romanum, formas Sacramentorum poſt Apoſtolos fuiſſe inventas, & ab Eccleſia ordinatas. Allegat cap. *Præsbyter* de Sacramentis non iterandis. Cujus contrarium definitum eſt ab Eugenio IV. eſtque deciſio Innocentii contrà veram Scholaſticorum ſententiam. Ut apertè videas hujus Authoris mendacium tibi propono ob oculos totum caput, *Præsbyter*, quod ſic habet. *Præsbyter, & Diaconus cùm ordinantur, manus impoſitionem tactu corporali (ritu ab Apoſtolis introducto) recipiunt, quod ſi omiſſum fuerit, non eſt aliquatenùs iterandum, ſed ſtatuto tempore ad hujuſmodi ordines conſerendos, cautè ſupplendum, quod per errorem extitit prætermiſſum: impoſitio autem manuum debet fieri, cum oratio ſuper caput effunditur ordinandi.* Hunc textum Dupinus non intellexit, & id circò in errorem lapſus, Pontifici calumniam impoſuit, Innocentius enim Pontifex ſapientiſſimus benè callebat materias, & formas Sacramentorum à ſolo Chriſto, & non ab Apoſtolis, vel ab Eccleſia inventas. Ut igitur textum, mentemque Pontificis in vero ſenſu percipias, diligenter advertere oportet, Chriſtum Dominum circà materias, formaſque Sacramentorum bifariam ſe habuiſſe. Primò inſtituendo materias, & formas determinatè, & ut dicunt Juriſtæ, in ſpecie; ut in Sacramento Baptiſmi, & Euchariſtiæ determinavit pro materia aquam naturalem, ſeù elementarem, & formam, ego te baptizo, &c. Et panem triticeum, ac vinum de vite, formamque ea verba conſecrationis pro Sacramento Eucharistiæ; & circà has materias, & formas, neque Eccleſia, neque Apoſtoli quiquam variare potuerunt. Secundò quò ad certa Sacramenta Chriſtus inſtituit materias, & formas certas qui-

Digitized by Google

dem in genere, determinandas tamen ab Eccleſia, quo ad hunc, vel illum modum.

62. Inſtituit pro materia Sacramenti ordinis Sacri ſignum ſenſibile ſignificatiuum poteſtatis conſecrandi Corpus Chriſti, & pro forma verba illi materiæ accommodata. Sic etiam pro materia Sacramenti Matrimonii Chriſtus inſtituit contractum validum in genere, reliquit tamèn Eccleſiæ, quo ritu, & ſolemnitate contractus validus, aut invalidus redderetur: hoc autem non eſt Eccleſiam materias Sacramentorum inſtituere, ſed illas ſupponendo à Chriſto immediatè inventas, & inſtitutas, ponere determinationem, in hunc, vel illum modum ipſi Eccleſiæ magis congruum. Dicat nobis Dupin. erravit nè Eccleſia, quando in Concilio Tridentino decrevit, ut contractus Matrimonii non aliter fiat validus, materiaque Sacramenti, quàm ritu, ſolemnitateque duplicis teſtis, & parochi aſſiſtentiæ; dum antea ſine ea ſolemnitate valeret? Hoc nè fuit formas, materiaſve Sacramentorum ab Eccleſia mutari, aut ab eadem denuò eſſe inventas? Ecce hoc docuit Innocentius, dum ait circà ſacros ordines ritum illum impoſitionis manuum ab Apoſtolis introductum; non dixit ab Apoſtolis materiam, & formam jam prius à Chriſto inventas quo ad certum ritum, & modum ab Apoſtolis fuiſſe determinandas, in quo ergò peccavit? in quo Eugenio contradixit? in quo ſe ſcholaſticorum doctrinæ oppoſuit; cum id ille docuerit, quod omnes Doctores in materia de Sacramentis unanimi conſenſu edocent, ac tuentur? Erubeſcere potiùs deberet hic Author, quòd & Innocentio Pontifici Maximo, & Doctoribus ſapientiſſimis, & communi ſcholaſticorum authoritati apertam calumniam imponeret; & per hoc tam alienum à ratione medium Romani Pontificis authoritatem extenuare, enervareque audaciſſimè, ne dicam, nimia libertate, molìretur.

63. Secundò falsò adducit Stephanum Papam II. definiiſſe ex cathedra in caſu neceſſitatis Baptiſmum in vino, deficiente aqua, valere. Et probat hoc ex Reſponſione Decretali ejuſdem Stephani Epiſtolæ cap. 2. ibi, *Si in vino quis propterea, quod aquam non inveniebat, omnino periclitantem baptizavit; nulla ei exinde adſcribitur culpa: infantes ſic permaneant in ipſo baptiſmo: nam ſi aqua adfuit præſens, ille præsbyter excommunicetur, & pœnitentiæ ſubmittatur.* Et pergit Dupin. *Hæc definitio adverſatur contrariæ Eugenii IV. in reſponſis ad conſulta Bulgarorum ſanctioni, & Eccleſiæ univerſæ diſciplinæ.* Debuerat hic Author legere integra verba Pontificis, & in codice correpto, qui habetur apud Philippum Labæi ad annum 754. tom. 6. 1652. in reſponſione 10. ubi debet legi, *Infantes autem ſic permaneant in baptiſmo*. Et fine poſt verbum *ſubmittatur*; legere ipſe deberet ſequentia Pontificis verba: *Quia contra Canonum Sententiam agere præſumpſit.* Itaque ſenſus verus iſtius Pontificiæ reſponſionis eſt. Cum de illo facto conſuleretur Papa, in ordine ad puniendum illum præsbyterum in caſu neceſſitatis in vino ſic baptizantem cordatiſſimè, ſapientiſſimèque reſpondit, ſi in eo caſu neceſſitatis aqua præſens non erat, excuſari illum per ignorantiam ex conſcientia erronea; qua per errorem baptiſmum illum poſſe infanti proficere putabat; ignorantia autem erronea invincibilis excuſat à culpa, & conſequenter à pœna. Si autem aqua erat præſens, præcipit ut præsbyter excommunicetur, & aliis pœnis arbitrariis ſubmittatur; quia contra Canonum ſententiam agere præſumpſit.

64. Quæro nunc ex iſto Authore; Definit ne validum Baptiſmum in vino caſu neceſſitatis; qui in eo etiam caſu in vino baptizantem dicit contra definitionem Canonum egiſſe? Quis definit doctrinam falſam, cum punit operantem contra definitionem veram? An Romanus Pontifex Stephanus, quos allegabat Canones in nullo caſu valere baptiſmum abſque naturali aqua definientes ignorabat? Si ergo bene callebat in vino baptiſmum non valere eſſe jam definitum; quo pacto infers, Dupine, illum Pontificem in eo caſu oppoſitum definire? Uult Pontifex ſcire, an Præſbyter

byter

byter ille bona fide proceſſerit, & quærit, an aqua fuerit præſens, nec ne? an infans ſic in vino baptizatus in eo baptiſmo permanſerit, nec ne, ut bonam exerranti inculpabiliter conſcientia fidem dignoſcat, ad condemnandum, vel abſolvendum reum, & tu egregie Doctor inde infers errorem Pontificem definiiſſe? Quis hoc, niſi malevolus, vel miſerè cæcus inferre poſſet? Itaque optima conjectura conſequi poterat Pontifex, ſi præsbyter non habens præſentem aquam, & omnino periclitabatur infans, illum in vino baptizando, & eundem in eo baptiſmo permanere ſinendo inculpabilem, excuſantemque ignorantiam habuiſſe: proindeque nulla ei exinde adſcribi culpa deberet. Si tamen præſens erat aqua; jam nulla poterat eſſe probabilis excuſatio: nam juxta Regulas juris. Ignorantia facti non juris excuſat.

65. Notandum tamen hic eſt Pontificem non dixiſſe Infantem in eo baptiſmo irrito permitti permanere; imò ſupponebat Papa jam denuo in materia habili fuiſſe eum legitimè baptizatum: ſolum igitur indagare volebat, utrùm illud factum, (baptiſmus videlicet in vino adminiſtratus, & permanſio per aliquod tempus) à Parocho illo ignorante fuerit ab eo inculpabiliter ignoratum. Si enim aqua erat præſens, nullã excuſationem habere poſſet. Si autem aqua præſens non erat; hoc neceſſitatis factum potuiſſe in cauſam eſſe illi Parocho imperito, ut crederet ad talem caſum jus baptizandi in aqua non extendi, atque ita factum illud ſimplicitati potius, pietatique, quàm malitiæ verti poſſet, ideoque illi parcendum.

66. Tertiò. Aliud adducit exemplum circa paupertatem Franciſcanorum de multorum Pontificum definientium diſſidio; in quo aliquam ex illis definitionibus falſam eſſe oportet; quo dictorum Romanorum Pontificum in definiendo infallibilitas corruat, neceſſe eſt. Probat hoc: quia in primis Greg. anno 1230. Paupertatem Franciſcanorum, prout ipſi illam profitebantur definit: idem definiunt Innocentius IV. anno 1245. Alexander IV. anno 1254. Nicolaus III. in decretali exiit. Martinus IV. in bulla data 10. Kal. Februar. 1282. Nicolaus IV. anno 1298. Clemens V. in Concili Viennenſi anno 1311. Qui omnes Pontifices definierunt, confirmaruntque apud Franciſcanos nullum rerum dominium ſive proprietatis, ſive uſûs tam in particulari, quam in communi, ſed omne apud Pontifices Romanos, ſedemque Apoſtolicam remanere.

67. At è contrario Joannes 22., qui Clementi ſucceſſit, acritèr in Franciſcanorum paupertatem deſæviit, oppoſitum omnino aliis Pontificibus, ut videtur, definiens, ut patet ex illius Conſtitutione, *Romana Ecclesia*; & ex alia, *Glorioſam Eccleſiam*, inſerta in directorio Inquiſitorum, utraque anno ipſius 2. data, & addit Emerycus ob cauſam non obſervandi has Summi Pontificis Joannis conſtitutiones, quatuor ex his fratribus fuiſſe Maſſiliæ anno 1318. ab hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus velut hæreticos condemnatos, flammiſque addictos, qui propterea ſunt à ſuis tanquam martyres honorati, quod pro aliorum Pontificum conſtitutionibus tuendis occiſi ſint. Præterea Michael Ceſenas Generalis Minorum, & Gulielmus Provincialis, & alii conſtitutionem Nicolai III., ut de fide, & conſtitutionem Joannis 22., ut hæreticam tenere cæperunt: Joannes autem ut eos proſcriberet, conſtitutionem, *Cum inter*, edidit, & fundamentum Nicolai III. velut hæreticum, & erroneum proſcribit, videlicet, quòd Chriſtus, ejuſque Diſcipuli proprium in communi, vel particulari non habuerint. Adhuc autem Fratribus Minoribus obluctantibus, emiſit Joannes aliam conſtitutionem, *Quia quorundam* anno 1324. promulgatam, ubi videtur condemnare, ut hæreticum prædictum fundamentum Nicolai III., & ideo Nicolaus Emerycus Tarracone Inquiſitor circiter annos 20. poſt Joannem 22. doctrinam Joanni oppoſitam in Cathalago errorum contra fidem recenſet; ut patet ex Director. par. 2. q. 51. & ſic alii quos refert Dupin cit. p. 357. qui ex his omnibus infert Pontificis authoritatem etiam definien-

finiendo ex Cathedra fallibilem eſse, cum ex illis præfatis definitionibus ſibi adverſantibus aliquam falſam eſse oporteat.

68. Ego quidem non poſsum non excandeſcere, zeloque Religionis incendi, videns aliquos Catholicos, qui, cum poſſint optimè pontificum definitiones; ſi qua illis inſit contradictionis umbra, facieſque, exponere, de induſtria quærant rimulas, ut ſedulò muſcas hinc, inde venentur, ad augendum potius, quàm ſedandum diſſidium; & ſic ſtabile doctrinæ Catholicæ fundamentum, neruumque elidant. An quia in ſacra Scriptura multa reperiuntur, quæ prima facie inter ſe oppoſita videntur; idcirco Spiritus Sanctus, qui per Sacras loquitur ſcripturas, infallibilis veritatis non eſſe dicendus eſt? Quis Catholicus in hanc prorumpit blaſphemiam? Non deſudant Doctores? Non omnes ingenii vires expendunt, ut abſtruſos difficultatum extricent nodos, diſſidiumque componant? En Sacra Scriptura, Canones, & Concilia, per quæ omnia, tanquam per ſacra organa fatur Spiritus Sanctus, clamant, ut ſupra latiſſimè probavimus, Pontificem ex Cathedra loquentem, ex ſpeciali divini Numinis aſſiſtentia, falſum definire non poſſe; eoſque Pontifices Maximos ex Cathedra definientes Spiritus Sancti linguam jure vocari; cur ergo has linguas Spiritus Sancti, has, inquam cæleſtis oraculi definitiones, cum aliquando inter ſe videantur pugnare, ſibique ipſis adverſari, non deſudant, laborant, ſtudentque hi Catholici in bono ſenſu exponere, atque inter ſe conciliare? Si Spiritus Sanctus, divino teſtante eloquio, tam per Sacrarum Scripturarum, quàm per Pontificiarum definitionum oracula loquitur, cur adverſantibus ſibi prima facie ſacris Scripturis, procuratis diſſidium componere, ne divini Numinis infallibili derogetur authoritati; & eandem Divini Numinis authoritatem contemnitis, dum ille per Pontificium loquitur oraculum?

69. Reſp. igitur prædictas Pontificum definitiones in eo, quod per ipſas definitur, minimè pugnare, licet aliquibus rem parum conſiderantibus diſſidere videantur. Hoc clariſſimè declaravimus ſupra diſceptat. 7. Sect. 4. n. 57. & diſcept. 6. ſect. 12. num. 190. ideo hic nolo in eis iterum diſſolvendis inutiliter tempus conſumere. Solum volo ſuper hæc aliquibus Dupini exigui pulveris dubiolis denuo excitatis facere ſatis.

70. Opponit Primò Joannem 22. ultro agnoviſſe ſtare non poſſe ſuam definitionem cum infallibilitate Pontificis. Probat hoc, quia cum Michael Generalis Minorum Joanni obiiciet, quòd in his, quæ pertinent ad fidem, & mores, determinatum ſemel per Summum Pontificem non poſſit per alium revocari. Et ſubjungit Dupin Joannem non reſpondiſſe; at reſpondiſſe unum Cardinalem, qui poſtea fuit creatus Pontifex Benedictus XII. id falſum eſſe, cum multis conſtet exemplis, quod illud circa fidem, & mores male determinatum eſt per unum Papam, vel Concilium, poſſit per alium perſpecta melius veritate corrigi, & emendari; & ideo non eſſe mirum, ſi Dominus Joannes 22. diligenti deliberatione cum multis peritis in Theologia, & in utroque jure habita revocavit, quæ malè dixerat Dominus Nicolaus de Chriſti, & Apoſtolorum paupertate.

71. Hæc reſponſio. Si ei robur inſit, doctrinam adverſariorum evertit; nam ait Concilium generale non habere infallibilitatem, quod eſt contra ipſos; deinde ex illa reſponſione ſequitur nullam in Eccleſia dari infallibilem regulam præter nudam ſcripturam; quod eſt apertè hæreſis, & ſentit cum Lutheranis, & Calviniſtis: ſi enim aliqua infallibilis regula in Eccleſia eſt, certè erit aut Pontifex, aut Univerſale Concilium, ſed ex reſponſione facta, neque Pontifex, neque Concilium eſt regula infallibilis: ſiquidem unum Concilium poteſt errare, & emendari per aliud, & unus Pontifex per alium; ſicut ait reſpondens; ergo reſponſio illa non valet. Quòd, ſi dicas poſſe unum Concilium, vel unum Pontificem errare circa factum; & in hoc per alium corrigi poſſe;

quid

quid hoc confert ad noſtram quæſtionem, quæ ſolum eſt de errore circa fidẽ, & mores pro tota Eccleſia? Quare reſponſio illa prædicti Cardinalis eſt omnino falſa; dato etiam quòd ille ſic reſponderit, ut refert Adverſarius ex Emeryco in Director. Inquiſitorum p. 2. q. 17. Nec cum Cardinale doctrina ad ſubliniorem aſcendit ſtatum: nec ipſe poſtea in throno poſitus reſponſionem illam ſuam, ut infallibilem fidei articulum definivit: imò cum ſit manifeſtus error, definire illam, etiamſi vellet, non poſſet.

72. Opponitur 2. Negari non poteſt Conſtitutionem Nicolai III. à Joanne revocatam fuiſſe; ſiquidem damnavit tamquam erroneum, & hæreticum, Chriſtum in terris dominium proprietatis, & uſus tam in communi, quam in particulari, non habuiſſe; quod tamen haud habuiſſe Chriſtum prædefinierat Nicolaus III. Deinde revocavit ſententiam excommunicationis à Nicolao promulgatam in eos, qui illam Conſtitutionem ſuam, *Exiit*, aliter, quàm litera ſonat, exponeret. Ergo Nicolai definitionem omnino abrogavit. Reſ. hunc Authorem, nec Nicolai, nec Joannis Pontificum Conſtitutiones intelleхiſſe; unde quid mirum à ſcopo veritatis aberraſſet. Itaque multi falsò exiſtimaverant, Nicolaum III. definiiſſe, Chriſtum numquam habuiſſe dominiũ in communi; & id certè non definivit Nicolaus; quia eſt hæreticum, & contra Evangelium, & hanc falſam quorundam exiſtimationem condemnavit Joannis, & meritò, & quia viderat plures occaſione illius Conſtitutionis, *Exiit*, imponentis pœnam excommunicationis iis, qui talem Conſtitutionem, aliter, quàm litera ſonat, exponerent, prolabi in errorem à Nicolao III. non intentum; ideò pœnam illam prudenter abrogavit: neque per hoc revocare cenſetur definitum, qui pœnam operanti contra definitum abrogaverit: pœna enim poſita non eſt aliquis fidei articulus, qui revocari non poteſt. Ubi notandum diligenter eſt unum Pontificem poſſe definitionem alterius in bono ſenſu interpretari, n unquam tamen mutare, quò ad ſubſtantiam articuli fidei; veritas enim fidei ſemper eſt invariabilis: aliter hodie Trinitatem, cras autem quaternitatem fide divina credere poſſemus, quod per ſe abſurdum eſſe, quis ignoret? Notandum eſt ſecundò definitiones Pontificum ſemper accipiendas eſſe prout litera ſonat, quod etiam intelligitur de Sacra Scriptura, quando tamen tum definitiones, tum Scripturæ à Pontificibus ex Cathedra loquentibus exponuntur, tanquam in vero ſenſu, tunc non pro ut litera ſonat, ſed prout oraculum interpretatur, accipiendæ ſunt; aliter in Eccleſia firmam, ſtabilemque fidei regulam non haberemus, poſſemuſque in Campo Scripturæ, definitionumque confuſa libertate graſſari: per hoc tamen poſſe Doctores cùm Sacræ Scripturæ, tum Pontificum ſanctionibus doctrinales dumtaxat interpretationes, Apoſtolicæ tamen authoritati ſubiiciendas, exhibere non negatur.

73. Ex his quoddam aliud ab Adverſario tenue ſatis objectum de oppoſitis, ut ipſe falsò putat, Bonifacii, Clementiſque Pontificum definitionibus dubiolum facilè diluitur. Dicendum enim eſt Clementem Pontificem Bonifacii definitionem non evertiſſe; revocaſſevè, ſed in recto ſenſu expoſuiſſe: ut ſupra loco citato latè vidimus; & legenti Clementis V. Conſtitutionem patebit. Et idem dicendum eſt de multis aliis Decretalibus Epiſtolis, quæ primo aſpectu ſibi adverſari conſpiciuntur; minimè tamen inter ſe pugnare videbuntur; ſi matura conſideratione, depoſita etiam malevola in Sedem Apoſtolicam affectione, amotoque turpi erga Regiam poteſtatem palpo, ac ſimplici, nudaque veritate penſentur: nam prædictæ Decretales ſecundum diverſos rerum ſenſus procedunt; ideoque illas utriuſque juris Doctores, ac Theologi ſecundum ſanum, verumque ſenſum interpretantur: præcipuè videri poteſt Auguſtinus Barboſa Luſitanus in Collectaneis ad Decretum, & Decretales; ubi apparentes paſſim Pontificum implicationes, nodoſque difficultatum facillimè diſſolvit.

74. Addit tandem non minori libertate Dupinus Sixtum V. & Clemen-

tem

tem VIII. in Bibliorum correctione valde inter ſe pugnaſſe: *Nam*, inquit, *Sixtus in Bulla editioni Bibliorum præfixa hanc ſuam vulgatæ editionem emendatiſſimam eſſe; & priſtinæ puritati reſtitutam eſſe ſanxit; nihilominus tamen Clemens VIII. cum multos in illa editione errores relictos deprehendiſſet, illam ſimul cum Bulla jam pervulgata ſuppreſſit, & novæ editioni emendatiori conficiendæ operam poſuit, quæ innumeris penè in locis à Sixtina diſſidet; ergo vel hic de novo Bibliā corrigendo, vel ille ſuam editionem emendatiſſimam, & priſtinæ puritati reſtitutam eſſe pronunciando in negotio maximi ad Religionem momenti à veritate deviavit.*

75. Ego non aliter huic Sophiſmati reſpondeo, quàm rogando Authorem iſtum; unde ſomniavit definiiſſe Sixtum, ſuam illam editionem vulgatæ ita cæteris jam tranſactis emendatiorem eſſe, ut non potuerit alia de novo correctior excogitari conſideratis in poſterum novis rerum circumſtantiis, & facta ſecundum tempus exactiori diligentia? Neceſsè ne erat definire illam editionem, ut de fide infallibilem, aliarumque ſequentium omnino excluſivam, ad hoc ut illam proponeret ſequendam? nonne ad hunc finem ſatis erat videri tunc probabiliorem? Dicat mihi egregius hic Doctor: fuit ne neceſsè prius de fide Conceptionis Myſterium definire, ut illud toti Eccleſiæ proponeretur celebrandum? Si igitur Sixtus editionem ſuam propoſuit, tunc probabilem aliam de novo majori facta diligentia, & indagine probabiliorem non excluſit: proindeque Clementinam de novo editionem repertam correctiorem Sixtinæ editioni officere quis prudens exiſtimabit? Si Summus Pontifex Sixtus ſuam illam editionem tanquam de fide certam ſanciret; & poſtea contrarium decerneret Clemens, tunc Pontificum fallibilitatem author iſte probaret: dum tamen hoc non evincit, nihil ſe eviciſſe certò conſtat. Nec obſtat negotium eſſe maximi ad Religionem momenti Bibliorum correctionem: nam ob id ipſum, quod maximi ſit momenti negotium, oportet in definiendis Bibliorum correctionibus cautè procedere.

76. At dicet: ergo ſi illa editio fuit tantum probabilius emendatior, infallibilitas Sacræ Scripturæ funditus evertetur; & totum erit ſub opinione fluctuans, nihilque de fide certum conſtabit; noſtræque Religionis firmitas collabetur. Reſp. tam ineptam eſſe hanc ſecundam conſecutionem, quàm fuerat prima. Nam quæro ex iſto Authore; an in Sacra Scriptura multa dentur, quę ſub opinione verſantur; Sanctis Patribus illam modo ſecundum unam ſententiam, modò ſecundum aliam interpretantibus? Credo, ſi ſapiens, ſi Sacra in Scriptura verſatus eſt, id ab ipſo non eſſe negandum: propterea ergo dicendum Sacræ Scripturæ infallibilitatem tolli, everti, labefactari, totamque Religionem perire? Quis hoc diceret, niſi fortè aliquis Atheus, qui omnia fluctuare, caſuque evenire contendit? Vides, quam nihil probent argumenta Dupini ad enervandam infallibilem Romanorum Pontificum authoritatem tot Sacræ paginæ, Conciliorum, Canonum, Sanctorum Patrum, utriuſque juris Doctorum, ac Theologorum teſtimoniis comprobatam!

SECTIO VI.

Oſtenditur mendacium prædicti Authoris aſſerentis ex ipſa Pontificum confeſſione eos non habere authoritatem infallibiliter definiendi.

77. AD infallibilem Summi Pontificis in definiendo res fidei, & mores authoritatem labefactandam multa Dupin adducit exempla, quibus id probare poſſit ex propria ipſorum Pontificum confeſſione; quæ in jure validitiſſima ſemper fuit ab omnibus exiſtimata probatio. Sed quàm ineptè, inſipidèque noſtræ quæſtioni applicet exempla, meridiana luce clariùs ex mox dicendis patebit. Primum exemplum refert Diſſert. 5. §. 5. pag. 359. & eſt Pauli IV. Pontificis Romani, qui anno 1557. in quodam conſeſſu frequenti

quenti, ut ſtatueretur, num poſſet ipſe ſolvere matrimonium inter quoſdam ibi commemoratos; hæc Paulus dixiſſe fertur: *Nè quæſo, vos teneant Deceſſorum meorum facta, & exempla, quæ hactenus ſequi volo, quatenus Scripturæ authoritas, & Theologorum rationes vos ad illud agendum inducent &c. Non dubito, quin ego, & Prædeceſſores mei errare aliquando potuerimus, non ſolum in hoc, ſed etiam in pluribus aliis rerum generibus: & tamen condemnandi planè non ſumus: nam Deus ita ſuam regit Eccleſiam; ut illi certum ad tempus abſcondat multa, quæ tum inde patefacit.* Pro hac Summi Pontificis Pauli confeſſione allegat Joannem Haga Pariſienſem Theologum, qui in illo conſeſſu aderat, & idem refertur in Michaelis de Calſtenau tom. 2. Comment.& in lib.6.addit ad illos Commentarios, qui anno 1659.Lutetiæ prodierunt.

78. Ego licet poſſim negare hoc teſtimonium, utpotè ex Authore Pariſienſi in hac parte ſuſpecto; ſupponendo tamen verum eſſe; quid ad noſtram facit quæſtionem, de infallibilitate Papæ in definiendo fidei articulos ex aſſiſtentis illi Spiritus Sancti lumine juxta Chriſti Domini promiſſionem infallibilem? Numquid ibi Paulus definivit poſſe Pontifices ex Cathedra loquentes errare? poſſe doctrinam circa mores falſam pro tota Eccleſia Univerſali decernere? ergo extra chorum ſaltat Dupinus: ab ſcopo inſtituti noſtri prorſus aberrat; nihil, niſi ſuam inſipientiam probat. At, inquit, Paulus monet, ut nos non moveant facta,& exempla Pontificum Romanorum; quia in factis, & exemplis errare poſſunt. In factis, & exemplis: ergo in definitionibus? num facta, & exempla ſunt articuli fidei? eſtne de fide illud factum? illa diſpenſatio? illa matrimonii diſſolutio? Pontifex ne, quando illa fecit, ac exhibuit, articulum eſſe fidei definivit? Sententiam tulit condemnantem, aut abſolventem; numquid fuiſſe veram de fide ſententiam pronuntiavit, & decrevit? ſi id ille pro Cathedra definiſſet. De fide eſſe crederem; quia Deus illum definire falſum non ſineret: ſiquidem ex Sacra Scriptura,& Conciliis non conſtat Spiritus Sancti aſſiſtentiam quibuſcumque Pontificum actionibus promiſſam fuiſſe; ſed ſolum, nè pro tota Eccleſia Petri Clavis erraret, Spiritus Sancti ſpecialis aſſiſtentia fuit promiſſa. Ergo nihil probat hic Author hoc ſuo malè applicato exemplo, & erubeſcere potius, quàm triumphare debuerat.

79. Secundum adducit exemplum ex Adriano VI. qui dum adhuc eſſet privatus Doctor Theologus Lovanienſis hæc ſcripſit in 4.à 3. de Miniſtro confirmationis, ſic dicens: *Ad ſecundum principale de facto Gregorii primi, dico, quod ſi per Romanam Eccleſiam intelligatur caput illius, puta Pontifex, certum eſt, quod poſſit errare, etiam in iis, quæ tangunt fidem, hæreſim per ſuam determinationem, aut Decretalem docendo: plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici; item, & noviſſimè fertur de Joanne XXII. qui hæreſim publicè docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit.* Hæc Adrianus; nec poſtea ad Pontificatum evectus correxit, aut emendavit, quod certè efficeret, ſi illam doctrinam errorem fuiſſe cognoſceret.

80. Reſp. Adrianum in hac parte cum illis Pariſienſibus ſentire, negare non poſſumus: ut patet ex ejus dictis: at ego quæro ex his Authoribus; an unus Adrianus Lovanienſis Doctor plus authoritatis obtineat, quàm Sacra ipſa Scriptura ſecundum Sanctorum Patrum ſenſum expoſita, quàm multa Sacroſancta, & Oecumenica Concilia, quàm Sacri Canones, Sanctorumque Pontificum Sanctiones, ex quibus omnibus, ut ſupra latè vidimus, infallibilis in definiendo Romanorum Pontificum authoritas comprobatur? Omnes illi Sacri Teſtes errarunt; unus Adrianus privatus Doctor Lovanienſis non erravit? vel errare non potuit, & allucinari? unius hominis apud vos tantum valet authoritas? cæteros contemnitis? unius hominis, qui Summuliſtæ potiùs, quàm Authoris diligenter, exactèque, & maturè negotium ponderantis, tanto pretio æſtimatur authoritas? Qui Pontificum ſparſa à malevolis errata maturâ quidem, exactiſſimaque diligentia examinarunt,

Digitized by Google

eos non erraſſe repererunt, de certaque veritate inſontes declararunt; & ſolùm quia unus Adrianus ſine cauſæ examinatione dixit, *Pontifex erravit*; illum erraſſe ſubitò creditis? An quia de Chriſto Caiphas, ſine cauſæ examinatione dixit; *Blaſphemavit*; & Hebræi illico Chriſtum blaſphemaſſe crediderant, vos Adriano de Chriſti Vicario, ſine ulla cauſæ diſcuſſione dicenti: *Erravit Joannes Pontifex*, illum erraſſe; Judæorum more credetis? examinate cauſam, teſtes productos diſcutite, rerum circumſtantias explorate; & Adrianum, non verò Pontifices erraſſe videbitis.

81. Ego ex ipſis Adriani verbis illũ in multis erraſſe vobis exponam. Nam in primis veritas Divina dicit; Caput Eccleſiæ non erraturum, numquam hereſes, prout caput Eccleſiæ doctorum, *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*: prout ſupra ex Sanctis Patribus, Sacriſque Canonibus vidimus explicatum: Adrianus contra dicit, Pontificem, prout eſt caput Eccleſia, errare & deficere poſſe. Quî fieri poteſt, ut errent, qui ſentiunt cum Veritate, & non erret Adrianus, qui contra Veritatem ſentit? Secundo in iiſdem verbis erravit Adrianus dicens Pontificem hæreſim docuiſſe, & pro tota Eccleſia definiſſe. Certum omnino eſt, nec Adverſarii negare poſſunt, eam Joannis ſententiam eo tempore non eſſe hæreſim, quia contrarium nondum erat tunc ab Eccleſia definitum; imò illam tunc plures, in quibus Diuum Bernardum quidam recenſent; & plures Doctores Galli, Latinique opinionem probabilem ſaltem ab authoritate extrinſeca judicabant; errare igitur non dicetur, qui vocat hæreſim, quæ nondum erat damnata ab Eccleſia, & adhuc à multis tanquam probabilis putabatur? Tertio in iiſdem ſuis verbis erravit Adrianus: dicens Joannem illam falſam ſententiam definiſſe; Conſtat ex dictis, teſtibus etiam ipſis Doctoribus Pariſienſibus, Joannem miſiſſe in Galliam literas, ut poſſet utraque ſententia ut probabilis in Scholis defendi, propugnarique: qui ergo proponit, ut opinionem, fidei articulum definit? nonne fides adverſæ partis probabilitatem excludit? Qui de fide definit Verbum carnem aſſumpſiſſe, oppoſitum tamquam probabile relinquit? Non ergo tunc Joannes definivit illum errorem, licet eo tempore, quo nondum erat ab Eccleſia damnatus, propoſuiſſet plures Doctores ſecutus, tanquam opinionem probabilem. At dices: ſaltem definivit ut probabile, quod in re erat error, & conſequenter erravit. Qui eſt totius quæſtionis ſcopus. Reſp. ſi ex eo, quod unus Pontifex tuetur opinionem aliquã probabilem, definit veram, nullus Pontifex dicetur ſequi opinionem verè probabilem; nam mox inferetur, illam omnino eſſe veram; in quo deſtruitur natura opinionis probabilis; quæ eſt eſſe indifferens, ut ſit vera, vel falſa.

82. Urget Dupin. Adrianus ad Pontificatum aſſumptus librum ſuum à ſe antea editum non emendavit. Bene. Non correxit, non emendavit: ergo ne definivit? num, quia Pontifices permittunt ſæpe, quin condemnent, plures errores, expectando prudentiùs meliorem opportunitatem ad illos majori judicii maturitate proſcribendos, illos errores definire dicendi ſunt? Deinde ſententiæ illius editi ab Adriano ut Doctore privato libri ad thronum infallibilitatis erectæ ſunt per aſcenſionem ſui Authoris ad ſolium Pontificatus? Nulla igitur, quæ ſit firma, probatio, poteſt ex Adriano adduci, ad infallibilem Romanorum Pontificum authoritatem debellandam.

83. Tertium exemplum affert ex Papa Eugenio IV. Qui, inquit, in Bulla 3. adverſus Concilium Baſileenſe, licet ſe ſupra Concilium efferret, ait in quæſtionibus, quæ ad fidem reſpiciunt, vel ſtatum Univerſalis Eccleſiæ, potiùs attendendam eſſe Concilii, quam Papæ ſententiam. Ego fateor me tertiam illam Eugenii Epiſtolam ſæpius legiſſe, tum in Codicibus Baſileæ Synodi vetuſtis, tum in novioribus Labæi to. 12. ad ann. 1414. ubi cunctas Eugenii tranſcribit litteras ex originalibus correctioribus; & ibi Eugenius nihil de hac agit quæſtione. Nihilominus ego ſcire velim ex hoc Authore, an id, quod aſſerit, de Concilio

ſuo

ſuo ſupremo Capiti unito intelligendum eſſe putet, nec ne? ſi de Concilio ſic unito; jam deſerit quæſtionem, de qua ipſe diſſertat, nimirum de Concilio à Papa diſiuncto; quod ſupra Papam eſſe contendit. Si de Concilio ſeparato à Papa; qui fieri poteſt; ut Eugenius pronuntiare vellet, Conciliabulum, quale eſt Concilium capite truncatum, (cui propterea non Spiritum Sanctum, ſed malum aſſiſtere dæmonem canonica jura decidunt) organum eſſe Spiritus Sancti, ad res fidei ſtabiliendas, definiendaſque? Ita nè rerum imperitus erat Eugenius, ut Sacros ignoraret Canones? ut Sacram Scripturam Sanctorum Patrum luce illuſtratam nec legiſſe, nec intellexiſſe videretur? Ecce jura clamant omnia; Conciliorum etiam Decreta, Pontificum Sanctiones, facta ipſa, ad noſtrum uſque ſæculum conteſtantur, pro ut ſupra comprobavimus, Pontificem Romanum Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem Supremum D. Petri Apoſtolorum Principis Succeſſorem ex Cathedra loquentem errare non poſſe; eaque ab eo ſic conſtituta, definitaque, certum, fixumque fidei articulum omnibus fidelibus firmiſſimè credendum remanere: oportet autem, ſit fides ſemper eadem, nec una alterâ major, firmiorve, aut infallibilior, ſive Spiritus Sanctus per Concilium legitimè coactum, capitique ſuo viſibili adhærens, ſive per Papam Concilii caput loquatur: neque enim Deus per unum organum falsò; per alterum autem verè loqui poteſt: Quo pacto igitur aſſerere potuit Eugenius, in quæſtionibus fidem ſpectantibus Concilii potius, quàm Papæ ſententiam attendendam eſſe, ſi utraque eſt Spiritus Sancti ſententia? poterit ne Spiritus Sanctus vera per unum, & falſa per alterum definire? ergo vel Eugenius verba illa non protulit; vel, ſi protulit certè de ſe, ut non definiente pro Cathedra loquebatur; de Concilio autem ut definiente, quando ſuo capiti eſt unitum; ſic enim dumtaxat Deus infallibilem, ne erret, aſſiſtentiam Concilio pollicetur; ut ipſa docet Veritas. *Non relinquam vos orphanos, Paraclitus veniet ad vos*; ad vos unitos, & non diſſidentes, ac à veſtro capite abſciſſos: ad vos congregatos in nomine meo, in nomine ejus, qui meas vices gerit in terris; cui claves ſcientiæ, & veritatis, poteſtatiſque Supremi Paſtoris commiſi; *tibi dabo claves Regni Cœlorum*; *ſuper te ædificabo Eccleſiam meam*; ſuper alium verò ædificata; Eccleſia erit, ſed non mea; nam mea eſt ſub hoc uno viſibili capite, & non ſub tot capitibus, quot ſunt Epiſcopi, conſtituta. Ergo Author iſte aſſerto Eugenii vel probat nihil contra nos; vel probat omnia contra ſe; & utinam ſuo met gladio perculſus, ut remedium adhiberet, vulnus ipſe ſuum videret.

84. Quarto adducitur Gregorius Undecimus; quem narrat ita de ſe ſcripſiſſe: *Item volumus, dicimus, & proteſtamur ex noſtra certa ſcientia, quod ſi in Conſiſtorio, in Concilio, vel in ſermonibus, vel in collationibus publicis, vel privatis ex lapſu linguæ, aut alias ex aliqua turbatione, vel etiam lætitia inordinata, aut præſentia Magnatum ad eorum forſitan complacentiam, ſeu ex aliqua diſtemperantia, vel inadvertentia, aut ſuperfluitate aliqua dixerimus erronea contra Catholicam fidem, quam coram Deo, & hominibus, ut tenemus præcæteris profitemur, colimus, & colere cupimus, ſed forſan adhærendo opinionibus contrariis fidei Catholicæ ſcienter, quod non credimus, vel etiam ignoranter, aut dando favorem aliquibus contra Catholicam Religionem obloquentibus, illa expreſſè, & ſpecialiter revocamus, deteſtamur, & haberi volumus pro non dictis*. Ita, inquit, legitur to. 6. Specilegii Dacheriani.

85. Miror hominem Scholaſticæ profeſſionis hoc pro ſe teſtimonium afferre, quod nihil ad noſtræ quæſtionis Theſin conducit? quid ad noſtram de definitione quæſtionem facit, Pontificem, cum pro tota non definit Eccleſia, privato ſuo judicio errare ſe poſſe fateri? Numquid nos Romanos Pontifices, cum primum ſe in Pontificiam clamydem induerint, hominis naturam exuiſſe contendimus? Chriſtus ſuo Vicario in omnibus omnino actionibus aſſiſtentiam infallibilem ne unquam erraret, pollicitus eſt? Probet Dupinus Gregorium Pontificem Romanum in de-

definiendo quæſtiones fidei à veritate poſſe deficere; & id ipſum ingenuè fateri, quod non probat allato teſtimonio nec probare unquam poteſt: imò licet Pontifex fateretur ſe in definiendis fidei quæſtionibus errare poſſe, dum id pro Cathedra non definit; teſtimonium illud, & confeſſio non veniret ad rem, ſcopumque non feriret. Ad quid ergo inutiliter teſtimonia ad rem nihil prorſus facientia tanto ſudore, impendioque accumulat? Ad quid congerit ſuperflua, quæ nullum alium fructum legentibus, præter faſtidium, tædiumque afferre poſſunt? Eodem modo refellitur hic Author, dum refert Adrianum in Epiſtola ad Sextam Synodum, & Leonem Secundum in Epiſt. ad Conſtan. aſſerentes Honorium Monothelitarum labe infectum fuiſſe. Nam ſupra evidenter demonſtratum eſt Honorium hæreticum non fuiſſe, damnanteſque illum in facto erraſſe; neque Concilium illud factum, ſed dumtaxat jus definivit, Pontificeſque illi, qui ſecuti Concilium errore facti deceptum, ſunt pariter errore facti decepti. Dato tamen, quod Honorius fuiſſet illa turpi labe reſperſus, numquid errorem illum definivit? Quandiù verò errorem ex Cathedra definitum non probat, extra chorum ſaltat Dupinus; & argumenti ſui moles corruit, & volatiles abit in fumos.

86. Quintum denique adducit exemplum plurium Pontificum Romanorum, qui ſuorum Prædeceſſorum abrogavere Decreta; præcipuè verò affert Clementem IV. qui ad Abbatem Caſæ Dei ſcribens ait: *Cernere ſe Deceſſores ſuos Monaſteriis dediſse privilegia juri Divino contraria*, quæ rationabiliter annullare ſe poſse dicit; adiiciens: *& quamvis noſtris Prædeceſsoribus, prout neceſſitas exigit, geramus honorem; multa tamen eorum aliquibus placuerunt, quæ nobis imparis meriti, & ſcientiæ nulla poſſint ratione placere.* Ex his, inquit Dupinus, patet non eſſe audiendos eos, qui invitis, & reclamantibus ipſis Summis Pontificibus, illis indeficientis judicii privilegium adſcribere conantur.

87. Mirari quiſque jure deberet authorem iſtum aliàs ratiocinandi arte peritum alienas ab inſtituto probationes adducere, quæ propterea nihil evincunt, oſtendunt vè, niſi ineptam in ipſo Authore formam argumentandi. Abrogavit unus Pontifex latam ab altero legem, vel conceſſum ab altero privilegium: ergo Pontifex non habet infallibilitatem in rebus fidei pro tota Eccleſia definiendis? Si hæc conſecutio valet; valeret etiam iſta: Deus legem poſitivam à ſe latam, poſtea abrogavit, ut patet in Circumciſione, Cæremonialibuſque per Moyſen præceptis: ergo Deus in eis, quæ diſponit, definitque, erroribus eſt obnoxius? Quis hanc conſequentiam deducat? Itaque aliud eſt, hîc, & nunc ferre unam legem, unumque privilegium concedere; quæ poſtea pro temporum varietate, mutatiſque circumſtantiis, inutilia reddantur, & noxia, ſicque jure optimo revocentur; aliud verè hominem unum à Deo loco ſui conſtitutum, ut Magiſtrum, interpretemque fidei cum promiſſione infallibilis Dei aſſiſtentiæ, nè in articulis fidei proponendis erret, Eccleſiamque decipiat; falſos articulos fidei proponere, Eccleſiamque Univerſalem decipere: Si quis enim probaret illum hominem, ut è Cathedra loquentem falſos fidei articulos Eccleſiæ illam decipiendo propoſuiſſe, illum certè evinceret Magiſtrum non eſſe infallibilem fidei, nec illi Deum, nè erret, aſſiſtere: at errare in uno, quod articulus fidei non eſt; & revocare unam legem, vel à ſe, vel à ſuis anteceſſoribus conſtitutam, quæ antea placebat, ſanctaque & rationabilis tunc videbatur; poſtea verò pro varietate temporum, ac circumſtantiarum incipit diſplicere; ideoque illam revocare, vel mutare, quî fieri poteſt, ut infallibilem Pontificis authoritatem evertat?

88. Et notandum eſt diligenter Summos Pontifices, quamvis aliquando leges abrogent; ſanctiones tamen, quæ fidem ſpectant, nunquam revocaſſe, nec revocare potuiſſe: nam fides non eſt hodie una, & cras alia; & ideo Eugenius IV. qui Bullam ad diſſolvendum Con-

Concilium Baſileenſe ediderat, & poſtea ad Imperatoris inſtantiam eandem revocavit; Conciliumque amplexus eſt: non revocavit illam, quoad illa, in quibus Concilium authoritatē Papæ, ſediſque Apoſtolicæ deprimebat: ſed voluit; ut quoad hoc prior Bulla diſsolutionis Concilii omnino vigeret, ut inſinuaret hoc jam fidem ſpectare; quæ invariabilis eſt. Sic enim ait Eugenius IV. apud Labæi tom. 12. ad annum 1414. pag. 941. ibi. *Nos judicantes non eſſe reprebenſibile, ſi ſecundum varietatem temporum ſtatuta quandoque varientur bumana &c. dicta diſſolutione Concilii jam facta non obſtante, ſtatuimus, volumus, & mandamus de eorumdem noſtrorum fratrum conſilio per noſtros legatos illuc quantocius tranſmittendos, atque nomine noſtro ibi præſederint; celebretur.* Et ſimiliter ibi ait idem Eugenius apud citat. Labæum, pag. 940. *Volumus, & contentamur præfatum generale Baſileenſe Concilium à tempore incboationis ſuæ continuatum fuiſſe, & eſſe &c. ac ſi nulla commutatio, tranſlatio, ac diſſolutio facta fuiſſet, & eſſet: quinimmò præfatam commutationem, tranſlationem, ſeù diſſolutionem revocantes, ipſum Concilium Baſileenſe, purè, ſimpliciter, cum effectu, ac omni charitate amplectimur. Ita tamen, quod Præſidentes noſtri ad præfati Concilii præſidentiam admittentur cum effectu, ac omnia ſingula contrà Perſonam, autboritatem, ac libertatem noſtram, & Sedis Apoſtolicæ &c. in dicti Concilii facta, ac geſta ſunt per dictum Concilium priùs omnivò tollantur, & in priſtinum ſtatum reducantur.* Et animadvertere oportet modum loquendi in ea Eugeniana Bulla. Nimirum inconſtantiæ argui non debere Pontifices, ſi quæ antea placuerant, poſtmodum, ob temporum varietatem revocentur; id tamen quoad jura humana; ideſt, quoad leges Eccleſiaſticas, per eaſdem enim cauſas, per quas res naſcitur, poteſt ipſa diſsolvi, juxtà commune juris effatum; non ità quoad fidem ſemel Oraculo Pontificio definitam; ideoque id quod unus Pontifex tàm extrà, quàm intrà Concilium, tanquam fidei articulum definivit, nec ipſe definita, nec ſucceſsores ejus, variare poſsunt; poſsunt tamen illius verum ſenſum interpretari: quod quidem non eſt fidem deſtruere, ſicut non adverſatur fidei Pontifex, qui Sacram Scripturam in vero, germanoque ſenſu exponit, ac interpretatur; juxtà claves ſcientiæ illis pro neceſsario, ſuavique Eccleſiæ ſuæ moderamine à Chriſto ſervatore optimo liberaliter conceſsas.

89. Ex quibus manifeſtè patet, quàm immeritò author iſte Pontifices, contra Pontifices obiiceret falsò exiſtimans ex ipſorum confeſſione infallibilem Romanæ Sedis authoritatem convelli, collidique. Nam ex dictis liquidò conſtat nunquàm eos Pontifices confeſsos eſse, poſse ſe errare in quæſtionibus fidem ſpectantibus: optimè enim ſciebant ſuppoſita Chriſti infallibili promiſſione, errores pro tota Eccleſia definire illis prorſus impoſſibile fore; quamvis in aliis rebus fidem non reſpicientibus, tanquàm homines erroribus obnoxii, in multos poſſint errores collabi; & de hoc tantùm intelligenda eſt eorum confeſſio; qua ſuam agnoſcentes fragilitatem, errare ſe poſse fatentur.

SECTIO VII.

Refellitur Dupini probatio Sophiſtica, ineptaque ex Conciliis falsò deducta.

90. Dupinus tomo de antiqua Eccleſiæ diſciplina Diſsertat. 5. §. 6. hæc habet: *Ad reiciendam Romani Pontificis autboritatem nibil clarius, nibil apertiùs eſt, quam Concilii Baſileenſis Sanctio, quæ ſic ſe babet in Epiſtola Synodali tom. 12. Concil. collat. 682. Si Eccleſia errare poſſit, cum certum ſit Papam errare poſſe, tunc & Papâ, & reliquo toto corpore errantibus, tota erraret Eccleſia, quod eſſe non poteſt: experientia enim demonſtrat: quia ſæpè experti ſumus, & legimus Papam, licet caput, & principalem partem erraſſe, reliquum autem corpus, Papâ errante, erraſſe nunquam legimus: propterea reliquum ſæpè totum corpus condemnavit, aut excommunicavit, aut depoſuit Papam tam ratione fidei, quam morum.* Et addit Dupinus

nus audacter, ac imperitè: *Hæc eſt definitio Concilii Generalis, & approbati à Pontifice. Nam Baſileenſe Concilium approbavit, & Oecumenicum eſſe declaravit Eugenius Quartus in Bulla, quæ lecta eſt* ſeſt. 14. ibi. *Decernimus*, inquit, *& declaramus præfatum Concilium Generale Baſileenſe, à tempore prædictæ inchoationis ſuæ legitimè continuatum fuiſſe, & eſſe.*

91. Ego quæro ex iſto Authore, cur ſequentia Eugenii verba in ea Epiſtola non allegavit? Si non legit, negligens fuit; ſi legit, & tamen omiſit, parùm ſyncerè ſe geſſit, & rudes, ac imperitos voluit decipere, non inſtruere. Qui approbavit Concilium, quoad unum, & reprobavit quoad alia; omnia in Concilio geſta, & acta, probaſse cenſebitur? Ecce verba Bullæ. *Decernimus legitimè continuatum fuiſſe, & eſſe.* Et mox ſubjungit Eugenius. *Ita tamen, quod Præſidentes noſtri, ad præfati Concilii præſidentiam admittantur, cum effectu, ac omnia, ſingula, contra Perſonam, authoritatem, ac libertatem noſtram, & Sedis Apoſtolicæ indicti Concilii facta, ac geſta ſunt per dictum Concilium, omninò tollantur, & in priſtinum ſtatum reducantur.* Eugeniuſne approbavit Concilium evertens Pontificis authoritatem, cum illud tantùm approbat; dummodò quæ contra Pontificis authoritatem ſunt à Concilio geſta, omninò tollantur? Non admittit Concilium illud præſidentes Pontificis, ſed ſe ipſum facit Præſidens, ut caput, erigitque ſupra eos Præſidentes, & ſuper Papam ſuperiorum Tribunal, & approbari dicitur ab Eugenio Pontifice, qui ſtatuit, ſe non aliter illud approbare Concilium, niſi cum effectu Præſidentes Pontificis ad Concilii præfati præſidentiam admittantur? Cur tacuit Dupinus poſteà ſequutas Bullas Eugenii, qui ut vidit effrenatam ſuperbiam, tumidamque elationem Concilii, jam redditi Conciliabuli contra ſuum legitimum Papam, & indubitatum Chriſti Vicarium, quaſi Dæmonem ſuper ſolium Altiſſimi audentem aſcendere toties reprobavit, anathematizavit, proſcripſit, execratus eſt? Qui Conciliabulum illud improbat, proſcribit, execratur, approbare illud dicetur? Nonnè major pars Epiſcoporum, vel ferè omnes Epiſcopi, Cardinales, pluresque alii ſuæ jam temeritatis conſcii, ſalutares Eugenii partes ſunt, re melius cogitata, ſecuti? Nonne alii, veritate comperta, errorem ſuum retractavere? Nonne Concilium illud jam Conciliabulum factum, ſaltem quoad eam, quæ Pontificem tangit, partem, in fumos abiit? Et bene apparuit Concilium illud poſtquã à ſuo legitimo capite defecit, Diaboli, non Spiritus Sancti organum fuiſſe: & in illa, ut ſic dicam, Pſeudo definitione plures eructavit errores, mendaciaque, ut non à Patre luminum, qui dat omnibus ſapientiam; ſed à Patre mendacii diabolo in hac parte Pontificem tangente, manere doctrina illa videatur.

92. Errores iſtius Conciliabuli vide ſupra ab Authoribus per me citatis recenſitos; hic ſolum obſervandum duxi defectus iſtius falſæ definitionis. Primo, certò ſtatuit Papam errare poſſe, etiam ut caput, & ut ex cathedra loquẽtem, & hoc Sacris Canonibus ſupra ponderatis, & Conciliorum Decretis omnino adverſatur. Secundo, reliquum Eccleſiæ corpus, ut ſejunctum à Papa nunquam erraſſe; & ipſum Papam ſæpius in errorem collapſum fuiſſe; etiam pro Cathedra definientem; ſi enim ibi ſolum loquatur de errore hominis, ut Doctoris privati, inſtitutum non conficiebat, & utrumque Concilii dictum non continet veritatem, Non primum, quia reliquum corpus Eccleſiæ, ut à Papa abjunctum ſi conſideretur coactum in Cõcilium etiam Univerſale, ſæpius erravit, ut patet ex multis Conciliis, de quibus ſupra conſtat erraviſſe; ſi verò conſideretur Eccleſia diſperſa, quanti errores viſi ſunt in Germania, Gallia, Hiſpania, Anglia, Scotia, & in aliis totius Mundi Provinciis; quo pacto igitur verè dici poteſt reliquum Eccleſiæ corpus nunquam erraſſe? Quod ſi per reliquum corpus Romana Eccleſia eſſe intelligatur; illam nunquam erraſſe fatemur; at quæ eſt Eccleſia Romana, ſi à Romano Pontifice ſit disjuncta? per quid dignoſcetur eſſe Romana, niſi per ſubjectionem, ſubordinationemque ad Antiſtitem Romanum? Solus ne Clerus Romanus

manus à Pontifice abjunctus Romanam Eccleſiam conſtituet? huic Clero abſque Pontifice promiſit Deus infallibilitatē? Igitur, ſi reliquum corpus ad ſupremū hoc caput non ſubordinatur, Eccleſia Catholica dici non valet. Quomodo ergo dicit Baſileenſe Concilium reliquū corpus à Papa disjunctum nunquam erraſſe, nec errare poſſe; ſi disjunctum à Papa Catholica Eccleſia non eſt? numquid Eccleſiæ non Catholicæ privilegiū non errandi fuit divino jure conceſſum? Ex his ergo manifeſtè evincitur Baſileenſe Concilium in illa ſua definitione prorſus erraſſe. Ductum ne Concilium ſpiritu erroris, dici poteſt duci ſpiritu veritatis? Ecce quomodo Dupinus hoc hæreticum Conciliabulum nobis apponit contra tot legitima, & Oecumenica Concilia, quæ ſupra pro noſtra veritate toties allegavimus.

93. Addit præterea Dupinus Nicolaum V. Pontificem Maximum Eugenii Succeſſorem Concilium Baſileenſe, quo ad omnia facta, geſta, conceſſa, data, indulta, diſpoſita, & ordinata ſimpliciter approbaſſe, ut videre eſt in tom. 12. Conciliorum col. 665. *Ergo*, inquit, *non eſt, quod reſpondeant Adverſarii hanc Epiſtolam Synodalem Concilii non fuiſſe à Romanis Pontificibus approbatam: cum autem in ea Epiſtola Concilii Baſileenſis definiatur Pontificem Romanum in definiendis rebus fidei non habere infallibilem authoritatem aſcribere; ſequitur &c.*

94. Reſp. Hunc hominem videri de induſtria errare velle, vel doloſè audere imperitos fucatæ quadam ſapientiæ larva decipere: legas, quæſo, attentè, ſeduloque Nicolai Bullam, & manifeſtè videbis iſtius Authoris mendacium, calumniamque in ſapientiſſimi, ſanctiſſimique Pontificis Nicolai Bullam, in quo prudens ille Antiſtes tot inter fideles prælia videns, ac diſſidia ſuper beneficiorum collationes, conceſſioneſque privilegiorum, præſentationes, aliaſque facti diſpoſitiones à Conciliabulo illo Baſileenſi, Antipapaque Amadeo dicto Felice V. expeditas, pro bono pacis, ut ipſe Pontifex ait, eas omnes diſpoſitiones, alias nullius valoris, ratas habet, confirmat, & approbat, & ſubjungit Pontifex Nicolaus. *Verum ſi in obedientia prædictorum tunc nuncupati Felicis, & illorum, qui Baſileæ, & Lauſaniæ ſub nomine Generalis Concilii tunc permanſerunt, duo, vel plures ſuper uno, vel pluribus beneficiis litigarent poſſeſſio non poſſidenti, non afferat præjudicium &c.* Approbat ne Nicolaus Concilium, quod ipſe Conciliabulum eſſe profitetur? Judicat ne ab illo Conciliabulo Papam Eugenium legitimum, & indubitatū Chriſti Vicarium legitimè fuiſſe depoſitum; qui ab eodem Conciliabulo electum Amadeum Antipapam eſſe declarat? ſi Nicolaus confirmat, roboratq; hac ſua Bulla diſpoſitiones omnes Concilii Baſileenſis, cur non agnoſcit Eugenium fuiſse legitimè depoſitum, & Amadæum legitimē electum? an ne, quia Nicolaus pro communi pacis bono diſpoſitiones facti approbat in eo Conciliabulo, iniqui juris diſpoſitiones, falſaſque ſanctiones, & injurioſa Sedi Apoſtolicæ Decreta, audaciſque Conciliabuli tentamenta comprobare cenſebitur? Igitur Nicolaus potiùs in ea Bulla geſta, factaque ab eo Conciliabulo contra Pontificem improbavit, quàm approbaverit. Unde Dupinus illo ipſo Bullæ mucrone ſe jugulavit; quo Sedis Apoſtolicæ Romanique Pontificis infallibilem authoritatē convellere conabatur. Erubeſcat igitur, dum ſuorum molem ſophiſmatum ſubitò collapſuram mobili ſuper arena fundare contendit.

95. Denique nititur Author iſte ſuā Sedi Apoſtolicæ noxiam fundare ſententiam Sacroſancti, Venerabiliſque Conſtantienſis Concilii teſtimonio: quod videtur definire in rebus fidei Concilio Papam eſſe ſubiiciendum. Sed quia jam ſupra declaravimus, in quo ſenſu Concilium loqueretur; nihil ad noſtram quæſtionem faciente, de Papa indubitato, & præſertim, quia de Actis Concilii Conſtantienſis diſceptationem ſpecialem jam ſupra intexuimus, idcirco hîc id omittendum eſſe duximus.

S E-

SECTIO VIII.

Refelluntur authoritates Academiarum, quas contra Pontificiam authoritatem, infallibilitatemque refert Dupinus.

96. IN primis allegat pro ſe Pariſienſem Academiam, quæ anno 1303. Philippo Pulchro Conſulenti. Primo reſpondit licitum eſse à Bonifacii VIII. ſententia ad Concilium generale appellare. Secundò cenſuit anno 1333. ſub Philippo Valerio Joannis XXII. ſententiam de ſtatu animarum eſse reiiciendam. Tertiò in Concilio Piſano anno 1409. ubi nomine Academiæ Pariſienſis, Andegavenſis, & Toloſanæ refertur Doctorem Gallum aſſeruiſse Petrum de Luna hæreticum eſse. Quarto in Cauſa Monteſoni Dominicani, qui cum à Cenſura Facultatis anno 1387. in ipſum latâ appellaſset, hoc fundamento, quod ſolus Papa de fide, & doctrina judicare poſset, in actis, quæ Facultas ad Cenſuræ ſuæ defenſionem confecit, reſpondit in cauſis fidei licitè ad Concilium appellari poſse, ibi. *Secunda pars,* inquit, *illius dicti, quod, ſcilicet, ad Summum Pontificem pertinet, eorum, quæ tangunt fidem examinatio, & deciſio, continet manifeſtam hæreſim; imo multas hæreſes. Prima hæreſis: quia per illam excluſionem excluditur Univerſalis Eccleſia, & generale Concilium eam repræſentans, quod eſt hæreticum: quia in cauſis fidei à Summo Pontifice appellari poteſt ad Concilium, ſicut patet in diſtinct.*19. cap. *Anaſtaſius: & manifeſtum eſt, quod ad ipſum pertinet Concilium res fidei definire, ſicut patet ex Authoritate Gregorii,* cap. *Sicut.* 15. diſtinct.

97. Hæc, inquit, ex manuſcripto Codice Collegii Navarrici in Urbe Pariſienſi. Hæc ſcribit Dupinus. Quaſi foret hoc Collegium Sacrum aliquod Oraculum Divini Numinis, vel Apoſtolicæ Sedis Vaticanum. Sed ut incipiamus, à primo, quæro, an Chriſtus, ſicut Petro, ejuſque Succeſsoribus infallibilem DiviniNuminis aſſiſtentiam in definiendis fidei articulis, nè erraret, promiſit; ita etiam id ipſum Academiæ promiſerit Pariſienſi? oſtendat aliquod Sacræ paginæ teſtimonium; aliqua Conciliorum Decreta, ſacrum aliquem Canonem; ſicut pro noſtra nos veritate ſupra copioſiùs demonſtravimus. Facultas ne illa Pariſienſis prorſus eſt erroris expers, & immunis? Ejus tanta æſtimatur authoritas, ut contra Sacram Scripturam, Sanctorum Patrum interpretationibus, validiſſimiſque teſtimoniis illuſtratam, roboratamque contra producta Conciliorum Decreta, contra inconcuſsos Sacri juris Canones, à nobis in medium allatos, valeat prævalere? An antiqua ſapientiſſimorum hominum, illuſtriumque Doctorum Accademiæ Pariſienſis, ſemper pro noſtra non ſtetit veritate? Errarunt ne antiqui Viri illi religioſiſſimi, ſapientiſſimique, qui blandienti ſine palpo, ſine turbatæ mentis paſſione ducti; moderni verò, recenteſque Pariſienſes palpo, & paſſione commoti, veritatis ſcopum feliciter collimarunt? Veteres veritatis amatores amplecti verentur; Palpatoribus adhærere non erubeſcunt? Et ſatis de hoc primo jaculo, quod quam imbelle, & ſine ictu ſit, quis eſt, qui non videat? Secundum, & tertium Dupini objectum non venit ad rem, & à ſcopo noſtræ quæſtionis aberrat: nam noſtræ quæſtionis cardo in eo conſiſtit. Utrum errare poſſit Pontifex definiendo pro Cathedra, non verò agitatur controverſia noſtra de privati Hominis errore. Et ſic tota lis eſt de errore, ut ſic dicam, Cathedrali, non de Perſonali. Numquid probat hic Author, Joannem XXII. illum errorem definiiſse? Certè prout ſupra vidimus, ex ipſis met Adverſariis eam præfatam de ſtatu Animarum ſententiam, tanquam opinionem, & non tamquam fidei articulum propoſuiſse, liquidò patet: an ne qui opinatur, definit? qui permittit, ut quis unam, vel alteram amplectatur partem, decernit, tamquam articulum fidei; quæ nunquam adverſæ Partis probabilitatem finit? Deinde quod ipſe affert exemplum de Petro de Luna Papa dubio (erant enim tunc tres Pontifices dubii)

cum

cum noſtra quæſtio dumtaxat de Papa indubitato procedat?

98. Quartum objectum ſatis oſtendit facultatem illam Pariſienſem parum diligentiæ in exploranda veritate de illo capite, Anaſtaſius 19. diſt. exhibuiſſe, in quo manifeſtè conſtat erraſſe Gratianum ficut, & in cap. Dictum 1. q. 1. dum Anaſtaſio Sanctiſſimo Pontifici graviſſimum crimen falsò imponit; quòd, ſcilicet Achajum Hæreticum à Felice III. meritò damnatum revocare voluerit Photino, qui eidem Achajo communicaverat. Conſtat enim in primis Achajum vivente Felice obiiſſe diem; ut ex Nicephoro, & aliis probant Authores, ſtatim referendi. Felici ſucceſſiſſe Gelaſium, Gelaſio autem poſt annos ſex Anaſtaſium, conſtat ex 1. tom. Concil. pag. 958. cum ſeqq. Potuit ne Anaſtaſius ſuadere Photino, ut communicaret Achajo vivo; qui Achajus tempore Anaſtaſii multis ab hinc annis mortem ſubjverat? Præterea ex Epiſt. 1. ejuſdem Anaſtaſii ad Imperatorem Anaſtaſium; conſtat minimè Anaſtaſium Pontificem Achaii erroribus conſenſiſſe: Imò multis efficacibus rationibus oſtendit Anaſtaſius in eadem Epiſtola Imperatori Achajum defendenti, ipſum juſtiſſimè damnatum ob graves, & intolerabiles exceſſus. Propugnat ne, & fovet Anaſtaſius hominem, quem juſtiſſimè fuiſſe damnatum, contendit? Et ideò meritò contra Gratianum in hac parte excandeſcunt Albertin. Pigh. de Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 8. & ex profeſſo Covar. lib. 4. variar. cap. 13. per totum; & multis adductis, Cened. Collect. ad Decretum Collectaneo 16. num. 1. Bellarm. tom. 1. de Rom. Pontifice lib. 4. c. 10. & 19. Melch. Can. de locis Theolog. lib. 6. cap. 1. ſeſs. 9. Merl. Empor. Juris tit. de legib. q. 3. num. 3. Soar. de legib. lib. 4. cap. 5. nu. 15. Auguſt. Barb. Collect. in Decretum p. 1. diſt. 19. in d. cap. Anaſtaſius diſt. 19. Ecce quo nititur fundamento Dupinus errore, ſcilicet, jam detecto Gratiani, cui ſi fuit inculpabilis, quando res ſub umbra latebat; Jam tot ſyderum luce patefacta veritate, quo pacto culpabilis erroris notam poſſit effugere, qui contempta luce veritatis, erroris tenebras amplectetur? Nonne illi Authori glorioſius foret, ſi veritate armatus, Authoritatem Chriſti Vicarij propugnare, quàm convellere moliretur?

99. At dices, Gratianum ſecuti ſunt Platina, Volaterrano, & Turrecremata apud Auguſt. Barboſa cit. Reſp. his Authoribus vitio non eſſe vertendum, ſequendo Gratianum, de quo non erraſſe tunc præſumebatur: at poſtquam detectus error eſt, ſequi errantem error eſt pejor priore, à quo Dupinus excuſari minimè poteſt. Immò concedamus illi erraſſe Anaſtaſium de Achaii reſtitutione cogitantem; textum illum ab hoc Authore pro ſe adductum ad propoſitum argumentum non conducere, manifeſtum eſt: ac proinde non contra nos, verum contra ipſum probat. Nos propugnamus, non poſſe Pontificem errare, non utcumque, ſed in definiendo res fidei: vos ex illo Textu ſolum evincitis, eum poſſe errare, ſed minimè probatis errare poſſe in definiendo: ergo ex illo Textu etiam admiſſo, ut vero, nihil contra nos, ſed potiùs contra vos poteſt deduci; nam in dict. cap. Anaſtaſius, ita ait Textus, *& quia voluit occultè revocare Achajum nutu divino percuſſus eſt*. Ex quo citati ſupra Doctores, & Baron. Annalium tom. 6. ad annum 497. ut certiſſimum deducunt, Deum priùs facturum, ut Papa moriatur; quam definiat falſum. Siquidem Anaſtaſius etiam admiſſa hiſtoria illa Adverſariorum volens definire, approbareque ex Cathedra Doctrinam illam falſam, Deus id non permiſit; ſed illum priùs vita privavit. Cur ergo Deus eum volentem definire illum errorem priùs morte percuſſit, niſi quia error Pontificis, quoad definiendum res fidei à Deo nunquam permittetur? Igitur Textus ab Adverſario contra nos allegatus, in ipſum Adverſarium retorquetur.

100. Sed videamus, quo pacto poſſit eſſe verum, id, quod Pariſienſis Facultas adverſus Religioſum illum Dominicanum pro Authoritate Romani Pontificis pugnantem decidit: ſi enim Religioſus ille aſſeruit, (quod aſſeruiſſe non credo) ſolum Papam poſſe definire de fide, neutiquam verò Concilium Univerſa-

verſale, & legitum Papæ unitum de fide definire poſſe, hoc hæreticum eſt; quia de fide eſt Concilium Oecumenicum Papæ unitum poſſe definire; ut conſtat ex multis definitionibus factis in Conciliis à Summo Pontifice approbatis: cœterum ſi Facultas illa Pariſienſis decidit Concilium ſine Papa definire poſſe de fide; quomodo poteſt eſſe verum; cum Concilium, ſine capite ſuo Concilium non ſit: unde in caſu, quo illud Concilium abſque Papa verum pronuntiaſſet, eſſet quoddam aſſertum magnæ authoritatis, ſed non articulus fidei, Papæ approbatione non accedente; & in hoc ſenſu loquens præfatus Dominicanus, immeritò fuit ab illa Facultate Pariſienſi reprobatus; cùm ſe cum Sacris Canonibus, Conciliorum Decretis, & Pontificum Decretalibus optimè conformaverit, prout jam ſupra comprobavimus.

101. Ex quo etiam ſequitur primò ineptè intuliſſe Facultatem illam ex cap. Anaſtaſius poſſe à Papa ad Concilium provocari: nam ſi Papa ille fuit hæreticus (quod non credimus) jam deſiit eſſe Papa, probata hæreſi manifeſta juxta ea, quæ infra ſuo loco dicemus: poteſt ne igitur dari appellatio à Papa ad Concilium, quando jam non eſt Papa, à quo appellatur? Itaque ſi Papa manifeſtè, & indubitabiliter, pertinaciterque ſit hæreticus; jam depoſitus immediatè eſt à Chriſto, & remanet ut privatus homo, & Sedes vacat; quid mirum igitur, ſi verum fuiſſet Anaſtaſium in hæreſim pertinaciter fuiſſe prolapſum; quod tunc temporis congregaretur Epiſcoporum conventus, ut malo illi graviſſimo remedium adhiberetur? hoc ne fuit à Papa ad Concilium provocari? ergo ex illo Textu ineptè infertur in rebus fidem ſpectantibus à Papa ad Concilium appellari poſſe.

102. Sequitur ſecundo abs re quidem allegari per Adverſarium caput illud, *Sicut*, diſt. 15. ubi S.Gregorius ait: *Se ſicut quatuor Euangelii libros, ſic ſuſcipere, venerarique quatuor Generalia Concilia, ſcilicet, Nicænum, in quo perverſum Arii dogma deſtruitur, Conſtantinopolitanum quoque, in quo Eunomii, & Macedonii error convincitur; Epheſinum etiam primum, in quo Neſtorii impietas judicatur, Chalcedonenſe vero, in quo Eutychetis, & Dioſcori pravitas eſt reprobata*; verba Gregorii ſunt hæc: *Hæc tota devotione amplector, & integerrima approbatione cuſtodio: quia in his velut in quadrato lapide ſanctæ fidei ſtructura conſurgit, & cujuslibet vitæ communis, atque actionis norma conſiſtit*. Hucuſque D.Gregorius. Sed quid hæc ad Papæ authoritatem conterendā præſtare poſſunt? *An ne quiquam noſtræ veritatis aſſertores negant Pontifices Romanos Concilia Oecumenica ab iiſdem approbata, ſtabilitaque ſumma reverentia colere, venerarique debere? illorum Canones, Decreta, definitioneſque, quando legitima ſunt, & ab iiſdem comprobata contemnunt? non complectuntur? non reverentur? à ſe, & ab omnibus obſervari non enituntur? an ne, quia Concilium Oecumenicum à Sacro Vaticano ſtabilitum, divini Numinis eſt organum, idem Vaticani oraculum ejuſdem Divini Numinis organum, & tuba eſſe deſinet?*

103. Si tam Concilii capiti ſuo Petro, ejuſque Succeſſoribus uniti, quàm Petri, ejuſque Succeſſorum Pontificum Romanorum infallibilem, indeficientemque authoritatem Sacra Scriptura commendat, juxta illud, *Ille vos docebit, ſuggeret vobis omnia*; *ubicumque fuerint congregati in nomine meo, ibi ſum ego*, & juxta illud, *Confirma fratres tuos, ne deficiat fides tua, tu es Petrus, ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Cur credemus Sacræ Scripturæ ad aſcribendam authoritatem Concilio, & eidem Sacræ Scripturæ ad aſcribendam Pontifici authoritatem non credemus? quî fieri poteſt, ut Spiritus Sanctus, qui per Sacram loquitur Scripturam, quoad Concilium vera, quo ad Pontificem falſa loquatur?

104. Sequitur tertio, non bene ſe geſſiſſe Authorem gloſſæ in d. cap. Anaſtaſius diſt. 19. v. Concilio, ubi ſic ait: *Videtur ergo, quod Papa tenetur requirere Concilium Epiſcoporum, quod verum eſt, ubi de fide agitur: & tunc Synodus major eſt Papa: & probat hoc ex dicto cap. Sicut*, diſt. 15. & argumento cap. *Legimus*.

Digitized by Google

mus, 93. diſt. huic prædictæ gloſſæ authori erroris anſam præbuere verba malè à ſe intellecta Textus in dicto cap. Sicut. fine, ibi. *Dum univerſali ſunt conſtituta conſenſu, ſe, & non illa deſtruit, quiſquis præſumit abſolvere, quos* (Concilia) *ligant, aut religare, quos abſolvunt*, & malè intellecta verba alterius Textus in dicto cap. *Legimus*. diſt. 93. ibi. *Si authoritas quæritur, orbis major eſt Urbe*. Quo ad primum advertere, ſeduloque cogitare debuerat mentem, & verborum ſenſum Pontificis longè eſſe diverſum; videlicet, quòd Papa, quæ in Concilio Univerſali ſunt definita de fide, accedente Papæ approbatione, non poſſit ipſe diſſolvere. Verùm quis rectè deducat: Papa non poteſt, quæ à Concilio à ſe approbato ſunt definita de fide, diſſolvere: ergo Concilium eſt majus Papa? an quia, quæ Concilium à Papa approbatum definivit de fide, non poſſit idemmet Concilium diſſolvere; indè rectè deduces Concilium eſſe majus ſe? & pariter, quia, quæ unus Papa pro Cathedra definivit de fide, non poſſit alius Papa diſſolvere, rectè indè colliges unũ Papam alio Papa majorem eſſe? Quoad ſecundum Textum, quis unquam negauit totum orbem (ſi de majoritate, ut ſic dicam extenſiva loquamur) eſſe imperiali Urbe majorem? an verò exinde colliges ſupremum Imperatorem totius orbis eidem toti orbi non eminere, præeſſeque, dum conflatum ex Divinitate, & tribus Hypoſtaſibus eſt quodammodo extenſivè majus ſola Divinitate, quę intenſivè trium Perſonarum perfectiones complectitur, dicetur ne Divinitatem tribus eſſe Perſonis inferiorem? Licet ergo conflatum ex Papa, & univerſo fidelium, Epiſcoporumque conventu majus ſit extenſivè ſolo Papa, quis, dum eadem virtus Spiritus Sancti ad decernendum verum eſt in ſolo Papa ex Cathedra loquenti, atque in conflato ex Papa, & Concilio, dicere jure poſſit, in jure definiendi Papam inferiorem eſſe Concilio? Sicut ergo credimus conflatum ex Deo, & perſonis non eſſe intenſivè majus Deo; ita conflatum ex Concilio (quod ſine Papa capite ſuo imperfectum eſt) & ex Papa non eſſe ipſo Papa intenſivè majus intelligere debemus.

105. Ex his facilè diluentur objecta, quæ ulterius ex ſua Pariſienſi, quam vocat, Facultate, & Academia Gallicana, & ex aliis nobis opponit. Primum objectum ſic habet: in citato loco §. 7. pag. 362. fine. *Sic cenſuit* (Academia Pariſienſis) *in cauſa Saraceni ex Ordine Prædicatorum Monachi; qui cum in actu Veſperiarum hanc propoſitionem in theſi inſeruiſſet. Quandocumque in alio Concilio aliqua inſtituuntur, tota authoritas dans vigorem Statutis in ſolo ſummo reſidet Pontifice. Facultas hanc propoſitionem velut erroneam ab ipſo revocari voluit anno* 1429. *contraria hac propoſitione aſſerta: Quandocumque in aliquo Concilio aliqua inſtituuntur, tota authoritas dans vigorem ſtatutis reſidet non in ſolo Summo Pontifice, ſed principaliter in Spiritu Sancto, & in Eccleſia Catbolica*. Ego quidem de illa prima Dominicani propoſitione à Facultate Pariſienſi damnata, ut erronea; & de illa alia propoſitione contraria ab eadem Facultate, ut Catholica aſſerta nolo ferre judicium; ſed tantum quæro ex Dupino, qui ſe Pariſienſem Doctorem profitetur, an illa Facultas habeat à Deo facultatem aliquam, authoritatem, & privilegium à jure Divino ad declarandas authenticè propoſitiones hæreticas, erroneas, aut Catholicas eſſe? Certè mihi reſpondebit, ſi Theologus eſt, non habere, ſed id tantum, ut ſic dicam, doctrinaliter fieri; nec exui illius pronuntiatæ ſententiæ quicquam vigoris ineſſe præfatis propoſitionibus à ſe judicatis, niſi eam duntaxat authoritatem, quæ inter cancellos privati cujuſque Doctoris poſſit concludi. An ne ergo nobis perſuadere poterit Dupin. debere nos potiùs credere ſuæ facultati minoris authoritatis, quã Sacris Canonibus authoritatis plus habentibus, in quibus prout ſupra vidimus expreſsè habetur Concilia etiam generalia Romani Pontificis præſidio, authoritate, conſenſuque viduata nihil roboris obtinere? erit ne judicanda tanquam erronea propoſitio, quæ Sacris

Mm 2 eſt

eſt Canonibus conformis? erit Catholica, quæ illis maximè adverſatur?

106. Sed jam ad trutinam reducamus illam præfatæ facultatis propoſitionem. *Quandocunque in aliquo Concilio aliqua inſtituuntur, tota authoritas dans vigorem ſtatutis reſidet, non in ſolo Pontifice Summo, ſed principaliter in Spiritu Sancto, & in Eccleſia Catholica.* Hæc propoſitio duos poteſt ſenſus complecti. Primus eſt, ſi authoritas decretis, & ſtatutis vigorem præbens inſit quidem Pontifici Maximo, ſed ut etiam ſit in Eccleſia, & principaliter in Spiritu Sancto. Secundus ſenſus, ut nullo modo ſit in Pontifice Maximo, niſi ſimul cum Eccleſia Catholica; ita ut ſi Eccleſia, vel Concilium nolit; Pontifex Maximus nihil poſſit decernere, vel ſtatuere. Quo ad primum ſenſum nobis ea Facultas Pariſienſis non officit; nec author iſte illo nos jaculo percellit: nam qui Papæ infallibilem authoritatem aſcribit; negat ne illam Eccleſiæ Catholicæ ſuo Supremo capiti colligatæ? Nonne, ſicut membra Chriſti phyſica phyſico Chriſti Spiritu viuunt, ita Myſtica Chriſti membra, fideles, ſive fidelium cœtus eodem Chriſti vigore myſticè debeant animari? negare quis poterit, dum infallibilitas ineſt præcipuæ parti, capiti totius corporis Eccleſiaſtici Catholici, eandem Catholicæ Eccleſiæ in eſſe debere? quid enim eſt Catholicus cœtus, niſi Chriſti Servatoris Aſſeclæ Romano Pontifici colligati? Nullus igitur ibit inficias, Catholico cœtui, (qui quidem idcircò Catholicus eſt, quia Romanæ adhæret Sedi, ut Sacri juris ſupra relata clamant Decreta) Infallibilitatem ineſſe; dum ejus capiti, ſine quo vivere nequit infallibilitas ineſt? ac pro inde primus ille ſenſus propoſitionis à Facultate Pariſienſi conſtitutæ nobis nō adverſatur, nec eſt cur illam in hoc ſenſu facultatis propoſitionem nobis Dupinus opponat.

107. In altero autem ſenſu non poteſt non nobis adverſari, cum Sacris Canonibus adverſetur; hoc ſatis à nobis manet comprobatum ſupra Diſceptat. 2. per totam, & Diſceptat. 4. ſect. 1. Unde hic ſolum dico; ſi propoſitio illa in hoc ſecundo ſenſu vera eſſet; Religio Chriſtiana nullam firmitatis, & infallibilitatis regulam haberet, nec Chriſtus Eccleſiæ ſuæ ſatis providiſſet. Nam ſi dependenter ab Eccleſia diviſa à capite, ut ſupponitur, tantum poſſet Pontifex definire; in caſu aliquo dubio Eccleſia repugnante, quis dirimeret controverſiam? Quis diſſidium componeret? Quis fluctuantes hinc, inde fideles pacaret? Non Pontifex, ut ipſa Facultas Pariſienſis contendit; Non ipſe fidelium cœtus; quia ſupponitur inter ſe diſſidere: ergo nulla foret regula certa; Chriſtuſque in hoc ſuæ Eccleſiæ providentiam non haberet.

Dices Spiritum Sanctum facturum tunc ut Eccleſia verum amplecteretur; Papa etiam obluctante; ſed hæc ſolutio jam ſupra manet impugnata: & deinde dico; unde dignoſceretur Spiritus Sancti eſſe Eccleſia, ſi à ſuo capite, petraque fundamentali eſſet disjuncta; illi ne ut à ſuo capite abjunctæ Deus promiſit infallibilem aſſiſtentiam; & non potiùs Petro, ejuſque Succeſſoribus Pontificibus Romanis? An dictum eſt Petro. confirment te fratres tui, & non potius confirmatu fratres tuos? An ne Eccleſiæ dictum eſt; ego rogavi pro vobis; ut nō deficiat fides veſtra? prout ſupra hos Textus vidimus à Sanctis Patribus expoſitos? An viſus unquam Pontifex aliquis Romanus errorem aliquem pro toto fidelium cœtu definire (quidquid ſit de Pontificibus, ut privatis Doctoribus ſpectatis) definientibus toties generalibus etiam Conciliis (prout ſupra vidimus) tot errores à Romana Sede poſtea correctos.

108. Secundum quod nobis obiicit, eſt quod prædicta Pariſienſis Academia in articulis contra Lutheranos conſtituit: & ſic habet in art. 18. *Tenetur, & quilibet Chriſtianus firmiter credere unā eſſe in terris univerſalem Eccleſiam viſibilem, quæ in fide, & moribus errare non poteſt; cui omnes fideles in iis, quæ ſunt fidei, & morum obedire aſtringuntur*, & art. 12. *Quod ſi quis in Scripturis Sacris controverſiæ, aut dubii oriatur, ad præfatam Eccleſiam definire, & determinare ſpectat*, & art. 12. *Certum eſt Concilium*

Gene-

Generale legitimè congregatum univerſam repræſentans Eccleſiam in fidei, & morum definitionibus errare non poſſe; *de Pontifice verò Romano nihil ſimile ait*; *ſed hoc tantum*, art. 22. *Nec minus certum eſſe de jure divino ſummum in Eccleſia Chriſti militante Pontificem, cui omnes Chriſtiani parere tenentur, qui quidem poteſtatem habet indulgentias conferendi &c.* Ego hic nunc nolo ſingula iſtorum articulorum verba diſtringere, nec improbare, nec probare: cæterum quæro ex hoc Authore, qui prædictos articulos in medium profert; de qua Eccleſia viſibili profatur? de Acephala? de diviſa à ſuo capite? aut de cœtu fidelium Romano Pontifici, ejuſque Apoſtolicæ Cathedræ adhærenti? ſi de diviſa, & Acephala caput ſuum renuente, vehementer errat, ſiquidem probatum eſt tot Concilia etiam univerſalia à Pontifice Romano diviſa in multos ſæpius errores fuiſſe prolapſa. Si de fidelium cœtu capiti ſuo Pontifici Romano adhærenti in hoc, nobiſcum ſentit; ſed à quo hæc infallibilitas, & indeficientis judicii authoritas? à membris in caput; aut à capite in membra proximè derivatur? à fluvio in fontem, aut à fonte in fluvium profluxiſſe cenſebitur? à ramis in radicem; aut à radice in ramos per diſpoſitas venas diffunditur? hoc ſecundum certum eſſe credi debet: Deus enim omnia ordinatiſſimè agit. Et hoc probant jura, Concilia, Decreta, Canones Sacra Scriptura, facta ipſa, & exempla, quæ omnia ſunt à nobis ſæpius relata; & non juvat in ſingulis Controverſiæ litibus per extenſum texere.

109. Tertium, quod nobis ex eadem Pariſienſi Academia opponit, eſt cenſura quædam, quam ipſa tulit contra propoſitiones Joannis Angeli Minoritæ anno 1481. ubi damnat has propoſitiones. Primā: *Papa poſſet ab uno Eccleſiaſtico tollere medietatem redditūū beneficiorum, & uni alteri dare, non exprimendo cauſam aliquam*. Hanc propoſitionem vocat periculoſam, & nullo modò practicandam. Secundam: *Quicumque contradicit voluntati Papæ paganizat, & ſententiam excommunicationis incurrit ipſo facto*. Tertiam. *A nullo Papa reprehendendus, niſi in cauſa hæreſis*. Hanc dicit eſſe falſam, ſcandaloſam, & ſapientem hæreſim manifeſtam. Ego primam, & ſecundam Facultatis Pariſienſis Cenſuram diſcutere non laboro; non enim noſtram quæſtionem reſpiciunt; ſolum obiter quæro, quod gignatur ſcandalum, ſi legitimus Adminiſtrator bonorum aliquando ex juxta cauſa bona alteri ſuorum ſubditorum conferat; ab altero quidem auferat: licet cauſam illam juſtam, qua movetur, non exprimat? ſi juſta cauſa adeſt, quid intereſt, ea juſta cauſa exprimatur, nec nè? imo, quando de injuſta cauſa manifeſtè non conſtat, ſuperiorem juſta moveri cauſa, juxta utriuſque juris effatum ſemper eſt præſumendum: igitur ſcandalum, illud vanè conſideratum Phariſæorum quidem, non Chriſtianorum eſt. Quid ergo propoſitionem illam propter particulam (non exprimendo cauſam aliquam,) ſcandali turpitudine notatis? cur periculoſam? cur non practicandam dicitis? Quoad ſecundam Cenſuram, quæro etiam: licitum nè vobis eſſe videtur, eos, qui Regis voluntati, præceptiſque obluctantur, à Rege pœnis temporalibus plecti; eos autem, qui contumaciter obſiſtunt voluntati, præceptiſque Supremi totius Eccleſiæ moderatoris, ab eo pœnis Eccleſiaſticis puniri, illicitum eſſe judicatis?

110. Sed jam ad tertiam propoſitionem, quæ noſtram quæſtionem ſpectat à Pariſienſi Facultate, ut falſam, hæreticamve damnatam, deveniamus; in qua requiro, falſa ne ſit, & ſapiens hæreſim propoſitio, quam Sacri Canones Sacræ Scripturæ, Sanctorumque Patrum teſtimoniis roborati, Chriſtianis omnibus inculcant? Certè, ſi peritus, ſi Orthodoxus ſis, id planè negabis: Ecce jura, Decreta, Canones clamant Pontificis Romani innocentiam cœlo deberi; nec poſſe in terris ab ullo judicari, præter quam in caſu hæreſis notoriæ, in quo jam deſiit eſſe Pontifex; id demonſtravimus ſupra Diſcept. I. per totam: cui ergo credere debemus? Facultati Pariſienſi dicenti propoſitionem illam eſſe falſam, hæreſemque ſapientem; an Sacris illis Canonibus, illam eſſe veram, & Ca-

Catholicam proclamantibus? habet nè facultatem Facultas illa Pariſienſis jura, ac Decreta Patrum invertere? Canones ab Eccleſia receptos corrigere, emendare; penituſque devaſtare?

111. Quarto aſſerit prædictus Author eandem Academiam, ſeu Facultatem Pariſienſem anno 1663. cenſuiſse, Senatu Pariſienſi eam conſulente inter alias propoſitiones, Sextam, *non eſse doctrinam ſacræ Facultatis, quòd Summus Pontifex, nullo accedente Eccleſiæ conſenſu, ſit infallibilis*. *Ergo*, infert Dupinus, *eo Eccleſiæ non accedente conſenſu, Pontificem fallibilem eſſe judicavit; nullum quippè eſt inter utrumque medium*; & anno 1664. mentem ſuam clariùs aperuit in cenſura, contra Vernantium edita; in qua falſas, temerarias, ſcandaloſas, & in fide periculoſas eſse pronuntiat propoſitiones Vernantii, in quibus infallibilitatem Summi Pontificis aſserebat. Reſp. Facilè, & brevitèr Facultatem illam, ſi Pontifex, ut privatus Doctor loquatur, verum proferre, nam ut ſic errare poſse non negamus; ſi autem conſideretur, ut Doctor Eccleſiæ, & ex Cathedra definiens, directè Sacris Canonibus adverſari, ut ſuo loco vidimus, ideoque tanquàm juri Canonico, prorsùs contrariam omninò eſse reiiciendam: aliter plus illi authoritatis, quam Sacris Canonibus arrogabitur: quo quid abſurdius?

112. Denique aliarum plurium Academiarum teſtimonium producit, inter quas, dumtaxat nominat Academiam Herfodienſem, in tractatu ſuper unione, & neutralitate Principum Electorum, ubi hæc habet: *Cum Papa poſſit errare, reſiduum corpus Eccleſiæ ſynodaliter congregatum errare non poteſt. Experientia hoc ipſum demonſtrat: ſæpiùs enim compertum eſt Papam erraſſe, reſiduo corpore Eccleſiæ rectè ſentiente, Papa autem non rectè ſentiente, reſiduum totum Eccleſiæ corpus erraſse nunquam eſt compertum*. Secundam Cracovienſem anno 1441. quæ de authoritate Sacrorum Canonum ſcribens ad Uladislaum Poloniæ & Hungariæ Regem, hæc ait concluſione quarta: *Sic etiam eſt de judicio Eccleſiæ, reſpectu actionum Papæ: Quia Eccleſia numquàm deviare poteſt, aut aberrare à fide recta, Papa verò frequenter*. 19. diſt. cap. Anaſtaſius; *ideò judicium Eccleſiæ dignius eſt judicio Papæ*. Item Viennenſem, quæ in opere, quo Electorum conſultationi reſpondet, approbat Concilii Baſileenſis, & Conſtantienſis Decreta de authoritate Concilii ſupra Pontificem Romanum. *Idem*, inquit, *facit Colonienſis in tractatu de poteſtate Concilii, & Papæ ad Theodoricum Colonienſem: Idem*, inquit, *etiam cenſent aliæ quamplurimæ Academiæ, quarum teſtimonia relata ſunt à Launojo in Epiſt. ad Barilloniam*. tom. 1. Epiſt. 4.

113. His omnibus Academiis reſp. vel loqui de Papa, ut privato Doctore, & de Papa dubio, vel de Papa definiente ex Cathedra, & de Papa indubitato? Si de primo, non eſt noſtra quæſtio; ſi de ſecundo, cùm tales Academiæ Sacris Canonibus adverſentur; ut ſupra oſtendimus, ſunt omninò explodendæ, & improbandæ, & potiùs cordatioribus aliis, & multo pluribus, ac illuſtrioribus pro noſtra veritate decertantibus, & præcipuè Sacris Canonibus à nobis ſupra expenſis adhærendum eſt. Ad cap. *Anaſtaſius*, eſt ſuperiùs jam factum ſatis. De Concilio Baſileenſi jam ſupra vidimus fuiſse, & eſse ab Eccleſia reprobatum; Concilium Conſtantienſe ſolùm loquitur de Papa dubio, & de eo ut Doctore privato, non vero de Papa indubitato, ut latè ſupra eſt demonſtratum. Quare qui tam debili fundamento velut arena mobili nititur, collabi ſubitò conſpicietur. Quid autem ſit ex Cathedra definire Diſceptat. VI. ſect. 12. diſcuſſum eſt.

SECTIO IX.

Aliqua ex Theologis teſtimonia per Dupinum adducta refelluntur.

114. Conatur Dupin. opinionem ſuam innumeris, ut ipſe ait, cùm ſint pauciſſimi, Theologis roborare. Sic enim ait Diſsert. V. §. ultimo. *Denique innumeri penè Theologi, ac præſertim antiquiores, & doctiores*

res Pontificem errori obnoxium eſſe aſſeruerunt, & infallibilitatis Pontificiæ figmentum multis argumentis oppugnarunt; inprimis verò Joannes Gerſon Pariſienſis Cancellarius multis in locis hanc doctrinam propugnavit, ac præcipuè in Tractatu, Utrum liceat in cauſis fidei à Pontifice provocare. In quo hæc habet. *Propoſitio quarta in cauſis fidei nulla determinatio judicialis Epiſcopi, vel Papæ ligat Fideles ad credendum, quod ita ſit de veritate fidei, ſicut prætendit ſua declaratio. Quoniam tàm Epiſcopus, quàm Papa, deviabiles ſunt à Fide: Obligat tamen ſubditos ſub pœna excommunicationis talis determinatio, quod non dogmatizent oppoſitum, niſi appareat ratio repugnandi, vel per Sacram Scripturam, vel per revelationem, vel per Eccleſiæ, ſeu Generalis Concilii determinationem.*

115. Verùm ego non poſſum non mirari, homines eſſe, qui alioquin in ſacrarum litterarum ſtudiis bene verſati, uni tantum Doctori, tantum authoritatis arrogare audeant, ut in re tanti momenti, quale eſt negotium Fidei, tot ſapientiſſimos Doctores, tot Sacrorum Canonum monumenta, tot Sacræ Scripturæ loca, juxta Sanctorum Patrum interpretationem expoſita, ut in toto hoc opere vidimus, contemnant, parvique pendant: Unus tantum vobis videtur ſatis eſſe Gerſonius, ut in re fidem ſpectante, & in negotio æternæ ſalutis, illi tantum fidatis, ut veſtræ conſcientiæ tuti, cœteros tot rationibus præmunitos, Canonumque præſidio, ac Conciliorum Decretis obtectos contemnatis? ſed videamus qua ratione nititur Gerſonius? *Quia*, inquit, *tam Epiſcopus, quàm Pontifex Maximus à fide ſunt deviabiles.*

116. Cæterum, qua ratione Pontifex Maximus à fide eſt deviabilis? An ut privatus eſt Doctor? Sed quid intereſt ad noſtram quæſtionem, ſi ut privatus eſt Doctor, à fide deviabilis eſſe poſſit? Num errabit à fide fidelibus inculcanda, dum illi divinus ſpiritus, ne pro tota Eccleſia docenda, erret, aſſiſtit? Certè hoc, ſi Catholicus eſt, nullus aſſeret Doctor. Debuerat igitur primum probare, Pontifici, ut communi Eccleſiæ Doctori neutiquam Divinum Numen aſſiſtere; quod Gerſon haud probat; nec probare poteſt: cum illi, ut ſic, Sacrum Numen aſſiſtere Canones, Concilia, Sacræque Scripturæ Oracula clament. Erraſſe aliquando Concilium etiam Univerſale, nec vos negatis, nec negare poteſtis; cum id ex Conciliorum, Patrumque monumentis, clariſſimè conſtet: quia ergo Concilium eſt à fide deviabile, non erit infallibilis, quando ei Spiritus Sanctus aſſiſtit, ut nos ex Sanctis Scripturis definienti pro tota Eccleſia credimus aſſiſtere? Igitur, nec ratio, nec authoritas Gerſonis quidquā roboris habet.

117. Secundo adducit Toſtatum Defenſorii cap. 3. ubi ſic ait: *Apparet, quod jura ſupponunt Papam fieri poſſe hæreticum: & confirmatur experimento: Nam Papa Marcellinus fuit Hæreticus. Item de Joanne XXII. qui tenuit hæreſim circa viſionem beatam.* Et Præfation. in Euangel. Matth. ubi ſic ait: *Quilibet homo quantumcumque Sanctus, & quantæcunque poteſtatis, poteſt errare in fide, & effici Hæreticus; ſicut de multis Pontificibus legimus, ut de Liberio, de Joanne XXII. & aliis quibuſdam.* Sed hoc teſtimonium non venit ad rem: & ſic operam perdidit Dupinus. Num theſis noſtra eſt, utrùm Pontifex Romanus poſſit eſſe Hæreticus, nec ne? Noſtra tota lis eſt, utrum Pontifex Romanus poſſit definire pro Cathedra errorem? Nec Liberius, nec Joannes XXII. vel ullus alius talem errorem definiiſſe probantur: cur ergo adducitur teſtimonium Doctoris, nihil contra noſtram Theſin probantis? Accedit ad hoc eos Pontifices formales, ut ſic dicam, Hæreticos non extitiſſe; prout ſuo loco demonſtravimus: Marcellinus enim, ſi verum eſt, illum thus Idolis adoleviſſe, de quo multi non ſine valido fundamento id renuunt, errorem mentis non habuit; ſed ex fragilitate, pœnæque timore, ſicut olim Petrus, Chriſtum negavit. Nullus autem ſine mentis errore, hæreſi maculatur; quamvis externè fidem negando graviſſimè delinquat.

118. Tertiò citat Dionyſium Carthuſianum, qui lib. 1. de authoritate

Papæ,

Digitized by Google

Papæ, & Concilii cap. 51. ſic dicit. *Cum Papa poſſit errare in fide, moribus, & cateris, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, ejus judicio non videtur, ultimatè, & certitudinaliter ſtandum in iſtis, cum non ſit infallibilis fidei regula, neque indeviabile fundamentum*. Reſp. hic Doctor licet videatur clarè ſtare pro parte contraria; adhuc tamen illius verba optimè poſſunt exponi, ut intelligantur de Pontifice, quando ex Cathedra non definit; Si enim prout ex Cathedra definit, intelligenda ſunt; prorsùs Sacris Canonibus adverſantur; ideoque omninò ſunt reiicienda; ſi in hoc ſecundo ſenſu accipiantur: non eſt autem præſumendum de Viro literis, & Religione præſtantiſſimo, velle ſe Sacris Canonibus opponere, vel illos penitùs ignorare. Imò ex ipſo verborum ſenſu facilè deprehendi poteſt, illum non loqui de Papa ex Cathedra definiente: ait enim illum non eſſe infallibilem fidei regulam, quia poteſt errare in fide: ſed per Sacros Canones, & Conciliorum Decreta conſtat ex ſupradictis Papam, quando definit pro Cathedra, errare non poſſe, nec id ex ullo jure factove probatur: ergo prout definit ex Cathedra, eſt infallibilis fidei regula: proindeque non loquitur Doctor ille aliàs doctiſſimus, ac Religioſiſſimus in hoc noſtro ſenſu.

119. Quarto adducit Petrum Aliacenſem tract. de authoritate Papæ pag. 3. cap. 3. qui ſic ait ibi. *Talem* (nempè ſummam) *authoritatem non habet Papa, cum errare poſſit in fide*. Sed eodem modo. Reſp. errare poſſe ad ſummum, ut eſt privatus Doctor, quæ noſtræ non eſt Quæſtionis Theſis; non autem prout ex Cathedra definit, in quo noſtra verſatur controverſia. Unde teſtimonium illud nihil evincit: eadem ſolutio adhibetur authoritati Gualteri Theologi Pariſienſis, qui confundit minùs doctè unam cum altera quæſtionem, videlicet, errorem, ut ſic dicam, perſonalem, cum Cathedrali errore; nos autem ſolùm hic propugnamus (quicquid ſit de privato cujuſque Pontificis errore) Cathedram Petri erroris immunem eſſe.

120. Quinto adducitur Joannes Arboreus Pariſienſis Theologus l. 4. Theologiæ cap. 32. ubi citans Innocentium in cap. 1. de Summa Trinitate, ſic ait: *Papa in fide errare poteſt: & tota mihi via aberrare videtur, qui aliter ſenſit; & plus veritati tribuendum eſt, quàm amico*. Aſſentantur ſanè Romano Pontifici, qui faciunt eum immunem à peccato, & à lapſu hæreſeos, & Schiſmatis, cum non ſit divino munere confirmatus in gratia; ſed hic Doctor nimis audacter aſſeruit eos, qui Papæ aſcribunt infallibilitatem, amico aſſentari; & veritatem deſerere: aſſentatur ne ille, qui veritati in Sacris Canonibus poſitæ aſſentitur? Deſerit veritatem, qui propoſitiones aſſerit Catholicas circa Papæ pro Cathedra definientis veritates, & ſe cùm communi jure conformat?

121. Allegatur 6. Claudius Sanctesius, qui Tridentino Concilio interfuit, in reſp. ad Apoleg. Theodori Bezæ, ubi ſic ait. *Licuit, non ſolum Sorbonicis, ſed in omni Orbe Chriſtiano Theologis diſſerere, an Papa, ſi à fide defecerit, privari poſſit gradu ſuo*. Septimo Ochamus l. 3. Dialogorum cap. 3. ubi multis probat Papam hæreſeos labe infici poſſe. Idem dicit Gratianus in cap. ſi Papa diſt. 40. cap. Anaſtaſius diſt. 13. item Guido Archidiaconus Bononienſis, diſt. 21. qui ſic ſcribit: *Hinc Papa poteſt condemnari de hæreſi, cum pertinax fuerit, alias non*. Eadem ſententia eſt Auguſtini Anconenſis, Auguſtiniani Theologi in ſumma q. 5. ar. 1. Alvari Pelagii lib. 1. de planctu Eccleſiæ, Joannis de Imola in capite de electione, & electi poteſtate. Cæterum fruſtra Dupinus hos congerit Authores, quorum nullus aſſerit poſſe Papam errorem pro Cathedra definire; quæ eſt tota lis, & ſcopus quæſtionis, ad ſummum ſolum probare videntur poſſe in fide errare, prout eſt privatus Doctor, quam quæſtionem hic modo non agitamus. Confiteatur igitur Dupinus, vel quæſtionis terminos non calluiſſe. vel iis adductis contra nos teſtimoniis nihil probaſſe. Ubi nota omnes ferè Authores, quos allegat, Gallos eſſe, ideoq; ferè nullius authoritatis, ſi comparentur cum innumeris graviſſimiſq; Authoribus, etiam Gallis, quos ſupra pro infallibilitate Papæ adduximus.

S E-

SECTIO X.

Reſellumtur ſolutiones, quibus Dupinus putat ſe ſatisfacere fundamentis, pro infallibilitate Papæ.

122. PRædictus Author à nobis huc uſque impugnatus, noſtra præcipua fundamenta ex Sacris literis deprompta labefactare fruſtra conatur: ſic enim ait Differt. 5. cap. 2. *Ex Sacris litteris adducunt primum illud Chriſti dictum ad Petrum*. Luc. 22. v. 32. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquandò converſus, confirma fratres tuos*; Undè concludunt fidē Romanorum Pontificum, Petri Succeſſorum deficere non poſſe. Et mox ſubjungit. *Verùm ſi quid probet iſtud teſtimonium, plus probat, quàm Adverſarii poſtulant: non enim probaret tantùm Romanos Pontifices non poſſe à fide deficiendo aberrare, ſed etiam non poſſe à fide, & gratia excidere*, & tandem ex ſuo cerebro, ſic textum exponit. *Intelligi debet iſta promiſſio Chriſti de ſola Petri Perſona*; Et ſic concludit privilegium hoc ad Petri Succeſſores minimè eſſe extendendum; probat hoc ex verbis Chriſti; *Simon, Simon: Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret, ſicut triticum; Ego autem rogavi pro te &c.* Unde, inquit, *docet, & id intentum Chriſti prædicentis futurum, ut Petrus aliquando ipſum negaret; ita tamen, ut à fide penitùs, & uſque ad finem non excederet: quare ſicut tentatio, ità, & converſio, & fratrum confirmatio, ſolam Perſonam Petri reſpiciebat: non igitur textus ille ad Petri Succeſſores debet extendi*; & pro hac expoſitione audet citare PP. Tertull. lib. de fuga cap. 2. Cyprianum epiſtol. 8. & in lib. de Oratione Dominica S. Hilar. lib. 1. de Trinit. Baſil. Homil. 22. de humilitate Ambroſ. in Pſal. 43. Chryſoſt. homil. 63. & alios, quos tamen ipſe, vel non legit, vel non benè intellexit.

123. Verum ſi expoſitio iſtius Authoris eo tendat, ut Chriſti promiſſio in ſola Petri perſona claudatur; eſt omninò oppoſita Sanctorum PP. interpretationibus, prout latè vidimus in Diſcept. 1. per totam; & deinde ſentit cum expoſitione Lutheri, & Calvini huic, & ſimilibus textibus Petrum concernentibus data; ut latè vidimus in Diſcept. 3. non credo autem hunc authorem Catholicum, & à Sanctis PP. deviare; & illis perditiſſimis Eccleſiæ perduellibus conformari velle. Quare non aliter hoc authore Catholico in nos contortum jaculum retundam; quàm idem in nos ab hæreticis illis contortum retudimus in noſtro citato loco, diſtinguendo, videlicet, in Petro duplex actionum genus. Aliæ enim reſpiciebant privatam Petri perſonam; & hæ in ſolo Petro terminabantur; & ad Petri Succeſſores minimè ſe extendebant. An nè, quia Petrus Chriſtum negavit; ſic etiam omnes Petri Succeſſores aliquando Chriſtum eſſent negaturi? An quia Petro cœleſtis Pater abſtruſa tunc arcana recluſerat; ſic omnibus Petri Succeſſoribus idem Pater erat arcana revelaturus? & ita de ſimilibus Petri actionibus, quæ ipſo lumine, ſermoniſque contextu patebant in ſola Perſona Petri concludi. Aliæ vero actiones ita Petro promittebantur, ut non ſoli ipſius Perſonæ, ſed dignitati affigerentur; & ideo Chriſtus, qui ſuæ Eccleſiæ firmitatem, perpetuitatemque reſpiciebat, ſtabile in Petro firmans fidei fundamentum, & infallibilem, ne obreperent errores Eccleſiæ perpetuò duraturæ, Regulam fidei neceſſario debuerat ad Petri Succeſſores extendere; aliter Eccleſia in ſola Petri vita infallibilem fidei regulam obtineret; & verba Chriſti de Eccleſiæ ſuæ perpetuitate in fide pura fruſtranea redderētur; & ideo Sancti Patres, prout latè vidimus ſupra hoc privilegium infallibilitatis ad Petri Succeſſores extendi judicarunt. Cui ergo adhibere fidem debemus? huic Authori, qui ex proprio cerebro, judicioque Sacrum Textum exponit; an Sanctiſſimis Patribus à Deo illuminatis, & juxta quorum ſenſum Sacra eſt Scriptura interpretanda, prout univerſalia Concilia, & præcipuè Tridentinum, præſcribunt?

124. Secundus Sacrę paginę textus; quo infallibilis Romanæ Sedis authoritas nititur, eſt Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. in 1. & 2. diſceptione expoſitionem huius textus à Sanctis PP. pro primatu, & infallibilitate Sedis Apoſtolicæ datam, & in tertia diſceptione ſolutiones adhibuimus argumentis hæreticorum, pravos illorum ſenſus repellendo. Dupinus adhibet huic textui unam expoſitionem; quam illi per duelles ibi adhibent; nimirum ſub verbo. *Paſce oues meas*, non intelligi ſolum Petrum, eiuſque Succeſſores Romanos Pontifices, ſed etiam ipſos Apoſtolos, & Succeſſores eorum Epiſcopos; & tamen hanc infallibilitatem in eſſe Epiſcopis ex illo textu non colligimus: ergo neque Pontificis Romani indè infallibilitas colligitur. Confirmat hoc authoritate D. Ambroſ. lib. 2. de dignitate Sacerdotali. Vbi ſic ait. *Paſce oues meas, quas oues, & quem gregem non ſolum tunc B. Petrus ſuſcepit; ſed & nobiſcum eas ſuſcepit; & cum illo eas nos ſuſcepimus omnes*. Item S. Auguſtini tract. 47. in Joan. Et *quidem fratres, quod Paſtor eſt Chriſtus, dedit, & membris ſuis: nam & Petrus Paſtor, & Paulus Paſtor, & cæteri Apoſtoli paſtores, & boni Epiſcopi*. Sed ad quid hos Dupinus Patres adducit? Quid eorum authoritas conducit contra veram de infallibilitate Papæ doctrinam? Nunquid nos reliquos Epiſcopos Paſtores eſſe negamus? Inficiamur ne Petrum univerſalem Paſtorem per particularium Eccleſiarum inferiores Paſtores gregem Dominicum paſcere? potuiſſet ne ille in propria perſona omnibus ubique terrarum ovibus aſſiſtere?

125. Cæterum P.P. illi allegati aſſerere ne voluerunt, cæteros Epiſcopos eſſe totius Eccleſiæ Paſtores, ſicut Petrus, eiuſque Succeſſores ſunt? Rectè ergo ſoli Petro totius Eccleſiæ Paſtori conceſſum fuiſſe privilegium infallibilitatis deduxerunt, ne tota erraret Eccleſia; non ita inferioribus particularum Eccleſiarum Paſtoribus; quibus ſatis erat unam infallibilem fidei regulam habere Summo Paſtori à Spiritu Sancto conceſſam. Cum una tantum debeat eſſe fides, & non diuerſa in diuerſis, iuxta illud, *una fides, unum baptiſma &c.* unam etiam fidei regulam in Eccleſia eſſe oportebat: ergo illi tantum concedi debuerat eſſe infallibilem regulam fidei pro tota Eccleſia, qui totam Eccleſiam moderatur. Igitur inconcinna fuit conſecutio Dupini, videlicet; ſi Petrus, quia eſt Paſtor eiuſque Succeſſores Romani Pontifices, ſunt regula infallibilis fidei; ergo cæteri Epiſcopi, qui ſunt etiam Paſtores Eccleſiæ, idem infallibilitatis privilegium habere debent: negatur enim conſecutio, quæ falſa eſt, & perperam deducta, cum maxima ſit diſparitas: nam Epiſcopi ſunt Paſtores, ſed quilibet ſuæ particularis Eccleſiæ, Pontifex maximus totius Eccleſiæ Paſtor eſt, & ſupremus omnium Chriſti ouium Rector: ſi autem Chriſtus Dominus illi negaret hanc infallibilem fidei regulam; qui fieri poteſt, ut omnes in fide ſemper ſtabili, nunquam ve defectura gubernaret? quo pacto finem obtinere potuiſſet; Si Chriſtus hoc infallibilis authoritatis medium omnino neceſſarium denegaret? Unde genuinus illius Sacri Textus à Sanctis Patribus præſtitus ſenſus, prout ſuo loco vidimus, eſt; ut tam Petrus, eiuſque Succeſſor Pontifex Romanus, quàm reliqui Epiſcopi Apoſtolorum Succeſſores gregem ſuum paſcant, oueſque Dominicas dirigant, Epiſcopi ſuas, Petrus, & Romanus Pontifex ſuas, quales etiam ſunt ipſi Epiſcopi, qui illi ſubdi debent, & ab eodem regendi, paſcendique ſunt, tam in moribus, quàm in fide: quomodo ergo Chriſtus illi præſcriberet, vt omnes fratres in fide confirmaret; ſi eidem regulam fidei infallibilem, vt communi omnium Magiſtro, ac totius Eccleſiæ Doctori non concederet? Quare cùm ſolùm illi ut Doctori Eccleſiæ pro Cathedra definienti privilegium infallibilitatis conceſſerit; ideò quamvis aliquando poſſet permittere in ſua privata perſona errorem, contra fidem peccando, & illum tunc per miniſterium Eccleſiæ, ſi contumax ſit, deponat; nunquam tamen permittet errorem, cum agit munus Doctoris fidei definiendo, ſitque Pontifex legitimus, & indubitatus, vt

eſt

eſt hic de præſenti Sanctiſſimus Papa Innocentius XII. in tota regnans Eccleſia.

126. His iſtius authoris debilibus quidem ſolutionibus debellatis; oportet alias, quas nervoſis Sanctorum Patrum teſtimoniis adhibet, ſolutiones non minus frivolas debellare. Primus locus, qui hunc authorem maximè torquet, eſt D. Hierony. in epiſt. ad Damaſum, cuius verba videre potes ſuprà diſceptatione 1. Ubi Sanctiſſimus Eccleſiæ Doctor expreſſiſſimis verbis Summi Pontificis infallibilem edocet authoritatem. Secundus locus eſt Diui Bernardi, qui epiſt. 190. ad Innocentium II. clariſſimè eandem aſtruit veritatem, ut videre eſt in noſtro citato loco. Harum authoritatum pondere preſſus Dupinus, ſic reſpondet diſſertat. 5. pag. 396. loquendo de Diuo Hieronymo. *Dictum eſt officioſè, & per exaggerationem. Deindè id non probat, Sedis Romanæ ſententiam infallibilem eſſe ſemper fidei regulam, ſed ad ſummum Ordinario adhærendum eſſe Romani Pontificis ſententiæ, eoſque, qui à Sede Apoſtolica diſſident, in periculum ſchiſmatis venire: at nihil id facit ad finem, & iudicium Romani Epiſcopi? Sed tantùm ad communionem.* Ad locum autem D. Bernardi ſic reſpondet pag. 371. *Reſpondeo 1. ex uno Bernardi officioſo dicto infallibilitatis privilegium Romano Pontifici tribui non poſſe, niſi accedat ſcripturæ, & traditionis authoritas: nam,* inquit, *etiam ſi conſtaret, mentem Bernardi fuiſſe bis verbis Pontificem Romanum infallibilem prædicare, hujus unius authoritas ad iſtud priuilegium Romano Pontifici aſſerendum minimè ſufficeret.* Cum tamèn ſibi conſcius eſſet, ſe hac ſolutione non ſatisfacere, reſpondet Secundo ſic: *Non loquitur Bernardus de Perſona Papæ Romani, ſed de Sede Petri, ac prò indè* inquit, *ex iſto loco, probari tantum poteſt, Romanam Eccleſiam totam, non poſſe à fide deficere*; *at immeritò*; pergit, *concluditur Romano Pontifici ſoli idem privilegium competere.* Tertio reſpondet D. Bernardum loqui ibi non abſolutè, ſed exaggerando Pontificis Romani authoritatem; qua tunc opus habebat ad Abailardi errores proſcribendos: Hæ ſunt iſtius egregii Doctoris ſolutiones, quæ tanquàm paleæ, non multò egent igne, ut tenues in fumos abire poſſint.

127. Cæterum, ut incipiamus à prima ſolutione utrique Patri ab hoc authore data. Hieronymus, inquit, & Bernardus, in hoc officioſè Pontifici aſſentantur. Mira ſolutio Hominis Catholici, quę inurbanior ab homine perduelli, hæreticoque expectari poſſet? Ergò nè vanus palpator Doctor ille Eccleſiæ maximus, idque in negotio tanti ponderis, à quo ſalus æterna dependebat, videlicet, ad credendum, vel non credendum myſterium Trinitatis de una ſimplici Natura in tribus hypoſtaſibus; quod quidem myſterium eſt de neceſſitate ſalutis? Credendnm nè eſt de Viro Sanctiſſimo, ac religioſiſſimo, cui ad aures ſemper tuba terribilis iudicii perſonabat; Æternæ damnationis periculo exponi voluiſſe turpi palpo, aſſentationiſque vanitate, Pontifici ſuadendo, ad definiendum de fide, id, quod ſi fallibilis eſſet, de fide non poſſet definire, definiendo fortè prò falſo verum, & prò vero falſum? Aſſentator ne Sanctiſſimus ille, pientiſſimuſque Bernardus, qui ſubtiliſſimos virtutum apices rimari, expiſcarique diligentius procurabat? Jmò ſi uterque in materia adeò graui, & urgente, medium vel damnationis, vel ſalutis æternę per definitionem Pontificiam proponendum: Pontifici, per palpum, & aſſentationem, vanum, infallibilitatis privilegium falsò, & inaniter arrogarent, grauiſſimum certè delictum perpetrarent. Jgitur turpem his ſapientiſſimis, atquè Sanctiſſimis Patribus Hieronymo, & Bernardo aſſentationem in re tàm gravi aſcribere, omni procùl dubio erit ipſis graviſſimum crimen, enormiſſimamve calumniam irrogare. Erit ne Dupini concinna ſolutio, quæ Sanctiſſimos Patres proſcribit, protùnditque?

128. Sed, inquit, *ad ſummum indè deducitur adhærendum eſſe Romani Pontificis ſententiæ, eoſque, qui à Sede Apoſtolica diſſident, in periculum ſchiſmatis venire.* Fatetur iam iſte Author, tutum eſſe Pontifici adhærere; ab illo autem recedere periculoſum. Sed cùr tutum,

ſi aſſeris, poſſe te ab illo in definiendo decipi? Cûr periculoſum, ſi à periculo deceptionis, illi, non adhærendo poſſis evadere? Ergò, vel tibi ipſi clariſſimè aduerſaris; vel infallibilitatis priuilegium ineſſe Pontifici fateri debes, aliter, quæ tibi erit ſecuritas, ſi definientem Pontificem ſequaris, & quod periculum, ſi falſò definientem deſeras? Vltrà has reſponſiones, quæ certè non poſſunt rectam, ſanamque cuiuſque mentem ſatiare, tertiam ſubiungit; videlicet, ad ſummùm indè probari, Apoſtolicam Sedem, & Romanam falli non poſſe. Pontificem verò Romanum, etiam ex cathedra loquentem falli non poſſe, minimè ex illis Sanctis Patribus comprobari; ſed ego quæro ex iſto Authore, quid ipſe intelligat, nomine Sedis Apoſtolicæ? Sedis Romanæ? Cathedram ne ligneam, in qua ſedere Petrus viſus erat? Ridiculum hoc foret: à ligno infallibilis veritatis oraculum quærere. An Clerum ipſum Romanum? An nè Romanam Diœceſim, totumque Romanum Epiſcopatum, ſeù, ſi mavis, totum Occidentalem Patriarchatum? Hoc non concedit hic Author; neque enim Clero Romano, Diœceſi, Epiſcopatui, Patriarchatuive, Chriſtus, infallibilem adveritates fidei determinandas, aſſiſtentiam pollicitus eſt; nec id ex ullo ſacræ paginæ loco poteſt deduci. Igitur neceſſariò fateri debet, ſedem, non prò ipſa ſede, ſed prò ſedente uſurpari debere, prò illo planè homine, qui Perſonam repreſentat; qui Chriſti vices agit in terris; non pro illo homine nudè ſumpto, ſed prò illo Apoſtolicam dignitatem habente. Si ergò ex illis Patribus, ut fatetur hic Author, infallibilitas Romanæ Sedis evincitur; quo pacto Pontifici Romano, qui ſolùm poteſt prò Romana Sede deſumi, infallibilem authoritatem ineſſe negabit? An infallibilitatem illam Clero Romano? an ligneæ ſedi? an Diœceſi? an Archiepiſcopatui arrogabit? Eccè quomodò, vel invitus fateri cogitur veritatem?

129. Urget adhùc eiuſdem Bernardi teſtimonio lib. 3. de conſiderat. ad Eugenium; ubi ſic illi Pontifici loquitur: *Erras, ſi ut ſummam tuam, ita & ſolam inſtitutam à Deo veſtram Apoſtolicam poteſtatem exiſtimas*: Ergò infert Dupin, *cenſet Bernardus Pontifices Romanos erroribus obnoxios eſſe*. Verùm quid hoc contrà noſtram concluſionem? num nos Pontificem Romanum erroris (quãdò prò Cathedra non definit) immunem eſſe contendimus? poſſe errare dicit Bernardus Pontificem, dùm exiſtimat; anne dicit, poſſe errare, dùm definit?

130. Eodem modo euaneſcit huius Authoris ſolutio ad locum Auguſt. ſer. 2. de verbis Domini cap. 10. quem prò noſtra veritate allegauimus ſuprà diſcept. 1.

Ubi ſic dicit Sanctus Doctor, *Jam enim de hac cauſa Pelagii, atque Cæleſtii duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam: indè etiam reſcripta venerunt; cauſa finita eſt, error utinam finiatur*, Quid clariùs prò noſtra veritate, lumen Eccleſiæ Auguſtinus ferre potuiſſet? Duo Concilia, cauſam illorum perduellium jam deciderant, & tamen cauſa non dùm finita fuerat: Ultimo Romæ venit reſcriptio, cauſa finita eſt. Si Concilia habent infallibilitatem, & non illam habet Pontifex Romanus; cur in Conciliis cauſa fidei finita non fuit, verum ad Sedem Apoſtolicam indè delata eſt? & ſi Pontifex Romanus in definiendo cauſam fidei fallibilis eſt, cùr in eo cauſa illa fidei, ultimò eſt terminata.

131. Reſpondet Dupinus, perduelles illos Conciliorum Iudicio, contentos non fuiſſe, Pontificiſque iudicium poſtulaſſe; utque illis os obſtrueretur, rem ad Pontificem detuliſſe: & tunc cauſa, iiſque omnis finita erat: Siquidèm nullus alius Iudex ſupererat: Nam, inquit, eodem Auguſtino teſte, ſæpè poſt Romani Pontificis ſententiam, cauſa fidei, ad plenaria Concilia fuiſſe delata, & tamen nos non deducimus, quando definit ſinè Papa; Concilium infallibilitatem habere: Ergò licet, quandò Concilio prius definiente, cauſa iterum Pontifici definienda tradatur; non propterea Papam ſinè Concilio infallibilitatem in decidendis fidei cauſis habere deducitur. Verùm diſcrimen inter utrumque, videlicet, inter Concilium, & Papam

pam

pam Dupinus capere noluit, vel non potuit: Siquidem quandò cauſa fidei à Pontifice definita, rurſùs aliquando ad Concilium defertur: non ità fit, ut quæ à Pontifice definiuntur, infallibilitatis vigorem accipiant; ſed ut in Concilio pleniore, magis publica, notaque fiant: undè publicitatem, non infallibilitatem expoſcunt: ſi autem Concilium ſinè Papa infallibilitatem obtineret; ad quid ulteriùs cauſa fidei ad Pontificem deferretur? non ad publicitatem, quia iam res ſatis erat publica in Concilio, non ad infallibilitatem hauriendam; quià ſinè Papa illam dicitis habere Concilium: ergò fruſtraneum foret ea, quæ definita priùs fuerat à Concilio, rurſùs ad Pontificem deferri: at omninò eſt certum ex teſtimonio Auguſtini definita in illis duobus plenioribus Conciliis; Jterùm fuiſſe ad Sedem Apoſtolicam delata, ut cauſa finiretur: Ergò ſignum eſt manifeſtum, non Concilio ſinè Papa, ſed Papę tam in Concilio, quam extrà illud, infallibilitatis, ad decidendum ultimò fidei cauſas ineſſe priuilegium: oppoſitum autèm clariſſimè Sanctis illis Patribus aduerſatur.

132. Aliud irrefragabile teſtimonium, quod loco citato prò Romani Pontificis infallibili authoritate, in decidendis, terminandiſque fidei cauſis adducimus, eſt Sancti Petri Chriſologi epiſtola ad Eutychetem, antè Concilium Calcedonenſe, ubi hæc habet; *Hortamur te, frater honorabilis, ut his, quæ à Beatiſſimo Papa Romanæ Civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas: quià Beatus Petrus, qui in propria ſede vivit, & præſidet, præſtat, quærentibus, fidei veritatem.* En Sanctiſſimus, pariterque ſapientiſſimus P.D. Petrus Chriſologus in Romano Pontifice D.Petrum vivere, præſidere, fidei veritatem præſtare, clariſſimis verbis teſtatur; hortaturque fideles, ut ad ea per eum Romanum Pontificem definita; ſcriptaque obedientèr attendatur. Sed videamus jam egregiam Dupini reſponſionem in cit. loco pag. 311. *Reſpondeo*, inquit, *aliud eſt Beatum Petrum veritatem fidei quærentibus præbere: aliud infallibilitèr comprobare. Prius de Romano Epiſcopo dicit Chryſologus, non poſteriùs, quod tamèn unum eſt probandum?* O bona reſponſio? Concedis in Romano Pontifice, Petrum vivere, præſidere, & veritatem fidei præbere: ergò neceſſariò cogeris Romano Pontifici infallibilitatem in proponendo res fidei concedere: poteſt nè præbere fidelibus veritatem fidei, quæ eſt infallibilis veritatis; ſi is, qui illam veritatem fidei præbet; fallibilis ſit, & conſequentèr hęreſis errorem prò fidei veritate præbere poſſit? Ergò, dùm fateris ex Patribus euinci, Romanum Pontificem ſemper quærentibus fidei veritatem præbere, utiquè ineſſe illi ad hoc munus infallibilitatem negare non potes.

133. Prætereà in fine diſſertationis 5. pag. 373. reſpondere conatur ad teſtimonia Sanctorum Pontificum infallibilitatem Romanæ, & Apoſtolicæ Sedis propugnantium, & primo ad teſtimonium Agathonis in epiſtola, quæ lecta eſt in Synodo. act. 4. quam nos citavimus ſuprà diſceptat. 1. ſect. 4. ubi dicit, nunquàm Sedem Apoſtolicam in fide erraſſe, ſed nec errare poſſe, reſpondet *indè ſolùm probari infallibilitatem Romanæ Sedis; non verò Romani Pontificis, cum de multis Romanis Pontificibus erraſſe conſtat.* Cęterùm hic author, ut jam alibi dicebamus, terminos quæſtionis confundit: non enim hîc quæſtionem excitamus, utrum Pontifex Romanus, ut privata Perſona poſſit errare? ſed utrum, ut agens Magiſterium publicum docendi, inſtruendique Eccleſiam in fide, & moribus, poſſit in ea doctrina definienda errare: & ut ſic nunquàm erraſſe, nec poſſe errare teſtantur P. P. & Pontifices allegati, nixi teſtimoniis Sacræ ſcripturæ, jàm per nos alibi adductis. Undè licet probaretur, aliquem Pontificem Romanum in aliquem errorem privatim fuiſſe prolapſum; dum non probatur, nec unquàm probabitur, aliquem errorem, hæreſimvè definiiſſe, noſtrę doctrinæ veritas non infringetur: deindè jàm ſuprà oſtendimus, idem omninò eſſe, non poſſe errare Sedem Romanam, atque non poſſe errare Pontificem prò Cathedra definientem: Si ergò concedit Adverſarius ex illo, & ex aliis teſtimoniis evinci, Sedem Romanam

manam errare non poſſe, neceſſariò concedere debet, Romanum Pontificem prò Cathedra definientem errori obnoxium non eſſe.

134. Secundo ad teſtimonium Nicolai primi, quem, jàm alibi prò noſtra veritate citavimus, reſpondet ibi nullam fieri de infallibilitate mentionem, ſed tantum de antiquis Romanæ Sedis, ſuper alias Eccleſias privilegiis. Verum ut intelligas, quàm ineptè reſpondeat, tibi ob oculos pono verba Nicolai, epiſtola 8. ad Michaelem Imperatorem, quæ ſic habent: *Privilegia iſtius ſedis perpetua ſunt divinitus radicata, atque plantata, impingi poſſunt, transferri non poſſunt, quæ ante Imperium veſtrum fuerunt, permanent, Deo gratias, illibata, manebuntquè poſt vos, quouſque Chriſtianum nomen prædicatum fuerit, illa ſubſiſtere non ceſſabunt: nam is, per quem nobis præcipuè iſta ſunt privilegio collata, aliquandò converſus audivit à Domino: confirma fratres tuos* Dicat mihi nunc Adverſarius, quæ ſint hæc privilegia collata divinitus per S. Petrum ſuis Succeſſoribus? nonnè illud inſigne ſuper omnes totius Chriſtiani Orbis Eccleſias privilegium, dùm, ait, *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*? quî fieri poteſt, ut ipſe Chriſtus agnoſcat Eccleſiam, ut ſuam; quæ huic fundamentali lapidi non coagmentabitur; ſed extrà illum conſtruetur, cùm ipſe dicat ſolum eſſe ſuam, quæ ſuper illam firmam, ſolidiſſimamque petram ædificabitur; *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*? quæ ſunt illa præcipua privilegia, fratres, ideſt, fideles omnes ſubditos ſuos confirmandi, *confirma fratres tuos*? Confirmabit nè in fide, qui ut Magiſter communis errorem doceat, hæreſimque prò vera doctrina definiat? quid ſi errorem, falſumque definiat, permanebit nè Petri Sedes, ideſt, Romana Eccleſia illibata? perſiſtet immobilis, perpetuò inexpugnabilis, infernalibus ei adverſantibus, quæ perniciosis inferorum erroribus miſerrimè ſuccumbat? nonnè remanerent Chriſti fruſtratæ preces, *ego rogaui prò te, ut non deficiat fides tua*. Si fides Petri in Romano Pontifice, ut docet, definitque, ullo unquàm tempore deficere, collabiq; videretur? Hæc igitur ſunt ſtabilia in Romano Antiſtite edocente, definienteque indeficientis iudicii privilegia, de quibus in illa Nicolai primi epiſtola ſermo eſt, quæ certè, clariſſimèque infallibilem Romani Pontificis authoritatem in definiendo fidei cauſas expandit: & qui hoc non intelligit, à verò illius oraculi teſtimonio deflectit.

135. Tertio ad aliud non minùs efficax teſtimonium Leonis 9. qui circà annum 1050. Eccleſiam rexit, non minùs etiam ineptè reſpondet. Ut verò id facillimè intelligas, pono verba Pontificis in epiſtola ad Petrum Antiochenum quinta, quæ ità habent: *Nimirum ſolus eſt Petrus, pro quo, ne deficeret fides eius; Dominus, & Salvator aſſeruit ſe rogaſſe, dicens, Rogavi pro te &c. quæ venerabilis, & efficax obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius in ſæculum ſæculi, ſed confirmabit corda fratrum variis concutiendæ fidei periclitationibus ſicut uſquequaquè confirmare non ceſſauit*. Quid clariùs? quid nervoſiùs? quid ſolidius pro infallibili Romani Pontificis, in cauſis fidei determinandis, authoritate comprobanda, poſſet afferri?

136. Videamus nunc adverſarii noſtri reſponſum. Sic ille habet diſſert. 5. pag. 375. *Reſpondeo hæc verba Leonis IX. non eſſe ità ſtrictè accipienda, quaſi Romanus Pontifex à fide deficere non poſſit: alioquin probarent, non tantùm docendo Eccleſiam errare non poſſe, ſed ne fidem eum poſſe amittere: non loquitur ergò de Perſona Romani Epiſcopi, ſed de Eccleſia Romana*. Vides, ut doctus iſte Pariſienſis ratione convictus in noſtræ doctrinæ veritatem flectat! Concedit etiam Petri Cathedram, ideſt, Sedem Romanam errare non poſſe: Sed quid eſt Eccleſiam Romanam errare non poſſe, niſi Pontificem Romanum, dùm prò Petri Cathedra Eccleſiam docet; ſeù, quod idem eſt, prò Cathedra fidei veritates definit, in errorem non poſſe prolabi? Hoc ipſum firmant ſequentia Leonis IX. in præfata epiſtola ad Petrum Antiochenum, quæ ita habent: *Taliter Sancta Eccleſia ſuper Petrum*, ideſt, Cepham,

& ſu-

& ſuper Chriſtum Filiũ Hominis ædificata, quià ab Inferi portis diſputationibus, ſcilicet hæreticorum, nullatenùs foret ſuperanda: Sic pollicetur ipſa veritas; *Portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam; cuius promiſſionis effectum, ſe impetraſſe Petro à Patre Filius proteſtatur, dicendo ad Petrum. Ego prò te rogavi &c. erit ergò quiſquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cuius velle eſt poſſe, audeat in aliquo vacuam putare? Nonnè à Sede Principis Apſtolorum, Romana videlicet, tàm per eumdem Petrum, quàm per ſuos Succeſſores convicta, atque expugnata ſunt omnium hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ hactenùs nec deficit, nec uſquè in finem deficiet; ſunt confirmata?*

137. Ex his Pontificii oraculi verbis prò noſtræ doctrinæ veritate adeò claris, dilucidiſque hanc conſecutionem deducit Dupinus diſſertat. 5. pag. 375. fine, per hæc ſequentia verba: *Ex his videre eſt, per fidem Petri non defecturam, Leonem intelligere ipſam fidem, quã prædicavit Petrus, per fidem verò, ſeu thronum Petri ipſum non intelligere Romanum Pontificem, ſed Eccleſiam univerſam Romanam: ſenſus ergò eius eſt, haud defecturam fidem in univerſa Eccleſia Romana.* Verùm ſi Doctor iſte aſſerit ex verbis Sancti Leonis non deduci fidem Petri non eſſe defecturam in Romano Pontifice, ut Doctor eſt privatus, deſerit quæſtionem noſtram; non enim inquirimus hìc; Utrum hìc Homo, qui Pontifex eſt Romanus, quando ex Cathedra non definit, poſſit in errorem prolabi, id enim jura canonica, quibus Leo Pontifex adverſari nolebat, poſſe fieri ſupponunt, ut in noſtra 1. diſcept. vidimus. Si autem affirmat ex verbis præfati Leonis non deduci fidem Petri defecturam non eſſe, in Romano Pontifice, prout ex Cathedra definit, tanquàm Doctor Eccleſiæ, vel Sanctus Leo, nihil in ſua teſtificatione dicit, vel adverſarius nimiùm à ſua expoſitione fallitur. Nàm Leo Pontifex aſſerit non poſſe errare eum, in quò D. Petrus vivit, præſidet, & quodam modo perpetuatur, & ſic continuat ſuam Apoſtolicam dignitatem; & loquitur de eo, qui eſt dignitate Petrus, & Petra, Fundamentumque Domus, ideſt, Eccleſiæ: eſt ne dignitate Petrus, petra, fundamentumve Clerus ipſe Romanus, Eccleſia Itala, Germana, Gallicana, Hiſpana, Occidentalis, Orientalis? Igitur præfatus Leo non dicit de his Provinciis, & Eccleſiis, quòd ſint Petrus, & quod ſuper Domum fundetur Domus, imo in ſacro textu dicitur, quod Domus ſuprà Domum ruet. Solùm ergò dicit de Romano Pontifice, quod ſit dignitate Petrus, & quod in Petri Succeſſoribus, Petri dignitas, firmitas, & infallibilitas continuetur, non prout nudè hic homo eſt; ſed prout dignitate Petrus, & totius Eccleſiæ Magiſter, & Doctor eſt: Si enim infallibilitas illa Petri in ſuis Succeſſoribus non permaneret; verba Chriſti fruſtanea, irritaquè forent: Nàm quomodò illibata Petri fides perpetuò duraret, ſi eius infallibilis authoritas cum ipſo Petro ſepeliretur, & in illius Succeſſoribus indeſinenter naſci deſineret? Fatendum igitur eſt verba Leonis de Pontifice Romano, prout commune totius Eccleſiæ magiſterium exercet, intelligi debere; proindeque ex illius verbis infallibilem Romani Pôtificis, ad definiendas, terminandaſque fidei cauſas, authoritatem clarè deduci.

138. Denique ad teſtimonium Innocentii III. in cap. Majores, extrà de Baptiſmo. Ubi ſic habetur *Majores cauſas, præſertim articulos fidei, contingentes ad Petri Sedem referendas intelligat, qui novit, pro eo Dominum exoraſſe; ne deficiat fides ejus.* Ad hoc, inquam, teſtimonium, quo nihil apertiùs pro veritate noſtræ doctrinæ potuit afferri, reſpondet Adverſarius loco cit. pag. 376. in hunc modum: *Reſpondeo, Innocentium hoc poſcere, ut majores cauſæ, ac præſertim fidei ad ſe referantur; at ipſum non dicere, eas ſupremo, & infallibili Judicio à ſe iudicandas; nec alio fine adducit hæc verba: Ego rogavi, pro te, Petre; quod,* inquit, *neceſſariò ſic eſt intelligendum, nam alibi ſerm. 3. de Conſecratione Romani Pontificis, ità de ſe ipſo profert: In tantum* mihi fides neceſſaria eſt, *ut cùm de cæteris peccatis Deum Judicem habeam; poſſim ab Eccleſia judicari.*: Ergò infert Du-

ſtra ſententia conſormari; & ſolum poſt Concilium Conſtantienſe à ſe perperā intellectum, & poſt Conciliabulum Baſileenſe, à Summis Pontificibus, ſaltem quoàd res authoritatē Pontificiam ſpectantes reprobatum, prodiere aliqui pauci numero Doctores Pariſienſes, qui quidèm in hoc à recto veritatis, veteriſque doctrinæ tramite deviarunt; Ut autem eorum recentium Gallorum aſſerta, falſiſſima eſſe compareat, in hac ſectione veterum Gallorum placita, cōtrà recentes ipſos, tibi ob oculos proponam.

143. In primis S. Ireneus Epiſcopus Lugdunenſis in Gallia, qui anno Domini 205. martyrio coronatus eſt; libro 3. contrà hæreſes cap. 3. ità ait. *Ad Romanam Eccleſiam propter potentiorem principatum, neceſſe eſt omnes convenire Eccleſias: hoc eſt omnes, qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undiquè, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* Oportebit nè Chriſtianas Eccleſias omnes ad regulam fallibilem convenire? quò pacto ſempèr conſervata erit ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio in ea Sede, quæ fuerit erroribus obnoxia? Si quia Romana Eccleſia habet ſuprà omnes Eccleſias potētiorem principatum, eſt infallibilis regula cæterarum; ergò ſi concedunt Pariſienſes, ut Catholici, Eccleſiam Romanam ſempèr potentiorem principatum habituram, quo pacto negare poſſunt, eam ſemper infallibilem fidei regulam fore?

144. Anno 445. Imperatoris Valentiniani prodiit edictum: quod ità habet: *Cum Sedis Apoſtolicæ primatum, S. Petri meritum, & Romanæ dignitas Civitatis, ſacræ etiàm Synodi firmavit authoritas, nè quid præter authoritatem Sedis iſtius illicitum præſumptio attentare nitatur: tunc enim demùm Eccleſiarum pax ubique ſervabitur, ſi Rectorem ſuum agnoſcat Univerſitas &c. Hanc* (præceptionem) *perenni ſanctione decernimus, ne quid tàm Epiſcopis Gallicanis, quàm aliarum Provinciarum, liceat contra conſuetudinem veterem, ſinè Papæ Urbis æternæ authoritate tentare; ſed illis, omnibuſque prò lege ſit, quidſancit, vel ſanxerit Apoſtolicæ Sedis authoritas.* Appellaverat Chelidonius ab Hilario ad Sedem Apoſtolicam: ibi fuit Chelidonius Innocens declaratus; Hilarius vocatus Romam nihil oppoſuit; occultèque Romam receſſit, conquerens Eccleſias Gallicanas his appellationibus turbari. Sed tandèm Papæ præceptionibus obedivit. Eccè Hilarius primo erraverat, poſteà verò ſuum correxit errorem: erit nè ſalubriùs Recentibus Gallis errantem, quàm pœnitentem ſequi?

145. Sanctus Avitus, qui anno Domini 523. vel juxtà alios 526. mortem oppetiit, Viennenſis Epiſcopus eruditione paritèr, & eloquentia præſtantiſſimus epiſt. 87. ad Hormiſdam Pontificē ità ſcribit: *Securus non dicam de Viennenſi, ſed de totius Galliæ devotione polliceor, omnes ſupèr ſtatu fidei veſtram captare ſententiam:* Quæ ſecuritas Sanctiſſimi Præſulis, & Gallorum omnium foret, in quæſtionibus fidei Romani Pontificis captare ſententiam; ſi Pontifex in decernendis, definiendiſque fidei cauſis errare poſſet?

PP. Concilii Turonenſis 2. celebrati anno 570. vel iuxtà alios 567. ità loquuntur cap. 21. *Quis Sacerdotum contra decreta talia, quæ à Sede Apoſtolicà proceſſerunt, agere præſumat? Sedis Apoſtolicæ ſempèr fuit, aut intromittere authores, quorum valere poſſit pradicatio; aut apocryphos facere: & Patres noſtri hoc ſempèr cuſtodierunt, quod eorum præcepit authoritas: non ergò ſequentes, quos vel Paulus Apoſtolus, vel Papa Innocentius ſtatuit in canonibus noſtris inſerentes &c.* En PP. Concilii Gallicani tot antè ſæculis dicunt ſe majorum ſuorum veſtigiis inhærentes, ſecuturos eſſe id, quod ſtatuit Romanus Pontifex, idque in ſuis canonibus inſerentes, omninò eſſe obſervaturos. Obſiſterent nè ſi nunc viverent Innocentii XI. decretis; qui tàm reverentèr obtemperaverant alterius Innocentii Pontificis decretis, & ſtatutis; qui Pontifex non majori, quàm præſens, authoritate fulgebat? Patres illi veteres, filios inobedientes Romani Pōtificis authoritati non acritèr increparent; obedientes verò ſummis laudibus non efferrent?

146. Sanctus Bonifacius Germaniæ

dictus Apoſtolus, qui anno Domini 757. glorioſam martyrii palmam felicitèr ob tinuit, quæ tunc temporis de infallibili Papæ authoritate ſententia fuerit, his verbis teſtatur: *Tanta reverentia apicem Apoſtolicæ Sedis omnes ſuſcipiunt; ut Sanctorum Canonum diſciplinam, & antiquam Chriſtianæ Religionis inſtitutionem magis ab ore præceſſoris eius, quàm à ſacris paginis, & paternis traditionibus expectant. Illius velle tantùm explorant, ut ad ejus arbitrium, ſuam converſationem, aut ipſi remittant, aut intendant.* Quodnàm efficaciùs, luculentiuſque, pro Pontificis Romani authoritate, infallibilitateq; teſtimonium poſſit afferri? Cùr Præſules illi Gallicani, ſolùm Pontificis voluntatem, arbitriumque explorabant, ut crederent, vel non crederent, niſi quia quòad docendam veram Religionem, & fidem, Deum ipſi, ne in errorem prolaberetur, aſſiſtere credebant? Cùr nec ipſi ſacræ paginæ, nèc traditionibus tantùm fidebant, maximè verò Romani Pontificis authoritati, definitionique; niſi quia ſæpè viderant quamplurimos hæreticos, ut Neſtorium, Macedonium, alioſque hujus farinæ perduelles, obtentu Sacræ Scripturæ à ſe perperam intellectæ, contempta Sedis Apoſtolicæ authoritate, miſerè periere? Ergò ſacri illi Præſules, Patreſque Gallicani Sapientiſſimi, ac Religioſiſſimi, etiàm ſacras literas, non alitèr, quàm intellectas expoſitaſque ſecundum Romanæ Sedis oraculum reſpiciebant.

147. Anno 792. præſente Carolo Magno, multiſque Galliæ antiſtitibus Ratisbonę damnata eſt ab Adriano I. hęreſis Felicis Epiſcopi Urgelitani, qui Chriſtum eſſe Filium adoptivum, per ſummam blaſphemiam edocebat, de quo Alcuinus lib. 1. contrà Elipandum ità ait: *Hæc eadem veſtri erroris Sacra Synodali authoritate Sacerdotum Chriſti æterno anathemate damnata. Imò à bon. memoriæ Adriani primi funditùs exterminata eſt.* An eſſet omninò, ac funditùs exterminata, ſi Pontifex ille fallibilis foret? Non quæreretur ulteriùs aliqua alia fidei regula infallibilis, poſſetque eidem Papæ obiici, non dùm fuiſſe hæreſim illam penitùs dirutam; quia in ea ſententia, Papa, ſi fallibilis foret, errare poſſet? Senſerunt igitur PP. illi Gallicani, Pontificem Romanum in definiendo res fidei, etiàm extrà Concilium univerſale, infallibilis authoritatis eſſe.

148. Duos poſt annos idem Carolus Magnus, cum de eliminanda à ſuo Regno peſte illa fędiſſima, damnati Felicis Epiſcopi ſupranominati, ageret, convocatis Franciæ Pręſulibus, illuſtre authoritati Pontificiæ teſtimonium dedit, per hæc verba: *Ad beatiſſimum Sedis Apoſtolicæ Pontificem, tèr, quatèrque direximus miſſos, ſcire cupientes, quod Sancta Romana Eccleſia edocta traditionibus, de hac reſponderi voluiſſet traditione Apoſtolicæ Sedi, & antiquis ab initio naſcentis Eccleſiæ, & Catolicis traditionibus, tota mentis contentione, tota cordis alacritate coniunge.* Ità aſſert Gallia vindicata diſſert. 4. §. 1. pag. 52. En quomodò Reges, & Imperatores Apoſtolicæ Sedis oracula venerabantur.

149. Iueſſe Abianęſis Epiſcopus, qui circà annos 840. floruit, ità ad ſuos ſcribit. *Sequimur Romanæ Eccleſiæ authoritatem, ut unde Catholicæ fidei initia accepimus; indè exemplaria ſalutis noſtræ ſemper accipere debeamus, ne membra à corpore ſeparentur ſuo; ne claviger Regni Cœleſtis abiiciat, quod à ſuis diverſos intelligat eſſe doctrinis.*

150. Ludovicus Pius Imperator Caroli Magni Filius, qui obiit anno 1040. Ità ait. *Omnes Epiſcopi, qui in quibuſdam gravioribus pulſantur, quotiès neceſſè fuerit, Apoſtolicam appellent Sedem, atque ad eam, quaſi ad Matrem fugiant, ut ab ea, ſicut ſemper fuit, defendantur, & liberentur, cujus diſpoſitioni, omnes majores Eccleſiaſticas cauſas, & Epiſcoporum Iudicia, antiqua Apoſtolorum, eorumque Succeſſorum, atquè Canonum authoritas reſervavit, quoniam culpantur Epiſcopi, qui alitèr erga fratres egerint, quàm eiuſdem Sedis Papæ fieri placuerit, Canonibus quippè iubentibus in talibus abſque Romano nihil decerni Pontifice, nec ad Concilium vocari debere decernunt.*

151. Patres Concilii Turonenſis in Gallia celebrati anno 849. Ducem Brittonum

tonum

tonum Neomenerium, non acceptantem literas Romani Pontificis acriter increparunt per hæc verba. *Ad cumulum malorum omnium læſiſti Chriſtianitatem, dum Vicarium B. Petri Apoſtolicum; cui Deus dedit Primatum in omni Orbe terrarum, ſprevisti, & ne literas quidem ipſas accepiſti. In eo igitur læſiſti Apoſtolos, quorum Princeps eſt Petrus.* Circa hæc audi nunc concinna verba Authoris Galliæ Vindicatæ ſupra citati; *Si tamen tamquam indignum facimus, viginti duo Galliæ Epiſcopi crediderunt, quod Dux Sæcularis, ac Tyrannus, nulloque alio vinculo Pontifici obſtrictus, quàm illo communi hominis Chriſtiani Epiſtolas Romanas non admiſiſſent, quid dicerent, rogo, & quale crimen judicarent, ſi Epiſcopi tot titulis, ac juramento, toties Romæ obnoxii, non tantùm Epiſtolas Pontificis non acciperent, ſed tot etiam modis eas neglectui haberent, & tamen Pariſiis id factum.*

152. Audi etiam LupumGallicanũ, qui anno Domini 852. in Gallia floruit: In Epiſt. 103. ad Benedictum III. ità ſcribit. *In quibuſcumque ad Religionem, vel honeſtatem ſpectantibus ambiguitatem creat varietas, ut optimè quæque eniteant illic ſolicita inveſtigatione credimus recurrendum, unde fidei ubique manavit exordium.* Accedit Rhegino Monaſterii Prumienſis Abbas, qui anno 859. ità ſcribit in Chronico: *Stultitiæ quidem elogio denotandi, qui illam Petri Sedem aliquo pravo dogmate fallere poſſe arbitrati ſunt, quæ nec ſe fefellit, neque ab aliqua hæreſi unquàm falli potuit.*

153. Frecenſe Concilium anno 867. celebratum fuit ab omnibus totius Galliæ Epiſcopis, qui ad Joannem VIII. Pontificem Maximum ità ſcribunt: *Iudiciũ veſtræ authoritatis, quod privilegium Divi Petri, & Sedis Apoſtolicæ in eos, & complices eorum, juxta Sacros Canones ſpiritu Dei, & totius mundi reverentia conſervatos, ac ſecundùm Romanæ Eccleſiæ Prædeceſſorum veſtrorum decreta prætuliſtis, voto, & unanimitate noſtra gladio Spiritus Sancti perſequimur, ſcilicet quos excommunicatis, excommunicamus, quos ab Eccleſia abiciſtis, abiicimus, quos anathematizaſtis, anathematizamus, & quos regulariter ſatisfacientes, veſtra authoritas, & Apoſtolica Sedes receperit, recipiemus.* Dicunt Recentes Galli hæc palpi, non veritatis affectu dicta. Sed ò cęca mens hominum! Palpum eſt obſervantia Canonum; & inobſervantia eſt affectus caritatis?

154. Eodem ferè modo loquitur Concilium Pontigonenſe anno 876. in Galliis celebratum, in quo Patres canone 1. ità decernunt; *Ut honor Domino, & Spirituali Patri noſtro Joanni VIII. univerſali Papæ ab omnibus conſervetur, & quæ ſecundùm ſacrum ſuum miniſterium Apoſtolica authoritate decreverit, cùm, ſumma veneratione ab omnibus ſuſcipiantur, & debita illis reverentia in omnibus conſervetur.*

155. Hicmarus Archiepiſcopus Rhemenſis, qui anno 882. mortem oppetiit, licet Romæ infeſtus, tamen veritate convictus, ſic loquitur de authoritate Romani Pontificis in epiſtola ad Nicolaum I. *In omnibus dubiis, vel obſcuris quæ ad rectæ fidei tenorem, vel pietatis dogmata pertinent, Sancta Romana Eccleſia, ut omnium Eccleſiarum Mater, & Magiſtra, nutrix, ac doctrix eſt conſulenda, & ejus ſalutaria monita ſunt tenenda: Undè quoniam ſicut B. Innocentius ad Decentium Eugubinum Epiſcopum ſcribit, manifeſtum eſt in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atq; Siciliam, Inſulaſque interjacentes, nullam inſtituiſſe Eccleſiam, niſi eos, quos venerabilis Petrus, aut ejus Succeſſores conſtituerunt Sacerdotes; oportet hoc ſequi, quod Romana tenet Eccleſia; ne dùm Peregrinis inſtitutionibus ſtudeant, caput inſtitutionum videantur amittere.* Idem de prædeſtinat. contra Godeſcalium c. 4. *ſequimur autem*, inquit, *quod Catholica, & Apoſtolica nos docet Sancta Romana Eccleſia, quæ in fide nos genuit*, & in præfat. ad Nicolaum I. Pontificem Maximum; Ità loquitur: *Neque enim fas eſt, ut abſque Vicario Dei abſque Clavigero cæli, abſque curru, & auriga ſpiritualis Iſraelis, abſque univerſitatis Pontifice, abſq; ſingulari Paſtore, abſque unico Papa, abſque omnium arbitrio aliquid conſummetur, aut divulgetur, tu enim tenes Claves David: tu accepiſti Claves ſcientiæ. In arca quippe pectoris tui, arca teſta-*

menti, & Mannæ cæleſtis ſaporis requieſcunt. Tu enim, quod ligas, nemo ſolvit; quod ſolvis, nemo ligat; quod aperis, nemo claudit, claudis, & nemo aperit: vicem namque in terris poſſides Dei.

156. Audiatur Jvo Carnotenſis, qui diem obiit anno 1114. & ſic ſcribit epiſt. 8. ad Dicherium Senonenſem Archiepiſcopum: *Dicitis me Sedem Gaufridi invaſiſſe, in quo contra Sedem Apoſtolicam caput erigitis, cujus judiciis, & conſtitutionibus obviare planè eſt hæreticæ pravitatis notam incurrere.*

157. Anno 1140. Sex Galliarum Epiſcopi in Epiſtola, quæ eſt inter epiſtolas D. Bernardi 370. ita ad Innocentium II. ſcribunt: *Nulli dubium eſt, quod ea, quæ Apoſtolica firmantur authoritate, rata ſemper exiſtunt, nec alicujus deinceps mutari poſſunt cavillatione, vel invidia depravari; ea propter ad veſtram Apoſtolicam Sedem, &c.* omnes eo tempore Gallorum antiſtites de Pontificis Romani authoritate infallibili minime dubitabant. Nunquid tunc minus fideles? Minus Religioſi? In Sacris Canonibus, conciliorumq; decretis minus verſati? nunquid una tum temporis fides; nunc vero alia longe diverſa in Galliis ſervatur?

158. Accedat clariſſimum D. Bernardi teſtimonium; qui anno 1153. fœliciter occubuit; eſtque fulgentiſſimum Galliæ, totiuſque Eccleſiæ lumen; epiſt. 190. Sic Innocentium II. alloquitur: *oportet ad veſtrum aſſerri Apoſtolatum pericula quæque, & ſcandala emergentia in Regno Dei, ea præſertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, ubi non poſſit fides ſentire defectum: hæc quippe hujus prærogativa ſedis: cui enim alteri aliquando dictum eſt: ego pro te rogavi, ne deficiat fides tua?* Quid eſt autem non poſſe fidei ſentire defectum, niſi habere infallibilitatem in decidendis fidei cauſis? Si poſſet Pontifex pro tota Eccleſia hæreſim docere, quo pacto eſſet verum, fidei defectum ſentire non poſſe?

159. Concilium Lugdunenſe I. anno 1245. celebratum, cui flos Gallicani Sacerdotii viſus eſt aſſiſtere, clariſſimũ de infallibilitate Papę teſtimonium protulit his verbis: *Pro humani Redemptione generis Dei Filius Jeſus Chriſtus, ne gregem ſui pretio ſanguinis redemptum poſt reſurrectionem ad Patrem abſque Paſtore deſereret, ipſius veram B. Petro (ut ſua ſtabilitate fidei cæteros in Chriſtiana Religione firmaret, eorumque mentes ad ſalutis operæ ſuæ accendere devotionis ardore) commiſit.* Idem Concilium Lugdunenſe II. ſub anno 1274. probat. Sic enim Patres, quorum præcipua pars erant Galli, loquuntur. *Fideli, ac devota confeſſione profitemur, quod Spiritus Sanctus, æternalitèr ex Patre, & Filio, tamquàm ex uno principio unica ſpiratione procedit. Hoc profeſſa eſt; hactenùs prædicavit, ac docuit; hoc firmitèr tenet, prædicat Sacroſancta Romana Eccleſia Mater omnium Fidelium, & Magiſtra.* Et in eodem Concilio recepta eſt à Patribus, communique omnium conſenſu approbata profeſſio fidei orthodoxę à Græcis: his verbis, quæ Romani Pontificis infallibilem authoritatem expreſsè declarant: *Ipſa quoque Sancta Romana Eccleſia ſummum, & plenum primatum, & principatum ſupèr univerſam Eccleſiã Catholicam obtinet; quem ſe ab ipſo Domino in B. Petro Apoſtolorum Principe, ſive vertice, cujus Romanus Pontifex eſt Succeſſor, cum poteſtatis plenitudine recepiſſe veracitèr, & humiliter recognoſcit, & ſicut præ cæteris fidei veritatem tenetur defendere: ſic &, ſi quæ fidei ſubortæ fuerunt quæſtiones, ſuo debent judicio definiri.* Quomodò ergò Pontifex Romanus poſſet ſuo Judicio fidem, quæ eſt infallibilis, definire; ſi ejus judicium in definiendo fallibile foret? Potuit nè clariùs, majorique Gallorum conſenſu infallibilitas in definiendo Romano Pontifici adſcribi? An Concilium pateretur privilegium decidendi cauſas fidei à ſe vidente, in Pontificem inique transferri, ſi hoc decidendi cauſas fidei, privilegiũ Concilio ipſi, & non Pontifici Romano ineſſe crederet?

160. Anno 1387. Petrus Alliacenſis Gallus Doctor, & Pariſienſis Academię Cancellarius, poſteà Cardinalis Cameracenſis, ideoque doctrinâ Eccleſiæ Gallicanæ benè inſtructus, ſuo, & totius univerſitatis nomine Clementem VII. Quẽ Gallia prò verò Pontifice agnoſcebat, ſic allo-

alloquitur: *Igitur prò veſtris humillimis filiis Univerſitatis prædictæ, & prò nobis eorum Nuntiis, qui ſuis in hac parte obſequimur mandatis, & documentis innitimur, corde, & ore unanimiter proteſtamur, quod quicquid hactenùs in hac cauſa actum eſt, & quicquid in ea nunc vel aliàs acturi, aut dicturi ſumus, correctioni, & Judicio Sedis Apoſtolicæ, & ſedentis in ea Summi Pontificis, humilitèr ſubmittimus, dicentes cum Beato Hieronymo: hæc eſt fides Pater Beatiſſime, quam in Eccleſia Catholica didicimus; in qua, ſi minus peritè aliquando poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri fidem, & ſedem tenes: Non ignoramus enim, ſed firmitèr tenemus, & nullatenùs dubitamus, quòd Sancta Sedes Apoſtolica eſt illa Cathedra Petri; ſuprà quam fundata eſt Eccleſia, eodem Hieronymo teſte; & ſicut dixit Cyprian. diſt. 93. canone, qui Cathedram, de qua ſede in Perſona Petri Apoſtoli, in ea ſedentis dictum eſt; Petre, rogavi prò tè, ut non deficiat fides.* Hæc eſt doctrina, quam cum tota univerſitate ſua Doctores Pariſienſes indubitabilitèr ſequebantur; cui ſi Recentes Galli ſe conformarent, à novitatibus, abſq; ulla ratione noviter introductis, penitùs abſtinerent: ſacroſque Canones non contemnerent.

161. Anno 1418. Celebrata eſt ſeſſio 45. Concilii Conſtantienſis, in qua omnibus Concilii Patribus, ac præſertim Gallis, quorum pars maxima erat in eo Concilio præſentibus, Conſtitutio Martini V. nullo omninò Patrum reclamante, proindeque conſentiente; (qui enim tacet, quandò loqui opporteret, conſentire cenſetur, ex regula iuris, qui tacet conſentire videtur, de regulis juris in ſextò) publicis Concilii actis inſerta eſt. in hæc verba: *nulli fas eſt à ſupremo Judice videlicet, Apoſtolica Sede, ſeù Romano Pontifice appellare; aut illius judicium in cauſis fidei (quæ tanquàm majores, ad ipſum, & Sedem Apoſtolicam referendæ ſunt) declinare.* Negari ne poteſt fuiſſe a Papa in Concilio definitum in cauſis fidei judicium ultimum, ad Romanum Pontificem ſpectare? Si ergò recentes etiam Galli fatentur ea, quæ à Papa in Concilio legitimo definiuntur, articulum fidei manere; quo pacto poſſint inficiari, papam definientem indeficientis judicii infallibilitatem habere? Si hoc falſum foret, nonnè Patres ipſi reclamarent? non obſiſterent? Non procurarent verba illa deleri? An quià ſolus Gerſon, qui Præſul non erat, ideoque nullius Authoritatis, nec fuit exauditus, reclamavit; non potiùs eſt reprehendendus, quàm ab his recentibus Gallis ſequendus? Poſt habendum ne vobis eſt uni Gerſoni Doctori privato, ac planè decepto, Concilium univerſale, legitimum à Pontifice approbatum; Cui, nè prolabatur in errorem, infallibilem Deus aſſiſtentiam pollicitus eſt? erravit igitur Gerſon, & in hoc reſpuendus potiùs, quàm ſequendus.

162. Anno 1441. in Concilio Florentino Legatio Caroli VII. Francorum Regis, & inſupèr Concilii Bituricenſis comparvit; cujus inclytę legationis pręcipuus Legatus extitit Epiſcopus Maldenſis, ſui Regis, & Epiſcoporum nomine loquens, quæ perperàm Baſileenſe Conciliabulum prò authoritate Concilii ſuprà Papam ſtatuerat, improbando; & quæ Sanctè Concilium Florentinum, ſub Eugenio IV. legitimè congregatum pro authoritate Papæ ſuprà Cōcilium decreverat, amplectendo proùt jàm ſuprà prælibavimus, ità coràm ſacro Purpuratorum Senatu peroravit: *Nimio fervore reſiſtendi Baſileenſes ad hanc Veſaniam devenerunt, quod ſupremam poteſtatem in uno ſuppoſito conſiſtere negent, ſed eum in multitudine collocant; Et ſic pulcherrimam Monarchiam Eccleſiæ, quæ Chriſtianos hùc uſque tenuit in unitate fidei, in una profeſſione Religionis Chriſtianæ, in uno ritu Sacramentorum, in una obſervantia mandatorum; in iiſdem ceremoniis Divini cultus, atque pacem, & tranquillitatem aſſervit, nunc abolere, & ſupprimere contendunt, nobiliſſimam politiam, ad democratiam, vel Ariſtocratiam redigentes &c. & hoc animadvertens præfatus Rex Chriſtianiſſimus vehementi dolore ingemiſcit, ac conſulto Prælatorum, & aliorum multorum Sapientium Regni ſui videtur ſibi, quod nullum eſt aptiùs remedium ad hoc ſchiſma extirpandum, quàm evellere, ac diſper-*

ſperdere duas extremitates, ad quod faciendum neceſſarium eſt Concilium generale. Porrò Concilium Baſileenſe unam extremitatem nimis exacuit, quandò veritatem de ſuprema poteſtate in uno extinguere pertentavit: Concilium autem Florentinum benè hanc veritatem lucidavit, ut patet in decreto Græcorum, ſed prò regulando uſu hujus poteſtatis nihil edidit, &c.

163. En Rex Chriſtianiſſimus, omneſque Regni ſui Præſules, & Sapientes Romano Pontifici ſupremam in Eccleſia poteſtatem aſcribunt, & eos, qui illam in Concilium transferunt, omninò improbant, Conciliabulumque Baſileenſe hanc Monarchicam gubernationẽ evertere intendens repellit, Ueſaniçque inſimulat. Poterant ne Gallorum Epiſcopi præclariùs, illuſtrîuſque Pontificiæ infallibilitati teſtimonium præbere? Ad definiendum ultimo res fidei ſuprema in Eccleſia poteſtas omninò requiritur: negabitur nè Pontifici, infallibilis poteſtas definiendi, dùm ſolum illi ſuprema poteſtas arrogatur? At dices: hujus poteſtatis ſupremæ uſus, ad quod extendatur, ibi non exprimitur, ſed hoc quid contrà infallibilitatem? nùm nos aſſerimus, Romanum Pontificem abuti ſua poteſtate non poſſe? An nè, ſi illa fortè aliquando abutatur, quamuis à nullo Judice Superiore judicari poſſit, ab inferiori non poterit debita cum reverentia, ſicut à Filiis Pater moneri? Si ergò Concilium aliquandò Pontificem forsàn negligentem, debita tamen reverentia, & ſubiectione moneat, non tàm Concilii, quàm Pontificis authoritas illuceſcet.

164. Non minùs clarè oſtendit Pontificis infallibilitatem in decidendis fidei cauſis Cõcilium Senonenſe in Gallis anno 1527. celebratum Præſide Senonenſi Archiepiſcopo Galliarum Cancellario: Nàm ibi contrà Lutherum editis decretis; in uno ſic habetur, prò Sedis Apoſtolicæ authoritate: *Univerſos, qui alitèr, quàm Romana credit Eccleſia, & docet, credere, & pertinacitèr aſſerere tentant, ejuſdem Concilii authoritate, velut hæreticos, & pertinaces à Communione Eccleſiæ declaramus ſeparatos.* An hoc non eſt clariſſimè Papæ infallibilitatem aſſerere?

165. Eodem planè modo loquitur Concilium Melodunenſe in Galliis anno 1579. celebratum; In quo ità Gallicani Patres loquuntur: *Operam dabunt iis, quibus hæc cura demandata eſt, Epiſcopi, ſcilicet, & eorum Vicarii, ut in omnibus Synodis omnes, & ſinguli, tàm Clerici, quàm Laici amplectantur, & aperta profeſſione eam fidem pronuncient, quam Sancta Romana Eccleſia, Magiſtra, Columna, & firmamentum veritatis profitetur, & colit: ad hanc enim propter ſuam principalitatem oportet omnes convenire Eccleſias.* Erit ne firmamentum fidei infallibilis Romana Sedes, ſeù, quod idem eſt, Pontifex pro Cathedra definiens, ſi Pontifex hic pro Cathedra definiens fallibilis ſit? Opportebit nè ad hanc Sedem Romanam, ſeù Pontificium oraculum, ſi fallax, errorique obnoxium ſit, cæteras alias totius Orbis Eccleſias pro infallibili fidei veritate indaganda convenire?

166. Juvat his tranſcribere verba Synodi Gallicanæ Pariſijs anno Domini 1626. celebratæ; quæ Author Galliæ vindicatæ diſſert. 4. §. 2. pag. 261. à Gallicano idiomate, in latinum fideliter tranſtulit in hunc modum? *Nullum majus argumentum veri ergà Deum amoris, exhiberi à Nobis poteſt, quàm ſi debita veneratione eos proſequamur, quos ipſe ad neceſſitates, animaſque noſtras curandas, Vicarios, legatoſque ſuos, conſtituit. Id verò cum precipuè, atque antè omnes Epiſcopos Romano Pontifici conveniat, æquum omninò eſt, ut iidem Epiſcopi, & ſe Pontifici ſubiectos agnoſcant, & aliis omnibus eximiæ in illum venerationis, ac reverentiæ exemplum præferant. Hortamur igitur Epiſcopos omnes, ut Sacram Apoſtolicam Sedem, Romanamque Eccleſiam, utpotè in Dei ſponſione infallibili, & Apoſtolorum, àc Martyrum ſanguine fundatam, omniumque Eccleſiarum Matrem, omni honore, cultuque proſequãtur. Ipſa enim, ut cùm B. Anaſtaſio loquamur, eſt ſacrum illud caput, à quo in omnes Eccleſias, velut in totidem membra omnis ſpiritus diffunditur, quo nutriuntur, ac conſervantur. Sanctiſſimum quo-*

que

Digitized by Google

que Patrem, ac Pontificem noſtrum; quiâ Eccleſiæ univerſalis caput viſibile, Deiq; in terris Vicarium, Epiſcopum Epiſcoporum, & Patriarcham Patriarcharum, honore afficiant: is enim Succeſſor eſt Petri, à quo omnis Epiſcopus initium, atq; originem duxit; & ſupèr quem Chriſtus Jeſus Eccleſiam ſuam fundavit; quandò illi claves Regni Cælorum, atque donum infallibilitatis (nota benè) *in cauſis fidei reliquit: quam fidem non ſinè ingenti miraculo, durare in ejus Succeſſoribus immobilem, illibatamque videmus: Undè ingens illa in Romanorum Pontificum decretis, mandatiſque amplectendis apud omnes fideles, & Orthodoxos obſervantia profeſſa eſt. Hæc verò, ut nihil detrimenti capiat. Epiſcoporum munus erit, curabuntque eorum improbitatem coerceri, qui obſequii omnis, legumque impatientes, ſacram hanc tot divinis, humaniſque legibus ſancitam authoritatem revocare in dubium, caſſamque reddere conantur: Utque alios efficacius ad id permoveant, primi ipſi exemplo præibunt &c.* quid clariùs? quid luculentiùs? quid nervoſius? quid cum ſacris canonibus, Conciliorum decretis, ſacræ paginæ teſtimoniis conformiùs prò infallibili Romani Pontificis, in decidendis fidei cauſis authoritate Sapientiſſimi, Religioſiſſimi, & Illuſtriſſimi Gallorum Præſules afferre poſſent? legant Adverſarii attentè verba Concilij, & credo veritati manus eſſe daturos. Omitto hic Illuſtriſſimi Cleri Gallicani ad Innocentium X. literas, quæ videri poſſunt apud Eminentiſſimū Cardinalem Aguirre in ſuo illo libro aureo, cedro digno, & omnibus ſemper manibus verſando, menteque revolvendo, prò Sedis Apoſtolicæ authoritate propugnanda; in quibus literis, infallibilis Romani Pontificis authoritas mirificè commendatur.

167. Idem infallibilitatis Romani Pontificis ex ipſo Pariſienſis Univerſitatis teſtimonio privilegium comprobatur, & in primis certum eſt, Univerſitatem Pariſienſem, nunquàm tradituram eſſe Doctrinam ſacris canonibus, & ipſi etiam Eccleſiæ Gallicanæ adverſam: ſed Recentes Doctores Galli docendo, fallibilem eſſe Papæ prò cathedra definientis authoritatem, ſacris Canonibus, Conciliorum decretis; & ipſi etiam Gallicanæ Eccleſiæ, ut ex dictis liquidò conſtat, maximè adverſantur; Ergò illorum Doctrina Univerſitatis Doctrina eſſe nequit. Deindè Albertus Magnus, D. Thomas, D. Bonaventura præcipui Univerſitatis Pariſienſis Coriphæi; quos ſuprà prò infallibilitate Papæ citavimus, credendi nè ſunt voluiſſe à communi Univerſitatis Pariſienſis diſciplina deflectere? An Academia illa Univerſa, ſi contrariæ fuiſſet Doctrinæ, non eis obluctaretur? Præterea Petrus de Marcha, nominatus Archiepiſcopus Pariſienſis ſupèr theſes Claramontanas. nu. 21. 31. & 34. ſic teſtatur: *Authoritas infallibilem ſententiam pronunciandi, eſt Romanis Pontificibus omnium Univerſitatum conſenſu acquiſita; excepta tamen antiqua Sorbona.* Imò hoc quoque tempore hanc de infallibilitate ſententiam in ipſa Sorbona doceri videmus: nam duodecima Menſis Decembris anno 1660. in Sarbona publicè hæc theſis defenſa eſt, ſcilicet; *Romanus Pontifex controverſiarum Eccleſiaſticarum Judex à Chriſto eſt conſtitutus, qui ejus definitionibus indeficientem fidem promiſit.* Eamdem theſim, in Univerſitate Navarrica 7. Decemb. propugnatam *ſcimus.* Et infrà nu. 34. ità ait circà Galliæ Doctores: *Pars major non ſolum Theologiæ, ſed etiam Juris Doctorum communi opinioni adhæret, utpotè fundamentis nixæ ſolutu difficillimis.*

168. Ut intelligas quid hic Marcha, nomine Antiquæ Sorbonæ ſignificare velit; adverte Collegium Sorbonicum fuiſſe à quodam Roberto Sorbon; qui S. Ludovico Regi à ſacris confeſſionibus, & Eleemoſynis erat anno 1253. fundatum: quo tempore in Eccleſia Gallicana nullus dubitabat de infallibilitate Romani Pontificis, ut ſuprà oſtenſum eſt. Sequenti verò ſeculo cùm nullum poſſet medium inveniri abolendi pernicioſum tunc in Eccleſia ſchiſma; quia nullus Pontifex cedere volebat; cogitatum fuit majorem aliquam poteſtatem quærere, quæ illos Pontifices coerceret: Ea verò poteſtas à Gerſone, Almaino, aliiſque paucis in Concilium Univerſale collata eſt. Hæc eſt ergò vetus Sorbonica, quę

tem-

tempore Conſtantienſis Concilii, & Baſileenſis vigebat; dicta ſic Sorbonica à nomine Sorbon fundatoris illius Collegii Sorbonici, cujus Collegę erant prædicti Doctores: hanc tamèn Sorbonicam à cœteris Gallorum Doctoribus ſempèr irriſam eſſe, citatus Marcha teſtatur; Et ſolùm conſulebatur, quando inter Pontificem, & Regem lis aliqua orta erat; Ut ſub Sixto V. Julio II. Alexandro VII. factum eſt: hæc ergò eſt vetus Sorbonica; cui potiſſimùm Adverſarii adnituntur: Nàm Univerſitas Pariſienſis ſempèr prò infallibilitate Papæ decertare viſa eſt, imò eſt conſuetudo recepta in univerſitate Pariſienſi, ut qui ad primos gradus promoventur, priùs hanc Papæ infallibilitatem profiteantur. Ità teſtatur Duvallius Doctor Sorbonicus, ideoque teſtis ſinè exceptione major in Academia Pariſienſi Regius Theologiæ Profeſſor, in tract. de poteſtate Eccleſiaſt. quem in lucem edidit anno 1604. & ità loquitur: *Laudabilis in Academia Pariſienſi viget conſuetudo; qua Baccalaurei de quæſtionibus Theologicis ſolemniter reſponſuri proteſtationem præmittunt ſe nolle quidquam contrà decreta Sanctæ Matris Eccleſiæ, necnon Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, & Romanæ aſſerere, aut defendere, & ſi quid adversùs ejus decreta in æſtu diſputationis illis exciderit, vel ignorantiæ, vel immemoriæ, vel linguæ præcipitantiæ attribuendum velle.*

169. Item præter jàm allegatos Doctores Gallos, Theophylus Raynaudus etiam Gallus conteſtatur pro hac Papæ infallibilitate, ſtare Doctores Pariſienſes, ità loquens: *Quotquot antè Concilium Conſtantienſe floruerunt, poſſent omnes Theologi produci: nàm non niſi à tempore Concilii Conſtantienſis, & Baſileenſis revocata eſt in controverſiam hæc veritas apud Catholicos; ſed omnes anteriores unanimitèr docuerunt definitiones Pontificias, etiam abſquè Concilio generali editas facere rem de fide.* Gibalin. lib. 5. de jure Canon. c. 3. §. 15. ex profeſſo tuetur, lateque demonſtrat, hanc noſtram veritatem eſſe, & fuiſſe ſempèr Doctrinam ſcholæ Pariſienſis, & eamdem univerſitatem Pariſienſem Pontificiæ infallibilitati ſubſcribere, ex præcipuis hujus Academiæ Doctoribus patet: qui eandem ſententiam docuere prætèr jàm citatos, illam tuetur Dominicus de Raconis Doctor Sorbonicus, & Epiſc. Vaurenſis de ſuprema Petri poteſt. ſect. 1. cap. 5. fol. 249. Nicolaus Coffreddus, D. Pariſienſ. & Epiſcopus Maſſilienſis de ſacra Monarchia. l. 2. c. 5. Michael Naucłerus Doctor Sorbonicus de Monarchia lib. 8. c. 6. p. 4. Ludovicus Bail. Doctor Pariſienſis Propænitentiarius, Edmundus Richerius Doctor Theologus, qui retractavit contrariam partem uno anno antè mortem, ſcriptorum pænitens Sedem Apoſtolicam Matrem, & Magiſtram omnium Eccleſiarum, & infallibilem veritatis Judicem agnovit. Idem Doctor Ouvallius Sorbonicus, & Pariſienſis Univerſitatis Profeſſor, de ſuprema Pontificis poteſt. p. 2. Joannes de Arti Regius Profeſſor tract. beneſic. cap. 3. Enricus Spondan. Apamiarum Epiſc. ad annum Chriſti 33. n. 5. Joannes à Celaja D. Pariſienſ. in 3. ſentent. d. 25. p. 4. Joannes Puteanus Profeſſor Regius in Academia Toloſana. in 22. q. 1. a. 6. Leonardus D. Pariſienſis in Antimorneo to. 1. fol. 83. Herveus Armoaichius, Enricus Gandavenſis. Id ipſum multi alii Doctores Galli fatentur, quos brevitatis cauſa prætermitto, tùm quià illi videri poſſunt apud cit.

170. Cæterum melius ipſamet Pariſienſis Academia ſuam mentem declaravit. Primo ſic anno 1387. per Petrum Alliacenſem, ipſius univerſitatis Cancellarium alloquitur, Clementem VII. *Fundari à te cupimus, qui Petri Sedem, & fidem tenes; Non ignoramus enim, ſed firmiſſimè tenemus, & nullatenùs dubitamus, quod Sancta Sedes Apoſtolica eſt illa Cathedra Petri &c.* & infrà: *Hæc eſt igitur ad quam determinatio fidei, & approbatio pietatis Catholicæ, ac hæreticæ impietatis reprobatio maximè pertinet.* Item eadem univerſitas anno 1554. Ità ait: *Omnes, & ſinguli obedientiæ filii, ipſum Romanum Pontificem, ut ſummum, & univerſalem Chriſti Jeſu Vicarium, & univerſalem Eccleſiæ Paſtorem, cui plenitudo poteſtatis à Chriſto data eſt; Cui omnes utriuſque ſexus obedire; Cujus decreta pro ſe quiſque tueri, & conſervare tenetur,*

tur, ut ſemper agnoverunt, & confeſſi ſunt.

171. Ex quibus omnibus perſpicuum, dilucidumque apparet, tum Eccleſiam Gallicanam ab exordio ibi naſcentis Eccleſiæ, tùm univerſitatem Pariſienſem, & alias in eo Regno fundatas, tùm Sacræ Theologiæ, ac utriuſque juris Doctores, prò infallibili Romani Pôtificis in definiendis fidei cauſis etiàm extrà Côcilium authoritate ſempèr pugnaſſe; nec id in quæſtionem revocaviſſe. Quâ igitur veritate, qua ſcientia, imò, & qua conſcientia aſſerere audent Adverſarii contrà noſtram ſententiam ſtare Doctores Gallicos, & Academiam Pariſienſem? Nunquid pauci illi Doctores Sorbonicæ ſunt omnes Galliæ Doctores? Nunquid Sorbonica illa ex paucis numero Congregatio Illuſtriſſimæ, ac antiquiſſimæ Univerſitati Pariſienſi, Sorbonicam totiès irridenti, anteponenda eſt? Nonnè etiam ex illa Sorbonica cordatiores, ſapientioreſque, ut vidimus, noſtram ſententiam complectuntur? En ex Pariſienſi Accademia omnes, & ex ipſa Sorbonica non pauci noſtræ mordicùs adherent ſententiæ: Cur hi Sorbonici pauci nulla ratione ſuffulti tot numero ex illuſtri Gallia Doctoribus, tot, tamqne efficacibus rationibus, tot ſacris canonibus tot univerſalium Conciliorum præſidio præmunitis anteponentur? Divina illa Spiritus Sancti infallibilis aſſiſtentia, mutato rerum ordine, à Sede Apoſtolica Petri, à Vaticani oraculo, à Conciliis legitimè congregatis, ad illam Sorbonicam tranſlata eſt, ut jàm huic, & non illis infallibilitas promittatur?

172. In tota hac ſuperiori doctrina duæ quidem veritates manifeſtiſſimè probatæ manent. Prima Pontificem Romanum ſuper omnia tum particularia, tum generalia Concilia plenam, ſupremamque poteſtatem obtinere, ſemperque obtinuiſſe. Secunda tam intra, quã extra Concilium infallibilem, indeficiẽtemque in rebus fidei, ac morum definiendis authoritatem habere. Ex quibus omnibus hùc uſque tractatis manet evidentiſſimè rejecta, & prorſus exploſa declaratio illa à Gallicanis Comitiis, & à paucis quibuſdam præſulibus, aliiſque illius per illuſtris Regni Doctoribus nuper habita. A quibus ego peto, ſua ne reddantur conſcientia tuti, in ancipiti, periculoſoque æternæ ſalutis, vel damnationis negotio contemnere audentes tot Sacræ Scripturæ loca, tot œcumenica Concilia, tot Sacros Canones, tot Sanctiſſimos totius Eccleſiæ Patres, tot Pontificum cœlo indigetum Decreta, & ſtabilem ab exordio naſcentis Eccleſiæ ad noſtrum uſque tempus traditionem; imò & tot ſapientiſſimos, Religioſiſſimoſque Gallicanæ Eccleſiæ Præſules, & præſtantiſſimos eiuſdem florentiſſimi Regni Doctores? Illi hanc noſtram fidem, doctrinamque ſervaverunt; nos aliàm doctrinam ſervare velitis? Quid ante ſeverum, juſtumque Chriſti tribunal reſpondere poterit ille, qui ſupremo Romani Pontificis, quem ipſe Dominus in terris ſui Vicarium reliquit, tribunali obſtitit, atque adverſatùs eſt? Ille nè, cui Deus, ne erret, aſſiſtit, errabit? Ille verò, cui nec Deus aſſiſtentiam ſpecialem promiſit, nec univerſale Magiſterium obtinet, non errabit? Oves ne Paſtorem, ſubditi Præſulem, Vaſſalli Regem Imperatoremque regere velint?

Si Deus hunc ſuum in terris Vicarium Romanum Pontificem Petri legitimum Succeſſorem, ut lites dirimat, pacem componat, debiles confirmet, infirmos ſanet, errantes reducat, cæcos illuminet, ignorantes edoceat, gregem cuſtodiat, navem gubernet, ut totius Chriſtiani orbis gubernaculo aſſideat, elegit: non Deum contemnet: qui eum, quem Deus loco ſui ponit, contemnit? Igitur veritati præſumptio; luci umbra; obedientia in ſupremum Principem Eccleſiaſticum in temporales Principes obſequium cedat. Sic erit una omnium incontaminata fides, tranquilliſſima pax, perfecta charitas, ſpirituale gaudium, morum integritas, virtutum ſuavitas, Religionis augmentum, Deoque Maximo decus, & Gloria.

Pp DI-

DISCEPTATIO OTTAVA.

De poteſtate Eccleſię, ſeu univerſalis Concilii ſupra Papam hæreticum, Schiſmaticum, ac dubium.

INTRODUCTIO

Ad majorem hujus Diſceptationis lucem.

1. MAximè neceſſariam eſſe duxi hanc octauam diſceptationem ad perfectam noſtræ ſuperioris doctrinæ cognitionem: ſiquidem Adverſarii noſtri nullum inter veri, dubii, ſchiſmatici, hæretici ve Pontificis uſurpationem quo ad præſentem quæſtionem diſcrimen agnoſcunt: & ideo, quæ à Sacris Canonibus, Conciliorum decretis, ac ſanctionibus de Papa dubio, ſchiſmatico, & hæretico paſſim traduntur; ipſi ad verum, indubitatumque in Eccleſia Pontificem ſumma confuſione detorquent; quaſi quod ad minus conceditur, ad majus conceſſum eſſe cenſeatur; non advertentes, vel non legentes inconcuſſum, ac inexuperabile juris effatum eſſe à diverſis illationem minimè fieri. An quia dubitans, an votum emiſerit, non obligatur; qui certus eſt ſe votum emiſiſſe, non obligabitur? qui dubitat, an lex fuerit lata, à lege nō adſtringitur: non adſtringetur à lege; qui de illa certus eſt?

2. Itaq; perperam Adverſarii à Pontifice dubio ad omninò indubitatum argumentantur: quemadmodum etiam à Pontifice hæretico, & ſchiſmatico ad Pontificem Catholicū: dato enim, quod ſupra Pontificem hæreticum, ſchiſmaticum, ac dubium univerſale Concilium authoritatem, poteſtatemque habeat, noninde deducetur illam ſupra Catholicum, verumque Pontificem obtinere, eundemque judicare, condemnare, punireve poſſe. Quare in hac diſceptatione, quid juris in hac materia ſtatutum ſit, diſpiciendum eſt: facileque apparebit, quàm vanè, frivolèque Adverſarii noſtri eam contra nos doctrinam, juraque, ac univerſalia Concilia conglomerent; cùm verè ex illis contra doctrinam Catholicā nihil deduci poſſit; imò eis juribus, Conciliiſque in recto ſenſu deſumptis noſtra, & Catholica doctrina maximè roboratur, ſtabiliturque.

3. Etquidem de Pontifice hæretico nihil hic ſupponendum eſt pro majori doctrinæ luce; ſed ea ſufficient; quæ infra ponentur; quo ad Pontificem ſchiſmaticum, ac dubium aliqua hîc ſunt prænotanda, ut clariùs doctrina hæc perſpiciatur, exactèque rimetur: ad quod ſupponendum eſt multiphariam ſchiſmaticum Pontificem uſurpari, conſiderari ve poſſe. Primo ſi Pontifex ille ſe ipſum neget totius Eccleſiæ Pontificem Maximum; itaut judicet, credatq; Eccleſiam ſub uno Pontifice non uniri, nec Monarchicam eſſe, ſed Ariſtocraticam; quemadmodum eſt quælibet Reſpublica, quæ nullum ſupra ſe ſupremū Principem habet, nec alicui ſingulari juriſdictio ineſt; ſed tota poteſtas, ac iuriſdictio in ea Communitate reſidet.

4. Pontifex ille non ſolum eſſet ſchiſmaticus, quia diviſionem à capite induceret; verùm etiam hæreticus, quia unitatem Eccleſiæ; quæ in Symbolo unus eſt fidei articulus, pernegaret: atque ut ſic idem de illo Pontifice dicendum eſt, quod de hæretico dicitur: qui enim negat Eccleſiam eſſe unā, proculdubio hæreticus eſt; nam illum fidei articulum, videlicet, unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam convellere nititur. Si quidem qui unum fidei myſterium ab Eccleſia tanquam de fide propoſitum contumaciter negat, licet alia videatur credere, reipſa non credit; iuſtà illud, qui in uno peccat, factus eſt omnium reus.

Ra-

5. Ratio hujuſce rei eſt: quia nos ſolum tenemur credere ea myſteria ſivè ſcripta, ſiue tradita, ſiue definita, quæ nobis ut talia Sancta Mater Eccleſia proponit ab omnibus fidelibus credenda; unde dicit Auguſtinus: Euangelium nō crederem, niſi Eccleſia diceret: Quare ſi Eccleſia non aſſentimur, propter noſtrum duntaxat inſtinctum, propriamque noſtram definitionem, & ultimam determinationem noſtram credere cenſemur: quo pacto igitur dicemur ultimo propter Deum credere; ſi ultimo propter noſtram definitionem, propriãque noſtram authoritatem credimus? Si ergo ultimo credimus propter ſolam noſtram authoritatem, quæ humana eſt; quomodo dicemur ea myſteria divina fide credere, ſi fides authoritate divina niti debet?

6. Dices te non credere ultimo propter tuam definitionē, & inſtinctum ut tanquam motiuum mouens, ſed ut conditionem applicantem ultimum illud motiuum, videlicet authoritatem divinam, qua ultimo niteris; ſicut nos dicimus de propoſitione Eccleſiæ; quæ non ſe habet ut motiuum ultimo movens, cum ſit Cætus humanus, de ſe fallibilis, ſed ut proponens,& applicans illud motiuum divinum infallibile; quo noſtra fides ultimò nititur; ideoque infallibilis, invariabiliſque. Bene. Sed quis tibi dedit hanc authoritatem? quis tuo privato inſtinctui, propriæque propoſitioni tuæ infallibilitatem tribuit, ut non tibi proponas falſum pro vero, & mendacium pro veritate? ex qua ſcriptura ſacra id conſtat? ex quo æcumenico, orthodoxoq; Concilio comprobatur? Certè non poſſe Eccleſiam ad credendum pro verò falſum proponere, ex Sacra Scriptura, Patrum interpetratione adhibita, & ex Conciliorum oraculis Deum Suæ Sanctæ Sponſæ Eccleſiæ, ne in proponenda fidei veritate erret, infallibiliter aſſiſtere, latè conſtat, ac ex iis, quæ ſuperiori doctrina inculcavimus: & in noſtro tractatu de fide latiſſimè oſtendimus. Tunc ſic: Deus teſtatur, Eccleſiam errare non poſſe, dum articulos fidei credendos proponit: tu Eccleſiam ſic eos articulos proponentem deſeris, & tuum inſtinctum ſequeris; quomodo ergo aſſeris te Dei teſtimonio, quod deſeris te ipſum ſequendo, inniti? Igitur hæreticus, qui Eccleſiam, vel in uno fidei articulo ab ea propoſita, contemnit; Deum in omnibus conſequenter negat; quem non minus in uno, quàm in reliquis verum loqui certiſſimum eſt: cum Deus ſemper in omnibus verax ſit. Concluditur ergo, ſi Pontifex unitatis Eccleſiæ myſterium neget; non ſolum ſchiſmaticum, ſed hæreticum eſſe; proindeq; de illo ſicut de hæretico tractandum eſt.

7. Secundo conſiderari poteſt Pontifex, ut reipſa unitatem Eccleſiæ nullo modo neget; ſed ut articulum verum fidei enixim credat: verumtamen ipſe judicet, credatque ſe eſſe verum Pontificem; alioſque Antipapas ſchiſmaticos, rebelleſque eſſe; cum tamen ipſe verus Pontifex nō ſit, ut accidit in ſchiſmate illi magno Occidentali; in quo tres erant Papæ Benedictus XIII. Gregorius XII. Joannes XXIII. de quibus ſupra, quilibet ex his Pontificibus ſolum ſe Papam eſſe exiſtimabat; & ideo alios tanquam ſchiſmaticos, Eccleſiæque univerſali rebelles proſcribebat. In hoc caſu nullus erat formaliter hęreticus, quia omnes unitatem Eccleſiæ firmiter credebant: dum tamen nullus, ſuo qualicunque juri cedere, ut ceſſaret ſchiſma, volebat; idcirco ſinguli pernicioſi ſchiſmatis fautores, dum illud fovebant, merito dicebantur. Quid enim eſt ſchiſmati favere, niſi illud fovendo conſervare?

8. Quare Eccleſia in Concilium Cōſtantienſe congregata tres illos Pontifices jure optimo tanquam ſchiſmaticos habuit, non vero tanquam hæreticos proſcripſit; quanvis multi Doctores eos tanquam hæreticos habendos eſſe judicaverint; nihilominus cum nullus eorum aliquem fidei articulum negaret, nec etiam à verò ſuſcepto ab omnibus, quod certè tunc nullus ab omnibus ſuſceptus erat, capite diſſideret, nec formaliter hæreticus, nec formaliter ſchiſmaticus dici poterat; ſed ſolum quadam juris præſumptione: quia præſumebatur eum, qui paci, unitatique Ec-

Digitized by Google

cleſiæ obnitebatur, illum unitatis articulum pernegare; ſed ſimiliter eum, qui ad tollendum illud ab Eccleſia ſchiſma media impediebat, ſchiſmatis labe reſpergi. Et ideo Eccleſia in prædicto univerſali Concilio Conſtantienſi legitimè congregata tres illos Pontifices vel jure ſuo cedere coegit, vel Concilii ſalutaribus monitis obluctantes depoſuit; quia tranquillitati, pacique Eccleſiæ univerſalis ſe opponentes, unitatem Eccleſiæ, & cum vero Pontifice unionem per negare pręſumebat.

9. Quoad Pontificem dubium prænotandum etiam eſt multis modis poſſe Pontificem dubium uſurpari. Primo ſi dubium ſit, ut vocant Theologi, poſitiuum; quod nihil aliud eſt, quàm probabilis opinio, ſeu veriſimilis de illius exiſtentia aliquorum hominum prudentum ſententia. Et hoc vel fieri poteſt: quando ita eſt probabile Pontificem illum verum eſſe Pontificem; ut oppoſitę partis probabilem opinionem ſinat, & in hoc caſu ſchiſma non evitatur: nam tempore illorum trium Pontificum quilibet habebat opidionem probabilem de ſuo Pontificatu, & qui unam vel alteram partem ſequebatur, extra ſtatum ſalutis non erat, imo D. Vincentius Ferrerius Petri de Luna Benedicti XIII. nominati partibus adhęrebat, & alii aliis obedientiis ſub ſuo quiſque Pōtifice parebant: & tamen oportuit ad hoc ſchiſma tollendum Eccleſiam univerſalem Conſtantiæ in Concilium coaleſcere.

10. Vel fieri poteſt, quando ita probabile eſt hunc Pontificem verum eſſe Pontificem, ut partis oppoſitæ opinionem practicè probabilem nō relinquat: & tunc hunc eſſe Pontificem eſſet moraliter certum; & qui illum non ſequeretur, procul omni dubio, tanquam ſchiſmaticus puniri deberet: quia ſine ullo practicè probabili fundamento à Pontifice moraliter certo diſſideret, authoritatem Eccleſiæ illum Pontificem amplectentis contemnendo. Imo iuxta aſſerentes de fide non eſſe hunc numero Pōtificem eſſe verum Pontificem (quam ſententiam in noſtro tractu de fide rejecimus, & id eſſe de fide cum omnibus Societatis Jeſu Doctoribus ſecuti ſumus) id neceſſario dicendum eſt: nam ſi de fide non ſit, verum eſſe Pontificem reſtat, ut illum eſſe verum Pontificem ſolum ſit moraliter certum; & tamen qui illum ut ſic verum Pontificem negaret, tanquam ſciſmaticus, & à capite Eccleſiæ diviſus puniri, proſcribique deberet. Igitur quando de Pontifice dubio, ſit ne ſubjectus Concilio, quæſtionem movemus, non loquimur de eo, de quo Eccleſia moraliter eſt certa illum legitimum Pontificem eſſe; dato etiam, & non conceſſo, verum eſſe Pontificem de fide non ſanciri: ſiquidem in hoc ſenſu Pontifex ille, de cujus legitima electione moralis quidem certitudo datur; dubius appellari non poteſt; aliter omnes Sacerdotes, Epiſcopi eſſent dubii; & ſimiliter dubii eſſent omnes Chriſtiani; quia de fide non eſt hunc, & illum Sacerdotem, eſſe verum Sacerdotem, hunc, & illum Epiſcopum eſſe verum Epiſcopum, hunc, & illum baptizatum fuiſſe verè baptizatum, in quo enim Sacræ Scripturæ loco, id eſt expreſſum? in quo Concilio, in qua Bulla Pontificia definitum? Sicut ergo ſufficit hęc moralis certitudo, ut Sacerdotes, Epiſcopi, Chriſtiani dubii non appellentur; ita eadem moralis de legitima, Canonicaque Pontificis electione certitudo ſufficiet, ut Pontifex dubius non dicatur.

11. Secundo modo dubius Pontifex conſiderari poteſt, ſi dubium ſit, prout vocant Theologi, negatiuum; & hoc fit, quando intellectus nec in hanc, vel in illam partem inclinat; ſed ita anxius, ac ſuſpenſus hæret; ut quam partem eligat, ignoret; videlicet, quia pro neutra parte prudens aſſenſus, vel diſſenſus fundamentum invenit, ideoque cùm ad aſſenſum, tum ad diſſenſum ſe negativè habet, id eſt, nec aſſentit, nec diſſentit, & id circo negatiuum dubium merito appellatur; eſſetque imprudens, ſi ſine ſufficienti fundamento alteri parti controverſiæ adhæreret.

12. Et in hoc ſenſu, in quo de Canonica Pontificis electione nulla prudens ratio appareret, tunc Pontifex nullus eſſet, quia non entis, & non apparentis idem eſt judicium; ut utrius juris,

Digitized by Google

ris, Canonici, & Civilis principia clamant; eſſetque Eccleſia imprudens, ſi hujuſmodi Pontifici ſic dubio ſponte adhæreret; ſicut mulier imprudens foret, ſi viro, de quo nullam, quòd ſuus vir ſit, prudentem rationem habeat; nam eo ipſo adulterii, fornicationiſve periculo ſe exponeret.

13. Utrum verò dari poſſit caſus, in quo ſit aliquis Pontifex electus, abſque ulla ſuæ electionis prudenti ratione, ſuppoſita ea ſatis exacta diligentia, quā in electionibus Pontificum Sancta Eccleſia adhibet, ad noſtrum inſtitutum diſputare non ſpectat; ſed ſolum inquirere in eo caſu, in quo ita eſſet electus Pontifex, ut nulla talis electionis, ut Canonicæ, legitimæque ratio prudens appareret, quid tunc factura eſſet Eccleſia? quod remedium tanto periculo, damnoque exhiberet? quis tunc iſtius caſus judex foret? Nilominus breviter dico rarò poſſe contingere, quando ſolum unus datur Pontifex, & illi acquieſcunt electores, aliqua prudenti ad eam electionem ratione non moveri; & ſi forſan ſcienter temerè proceſſiſſent, non ſtatim de vera, & Canonica electione ſeriò agere.

14. Facilius, minuſque rarò poſſet caſus contingere, prout in Eccleſia ſæpe accidit, quod iam ſupra in ſuperiori noſtra doctrina vidimus; ut duo, vel plures eligantur; itaut ſinguli pro ſua parte rationes habeant: quia tamen ignoraretur, quiſnam verus eſſet Pontifex, & neceſſario unus tantum in Eccleſia eſſe debeat, ideo omnes dubii forēt, quod dubium ſemper tolli oportet, ne Eccleſia, Chriſtique Regnum in ſe diviſum ſit, ac deſoletur: iſta verò probabilitas rationum per ſe loquendo practica dici non poteſt, neque impraxim ita eſt reducenda, ut eam ſine peccato ſequi poſſimus: quemadmodum probabile eſt aquam roſaceam ab elementari ſpecie nō diſtingui; & ſic baptiſmus in aqua roſacea probabiliter eſt validus: ſed hæc de baptiſmi valore probabilitas ſolum eſt ſpeculativa, non practica: quia extra neceſſitatis caſum in aqua roſacea baptizare peccatum eſt, proindeque extra eum caſum, non valet ad praxim reduci; ita ſimiliter eæ rationes, quæ pro illis duobus, vel tribus Pontificibus probabiles dicebantur, non de practica, ſed tantum de ſpeculativa probabilitate intelligendæ erant. Undè licèt ante electionem Martini, peraccidens abſque peccato ſuam quiſque Obedientiam ſequebatur, ideo erat, quia Eccleſia univerſalis nondum determinaverat, quę nam ex illis partibus ſequenda eſſet; poſtquam verò electus fuit Martinus V. illę rationes redditę ſunt improbabiles; & ideò omnes totius Chriſtiani Orbis Eccleſiæ, Prioribus Pontificibus derelictis Martinum ſecutæ ſunt: & jam illis parendo peccatum graviſſimum, ſchiſmaque perpetrarent.

15. Ex quo patet quæſtionem noſtram utrumque illum caſum tam de dubio in explicato ſenſu poſitivo, quam de negativo igtelligendam eſſe: His ergo ad majorem lucem prænotatis, hanc octavam Diſceptationem in undecem Sectiones diſſecabimus; in quibus inculcabimus breviſſimè, quam authoritatem, juriſdictionemque Concilium univerſale legitimum, & in Spiritu Sancto ritè congregatum ſupra Papam hæreticum, ſchiſmaticum, & dubium obtineat; ita ut ſit ſupra eos Pontifices plena iuriſdictione, authoritateque, ac eos poſſit judicare, punire, excomunicare, deponere, aliaſque eiſdem pænas infligere; & ipſi Pontifices ſic explicati ei Univerſali Concilio, tanquam ſuo legitimo Superiori, ſupremoque tunc in terris judici parere teneantur; eiuſque diſpoſitionibus, ac determinationibus acquieſcere, ac nullo modo reluctari. Unde ſit.

SECTIO I.

Utrum Eccleſia poſſit deponere, judicare &c. Papam hæreticum.

16. Suppono 1. hanc primam quæſtionem procedere de Papa certo, & indubitato, qui poſtea in hæreſim incidit, nam de Papa dubio dicetur in 4. Sectione. Suppono ſecundo triplicem poſſe conſiderari depoſitionē; Prima eſt illa, qua hæreticus Papa ſeipſum

ſum

Digitized by Google

ſum deponit committendo hereſim formalem; per quam ſe diſiungit, ſeparatque à corpore Eccleſiæ, deſinitque eſſe pars illius; & caput, ſive ſupremum, ſi erat Papa, ſive non ſupremum, ſi erat caput alicuius particularis Eccleſiæ, nimirum aliquis Epiſcopus, hæc depoſitio, potius eſt diſceſſio, ſive diſiunctio. Secunda eſt depoſitio merè declarativa, qua declaratur ab alio fuiſſe depoſitum, vel ipſum ſemetipſum culpabiliter diſiunxiſſe. Tertia cauſalis, qua, ſcilicet, aliquis, vel aliqua communitas authoritate juridica illum hominem à Sede ſua primo, & cauſativè deponit. His ſuppoſitis, noſtra quæſtio nunc eſt, an Papa, ſi hæreticus fiat, poſſit abſolutè deponi per Eccleſiam, ſeu Concilium illam repræſentans præſcindendo, an ſit per depoſitionẽ merè declarativam, vel cauſaliter, ſeu per efficientem veluti cauſam.

17. In his terminis poſſe Papam hæreticum abſolutè deponi; eſt veritas indubitabilis. Ita tenent omnes Theologi, & Canoniſtæ D. Anton. in ſumma 3. par. tit. 23. cap. 3. §. 4. Suar. de fide diſp. 10. ſect. 6. Bellar. de Pontifice Romano lib. 2. cap. 30. Eugen. Lombard. de Regali Sacerdotio lib. 1. §. 19. Probatur primo, quia ſic fuit definitum in octava Synodo Generali Act. 7. & in cap. Audivimus 24. q. 1. cap. Si Papa diſt. 40. c. Novatianus 7. q. 1. cap. Didicimus. cap. Acatius 24. q. 1. cap. oves 2. q. 7. Probatur 2. ex Clem. 1. Epiſt. 1. ubi ait Petrum docuiſſe Papam hæreticum eſſe deponendum. Tertio, quia Papa hæreticus paſtor non eſt, ſed lupus diſcerpens oves: ergo eiiciendus ab ovili, & à grege. Quarto, quia hæreticus nec ſalutari debet, ut docent Paulus ad Tit. 3. & Joãnes Epiſt. 2. ergo multo minus ei debet obediri. Primò, quia quo pacto ſubſtinebitur, ut Vicarius Chriſti, qui negat Chriſtum?

18. Difficultas tota eſt, quomodo Eccleſia, ſeu Concilium, quod quidem eſt inferius Papa, ut in præcedentibus Diſceptationibus demonſtratum eſt, poſſit Papam ſuperiorem judicare, ac deponere? Duplex datur ſententia. Prima docet in caſu hæreſis, in quo ſolo, poteſt Pontifex deponi; ipſum per hæreſim ipſo facto immediatè deponi à Deo, nullo expectato hominum judicio. Ita Turrecremata lib. 2. cap. 102. lib. 4. ſecundæ partis cap. 18. Auguſt. de Ancona de poteſt. Papę art. 5. Paludan. in opuſculo de Papa Driedo lib. 1. de libertate Chriſtiana. Caſtro 2. de juſta hæreticorum punitione cap. 22. & cap. 14. Simancas de Inſtitut. Cathol. cap. 21. Jacobat. 7. de Conciliis art. 1. Salmeron. to. 12. tract. 83. Lombard. ſupra cit. & alii plures. Unde dicunt Eccleſiam non illum deponere; ſed per meram declarationem declarat depoſitum; & ut ſic jam illum non judicat ut Papam, ſed ut perſonam privatam. Præcipuum fundamentum eſt: quia per quas cauſas res naſcitur, per eaſdem diſſolvitur: Sed Deus eſt, qui dat juriſdictionem ſupremam Papæ, & non Eccleſia; ergo Deus eſt, qui illam aufert, & non Eccleſia.

19. Secundum fundamentum eſt; quia fides eſt veluti anima, formaque faciens Chriſtianum; ſicut anima eſt forma faciens hominem: unde ſicut corpus ſine anima rationali non eſt homo; ita homo ſine fide Chriſti non eſt Chriſtianus: Si igitur Chriſtianus non eſt; neque etiam Pontifex Chriſtianus erit, ſed veluti cadaver Pontificis; & confirmatur: quia ex hac ratione Chriſtus non prius fecit Petrum Papam, quàm agnoverit in Petro fidem; ut patet ex verbis Petri: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*; & ex verbis Chriſti: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Fundamentum Pontificatus eſt fides: ergo ſublata fide, tollitur Pontificatus: nam ſublato fundamento, corruit ædificium. Ad hanc etiam ſententiam reducitur ſententia Bellarmini citati, & aliorum dicentium Papam per hereſim ex natura rei deſinere eſſe membrum, & partem Eccleſiæ, & conſequenter jam non manere caput Eccleſiæ, ſed perſona privata; ut taliſque manet ſubjectus Concilio, judicandus, & puniendus: cum igitur ex natura rei deſinat eſſe Pontifex; ex jure naturali deponitur; ſed omne jus naturale eſt jus divinum; ergo judicant deponi immediatè à Deo; ſeu à jure naturali divino; ipſo facto.

Secun-

20. Secunda ſententia probabilior docet in nullo caſu etiam hæreſis privari Pontificem ſua juriſdictione, dignitate, & poteſtate immediatè ab ipſo Deo abſque hominum præeunte judicio, & ſententia. Ita communiter hodie tuentur Suar.cit.num.3. Caetan. de authoritate Papæ cap.18. & 19. Soto 4. d.22.q.2. art.2. Can.4.de locis cap. ult. ad 12. Corduba lib.4.q.11.& plures alii, quos refert Suar.de fide diſp.21.ſect.5.num.14. Turrianus, Malderus, & alii, quos citat, & & ſequitur Amicus de fide diſp. 6. ſect.6. num.254. Unde hæc ſententia dicit duo. Primum Pontificem non deponi ipſo facto per hæreſim. Secundum poſita ſententia Eccleſiæ declaratoria criminis, tunc primo deponi immediatè à ſolo Deo: & hanc ſententiam judico certam, quam ſecutus fui in materia de fide, diſp.4.ſect.1. ſub ſect.5. de Summo Pontifice. Probatur ratione à priori; quia cum privatio Pontificatus ſupremi ſit pœna graviſſima, non debet incurri ipſo facto, niſi detur jus expreſſum de tali pæna ipſo facto incurrenda: ſed nullum datur jus expreſſum de tali pœna: ergo Pontifex per hæreſim non deponitur ipſo facto; ſed indiget ſententia declaratoria criminis, ut cenſeatur, interveniente illa declaratoria ſententia, tunc deponi ab ipſo Deo. Tota argumentatio eſt evidens, ſi ſolum probetur illa minor, quæ ſic demonſtratur. Vel illud jus expreſſum infligens pœnam illam ipſo facto incurrendam eſt humanum, vel divinum: humanum eſſe non poteſt; quia vel eſſet alicujus Concilii Generalis; & hoc, cum ſit inferius, ut ſupra demonſtratum eſt, non poteſt ponere ſuo ſuperiori pœnam ullam; & multo minus graviſſimam; vel eſſet alicujus alterius Pontificis; & hic cum ſit æqualis poteſtatis, non poteſt præſcribere ullam pœnam coactivè alteri Pontifici æquali ſibi; cum par in parem non habeat imperium. Et ſic conſtat nullum dari jus humanum expreſſum infligens talem pœnam ipſo facto incurrendam; probatur deinde nullum dari jus divinum expreſſum infigens talem pœnam ipſo facto: nam vel hoc jus divinum eſſet ſcriptum, & hoc non: quia nullus datur Sacræ Scripturæ textus, ex quo id conſtet; aliter res eſſet de fide, & opinionem non admitteret in contrarium, neque enim Adverſarii ſententiam eſſe de fide ſuam contendunt: non datur etiam ullum jus divinum traditum; quia non conſtat ex aliqua traditione à tempore Apoſtolorum, ex qua tale jus illam pœnam ipſo facto imponens comprobetur: non datur tandem ullum jus divinum interpretatiuum; quia minimè conſtat hoc declaratum ab Eccleſia fuiſſe, tamquam rem à Deo revelatam; in quo conſiſtit jus divinum interpretatiuum; aliter, ut dicebamus, hoc jam eſſet de fide, & opinionem non admitteret in contrarium, quod tamen Adverſarii non concedunt. Igitur manifeſtum eſt Pontificem non privari Papatu ipſo facto per hæreſim.

21. Confirmatur 1. quia ſi daretur tale jus privans ipſo facto Summũ Pontificem dignitate Pontificia per actum hæreſis, hoc jus eſſet certiſſimè perniciosum Eccleſiæ Univerſali Chriſti: ergo eſſet contra perfectiſſimam providentiam, quam Chriſtus habet circa ſuam Eccleſiam. Antecedens patet, quia ſi Papa occultus eſt hæreticus, & ipſo facto cecidit à Pontificatu; omnia acta ejus irrita forent, ſicut ſi eſſent facta à non Pontifice. Nec ſatisfacis dicendo hoc tantum probari de Papa occulto, non autem de notorio notoreitate facti; nam contra eſt, quia ſi Papa occultus adhuc poteſt eſſe verus Papa; ne ſequantur maxima abſurda, & inconvenientia in Eccleſia, eadem ratione poterit eſſe verus Papa, eſto delictum ſit notorium, quamdiu de illo delicto non pronuntiatur ſententia. Primò, quia nullus incidit in pœnam, niſi vel ipſo facto; vel per ſententiam. Secundò, quia ſic majora incommoda ſequerentur; omnes enim dubitarent, an ſufficeret ea notoreitas, & publica fama, ſeu infamia de eo delicto: unde ſi procederetur cum eo dubio ad novam electionem, electus æqualiter maneret dubius; atque adeo haberemus duos Papas dubios, præſertim ſi hæreticus nondum per ſententiam

tiam

Digitized by Google

tiam pronuntiatus, vi reſiſteret; & ei potentia non deeſſet maximè ex ſuis familiaribus, notis, & amicis.

22. Confirmatur 2. efficaciter, quia ſi fortè Papa foret hæreticus etiam exterior, ſed occultus per accidens; & poſtea ipſe quidem Papa per actum pœnitentiæ reſipiſceret omnino perplexus evaderet; nam ſi per illam hæreſim per accidens occultam cecidit à dignitate; debet omnino Pontificatu cedere; nam illum retinere eſt intrinſecè malum, ſicut eſt intrinſecè malum retinere regnum alienum: in quo caſu ipſi etiam Adverſarii dicunt poſſe retinere Pontificatum, & ſe habere ut verum Papam; quæ etiam eſt opinio Canoniſtarum in cap. Nunc autem diſt. 21. Sed inde fit cōtra Adverſarios validum argumentum: nam ſi per primum actum hæreſis per accidens occultæ ipſo facto cecidit à Pōtificatu; quis eum reſtituit Pontificatui? non Deus, quia non confert Pontificatum ſine interventu electionis; non ipſa pœnitentia; quia dignitas ipſo facto ammiſſa non reſtituitur per actum pœnitentiæ; hoc enim ſolùm eſt privilegium gratiæ juſtificantis.

23. Confirmatur 3. quia juriſdictio poteſt conſervari amiſſa fide: aliter hæreticus non poſſet abſolvere moribundum in mortis articulo; quod eſt contra probabilem ſententiam Theologorum. Dices. Hæreticus tunc habet juriſdictionem; quia illam ei dat Eccleſia ob bonum fidelium: hæc tamen reſponſio difficultatem non ſolvit: nam ſi juriſdictio ſine fide eſſe poteſt collata ab Eccleſia; cur juriſdictio non poſſit eſſe ſine fide, quando fuit collata à Deo?

SECTIO II.

Diſſoluuntur fundamenta contrariæ ſententiæ.

24. AD primum fundamentum contrariæ ſententiæ. Reſp. illud eſſe potius pro nobis contra Adverſarios: nam, ſi res per eaſdem cauſas diſſolvitur, per quas naſcitur: ergo ſi Pontifex per duas cauſas efficitur, ſcilicet, per principalem, qualis eſt Deus, & per miniſterialem, & electionem, qualis eſt Eccleſia; ita etiam deponetur per eaſdem cauſas, ſcilicet, per miniſterialem, & reprobativam, qualis eſt Eccleſia; & per principalem deſtructivam, qualis eſt Deus.

25. Ad ſecundum fundamentum nego abſolutè poteſtatem juriſdictionis dependere ex natura rei à conſervatione fidei; nam non minor eſt poteſtas ordinis, quàm poteſtas juriſdictionis in ſua ratione: ſed per Adverſarios Summus Pontifex retinet poteſtatem ordinis etiā amiſſa fide: ergo etiam retinebit poteſtatem juriſdictionis, dignitatemque Pontificiam etiam fide amiſſa. Dices; ideo eſſe; quia poteſtas ordinis eſt de jure divino. Contra tamen, quia ſuprema juriſdictio in Pontifice etiam eſt de jure divino; neque enim Pontifex illam habet ab Eccleſia, ut ipſi Adverſarii fatentur: ergo neceſsè eſt, ut appareat aliquod jus divinum expreſſum, ex quo conſtet Pontificatum amitti ipſo facto per hæreſim externam: non apparet autem tale jus divinum, nec ſcriptum, nec traditum, nec interpretatiuum; ut ſupra demonſtratum eſt: ergo &c.

26. Et confirmatur ſolutio: quia per hæreſim etiam internam amittitur fides, quod nemo poteſt negare, ſtante definitione Concilii Tridentini; & tamen per Adverſarios nō amittitur Pontificatus ipſo facto per hæreſim internam: ergo fides abſolutè non ita eſt fundamentum, ut ſine illa ſupremæ dignitatis ædificium ſubito corruat. Dicunt ſe non loqui de fide quomodocumque, ſed de fide viſibili, & externa per confeſſionem externam. Ad quod intelligendum explicant duobus modis poſſe unū uniri Eccleſiæ per fidem. Primo modo inviſibiliter. Secundo modo viſibiliter: qui non habet fidem internè; jam eſt disjunctus ab Eccleſia inviſibiliter, adhuc tamen eſt unitus illi viſibiliter; quia conſtat de confeſſione externâ fidei per baptiſmum, & per actus hominis Chriſtiani: Dignitas autem Pontificia cum ſit ad regendam Eccleſiam viſibilem neceſſariò habere deberet illam unionem viſi-

viſibilem, quæ deſtruitur per externam fidei negationem, quæ eſt error fidei internus ſigno aliquo externo ſignificatus. Sed contra: quia jam Adverſarii ſupponunt id, quod probare deberent, pœnam, videlicet, graviſſimam amiſſionis Pontificatus eſſe impoſitam ipſo facto actui hæreſis externæ: conſtat autem nullum eſſe tale jus talem pœnam imponens: ergo &c.

27. Ad confirmationem dico nihil probare, nullamque nam habere: Nam ſi propterea Pontificatus ſine fide cōſervari non poteſt, quia Chriſtus non dedit Primo Papæ Petro Pontificatum, niſi prius exploraret ejus fidem: ergo etiam non poterit conſervari Pontificatus ſine charitate; quia Chriſtus illum Petro non dedit, niſi prius explorata ejus charitate; dicens, *Simon diligis me. Paſce oves meas &c.* Dicere autem amitti ipſo facto Pontificatum per quodcunq; peccatum mortale, per quod amittitur quidem gratia, & charitas; eſt hæreſis jam damnata ab Eccleſia: ergo debile eſt illud Adverſariorum fundamentum. Unde vera expoſitio illius Textus conſtat jam ex dictis Diſp. 1. per illum enim voluit Chriſtus docere modum, quo Papa convenientius debeat regere fideles, habendo, ſcilicet, fidem, & charitatem; nō tamen quod amiſſa fide, & charitate, ſtatim ipſo jure, antequam accederet judiciū Eccleſiæ Pontificatus amitteretur.

28. Ad rationem Card. Bellarmini, & aliorum. Reſp. eum P.Suar.citat. Papam per hæreſim deſinere eſſe membrū Eccleſiæ, quoad ſubſtantiam, non tamen deſinere eſſe caput, quoad influxum. Ut hoc clarè intelligas, adverte; duobus modis poſſe caput ſumi. Primò, ut ſit primarium, à quo primo effluat virtus communicanda. Secundò, ut ita ſit primum caput reſpectu cœterorum, ut non dicatur primarium, à quo prima virtus illa effluat in alios. Caput primo modo ſolus eſt Chriſtus; à quo primo procedit influxus in Eccleſiam communicandus per Summum Pontificem, velut per quendam canalem, qui ſi ſit æneus, duruſque, & obſtinatus per hæreſim, non imbibet in ſe virtutem Chriſti; ſed illam accipiet communicandam aliis; donec ipſe canalis tollatur, ideſt, canonicè deponatur, à Deo quidem cauſaliter, ab Eccleſia miniſterialiter. Et confirmatur ſolutio ad hominem contra Adverſarios, qui dicunt poſſe Papam errare in fide, ut Doctor privatus, non tamen illum ſuum errorem docere pro tota Eccleſia; quia illi Deus aſſiſtit, ne turpiter erret pro tota Eccleſia: ergo ſupponunt poſſe adhuc manere Pontificem, non obſtante ſuo illo errore perſonali; aliter, ſi ex eo, quòd erraret in fide, deſineret eſſe Pontifex; jam Deus illi non aſſiſteret, ut Pontifici; ſi igitur illi aſſiſtit; ut dicunt Adverſarii, jam fatentur nobiſcum deſinere eſſe membrum, quoad ſubſtantiam, non tamen deſinere eſſe caput, quo ad influxum; ex quo patet quàm vera ſit noſtra ſententia, & quàm parum probabilis ſit ſententia Adverſariorum. Adhuc tamen contra noſtram ſunt aliquæ difficultates, quæ in ſequenti Sectione ſolvendæ ſunt.

SECTIO III.

Diſſoluuntur aliquæ difficultates contra noſtram ſententiam.

29. Primò quærendum eſt, à quo hæc de Pontificis depoſitione ſententia ferenda ſit? Prima ſententia docet à Cardinalibus ferendam eſſe. Probant, quia cùm de jure divino certi non ſint Judices aſſignati, ad jus Pontificum recurrendum eſt: & cum Pontifices nihil de hoc expreſsè habeant diſpoſitum, veriſimile videtur depoſitionem, per Cardinales, ſicut per eoſdem facta fuerat electio fieri debere; juxta illud juris effatum per eaſdem cauſas rem diſſolvi, per quas illa naſcitur; quod non ſolùm verificari debet de cauſa principali, qualis eſt ipſe Deus; ſed de miniſteriali; quales ſunt Cardinales. Ita quidam tacitè relati à P.Suar.de Summo Pontifice diſp.10.ſect.6.n.7.

30. Dico tamen primo. Poteſt Pontifex Maximus deſignare modum Canonicè depoſitionis; formamque præſcribere, quæ omnino ſequenda eſſet. Ita communis Theologorū, & Caroniſta-

rum ſententia, quam ſequitur P. Soar. cit. Probatur, quia non major ad Summi Pontificis depoſitionem, quàm ad electionem, cauſa requiritur: ſed Pontifex Maximus canonicum electionis Pontificiæ modum potuit ritè præſcribere: ergo & depoſitionis à Pontificatu. Quia tamen adhuc Pontifices nihil de hac re ſtatuerunt. Dico ſecundo. Sententia depoſitionis pertinet ad Concilium Generale. Ita cum ferè omnibus Theologis, & Canoniſtis docet Suar. cit. contra Amicum de fide diſp.6. ſect. 6. num.265. aſſerentem poſse deponi à Cardinalibus. Probatur, quia quando nihil de hoc negotio ſtatutum eſt, id debet pertinere ad principalia membra Eccleſiæ, quales ſunt Epiſcopi, qui totius Eccleſiæ ſunt columnæ, & ordinarii paſtores: cùm verò nõ detur major ratio, de his, quàm de illis, neceſſario dicendũ eſt ad omnes ſpectare, atque adeo ad Concil. generale. Confirmatur, quia quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari per text. in cap. Quod omnes de Regul. jur. in 6. c. 1. 66. diſt. cap. Quia propter de elect. cap. 1. 54. diſt. cap. Licet 8. q. 1. cap. ſi Archiepiſc. de tempor. ordinand. leg. in concedendo, ff. de aqua pluvia arcenda, l. ult. Cod. de auth. prætor. l. Non ita Diuus, ff. de adoptionibus.

31. Dices. Antiquis temporibus quibus non erat adhuc determinatus ab Eccleſia modus eligendi Pontificem; hic à Clero Romano eligebatur: Sed nunc non eſt determinatus modus deponendi miniſterialiter Pontificem hæreticum: ergo debet deponi à Clero Romano, ſeu à Cardinalibus, qui faciunt præcipuum Clerum Romanum. Reſp. diſparitatem eſſe magnam: nam licet Pontifex, ut Papa univerſalis totius orbis Chriſtiani poſtularet eligi à tota Eccleſia, ſeu à Concilio (dum adhuc non erat determinatus modus eligendi, qui nunc eſt) juxta præcitatos Textus, *quod omnes tangit &c.* attamen cum illis temporibus valdè perniciosũm eſſet Eccleſiæ Concilium expectare ad electionem Pontificis; tum quia illis temporibus difficile poterat congregari, Eccleſiaque per plurimos annos vidua maneret, tum quia defectu communicationis tardiſſimè ſciret Eccleſia *toto orbe diſperſa* mortem Pontificis; ideo Eccleſia contenta erat electione facta per Clerum Romanum præſertim, quia Pontifex Romanus ſpecialis eſt illius Diœceſis Antiſtes: at verò raro, aut numquam timebatur hæreſis in Pontifice Romano: & præſertim, quia juxta probabiliorem ſententiam per hæreſim Pontificis ipſo facto, non vacaret Eccleſia; poteratque dari locus expectandi Concilium, prout in caſu Marcellini expectatum eſt Concilium Sueſſanum; & non fuit contenta Eccleſia depoſitione facta per Clerum Romanum, ſed id voluit Eccleſia Univerſalis miniſterialiter explorare per ſeipſum; quæ quidem invenit illam externam in Marcellino fidei negationem fuiſse natam ex timore mortis, non ex errore mentis; quod tandem delictum non ſolùm ille poſtea lachrymis, ſed etiam ſanguine delevit.

32. Quærendum eſt ſecundo à quo poſſet tale Concilium legitimè congregari? Ratio dubitandi eſt: quia ad ſolum Romanum Pontificem ſpectat Concilia congregare; quomodo ergo congregabit Concilium, ut de ejus facto judicium fiat? certè non præſtabit conſenſum, qui detrectat judicium. Huic difficultati reſponderi poteſt probabiliter. Primò, non oportere cogi Concilium Univerſale; ſed ſatis eſse, quod fiant Concilia Provincialia, vel nationalia à Metropolitanis, aut Primatibus convocata, itaut omnes in hoc conveniant. Reſponderi poteſt ſecundò, cum Concilium convocatur ad condendas leges univerſales pro tota Eccleſia, vel ad definiendam aliquam, vel aliquas veritates fidei, vel ad occurrendum alicui damno Eccleſiæ per opportuna remedia tunc oportere primò Concilium indici à Papa, ut legitimum ſit; ad hoc verò de hæretico Pontifice deponendo negotium non oportere à Papa indici, nec ejus conſenſum expectari, ſed ut legitimum ſit Concilium, ſatis eſt à Collegio Cardinalium indici, vel à conſenſu Epiſcoporum. Ita Amicus cit. ſupra n.29.

33. Dices: quid tamen fiet, ſi Collegium Cardinalium, vel major pars Epiſcoporum judicat nõ debere circa hanc

rem

rem Concilium convocari? Reſpondetur, vel hæreſis Papæ eſſet adeo clara, v.g. ſi ille Chriſtum eſſe Deum, aliud ve ſimile pertinaciter negaret: vel eſſe aliqualiter dubia. Si primum omnes, qui repugnarent Concilio, ſuſpecti forent de illa hæreſi, fautoreſque hæreticorum merito judicarentur; & ita reſiſtendo ſeipſos à Concilio ſubtraherent; unde pars remanens eſſet jam totum Concilium: poſſetque de illa cauſa pronuntiare ſententiam. Si ſecundum, jam de hoc non poſſet Concilium agere; imò jam quoddam Conciliabulum foret: ſiquidem Concilium abſque indictione per Papam facta, ſolum in caſu hæreſis certæ, & indubitabilis Papæ poteſt legitimè congregari, ut ex ſupra allegato jure Canonico liquidò conſtat.

34. Quærendum eſt tertio, quo pacto Concilium poſſit Papam judicare cum ſit illo inferius, ut ſupra manifeſtè probatum eſt: inferior autem non poteſt ſuperiori imperare, ut jura paſſim clamant. Caetanus ait Papam habere duas rationes; unam, quòd ſit homo; alteram, quod ſi Pontifex Maximus, quoad primum docet eſſe minorem Cōcilio, & ſic poſſe ab illo judicari, & puniri. Quoad ſecundum non poſſe id facere. Hæc Caetani reſponſio dupliciter poteſt intelligi. Primo per conjunctionem hujus hominis cum Pontificatu; quo ſenſu, videtur doctrina falſa; aliter poſſet Concilium faciendo hanc diſtinctionem punire, judicareque Pontificem in omni caſu etiam non hæreſis, quia illum ut hominem judicaret, & non ut Papam, quod tamen nunquam voluit Caetanus Doctor Sapientiſſimus; & Romanæ Sedis propugnator acerrimus edocere. Secundo ſupponendo Papam per hæreſim ipſo facto ammittere dignitatem Pontificiam; & in hoc ſenſu multi DD. ut ſupra vidimus, hanc ſententiam amplectuntur; ſed cum jam ſupra ſit oſtenſum, nullo jure probari hanc pœnam per hæreſim ipſo facto incurri, ſemper remanet præfata difficultas, quomodo, ſcilicet, inferior poſſit ſuperiorem judicare.

35. Reſpondent alii ſecundo in caſu hæreſis Eccleſiam eſſe Papam ſuperiorem. Sed contra eſt, quod Chriſtus Dominus abſolutè conſtituit Papam Judicem ſupremum, & nullum omnino contulit Eccleſiæ poteſtatem ſupra Papam; nec Canones de hoc loquuntur, niſi valdè generaliter, non determinando, quando Pontifex deponetur, id fieri, Eccleſia actum juriſdictionis ſupra Papam exercente; ex quo Eccleſiæ ſuperioritas inferri ſupra Papam, etiam in caſu hæreſi ab ipſo commiſſæ non valet inferri. poteſt enim deponi immediatè à Chriſto, nullo actu juriſdictionis ab Eccleſia exercito ſupra Papam.

36. Quare reſpondetur tertiò cum vera ſententia Doctorum, quam ſecuti ſumus in noſtro tractatu de fide diſp. 2. ſect. 5. de Summo Pontifice, quam etiam ſequitur Soar. ſupra cit. ſect. 6. num. 10. dicendo Eccleſiam ſolùm juridicè declarare illum factum eſſe verè hæreticum, non interim exercendo ullam juriſdictionem in perſonam Pontificis; ſed facta hac tamen declaratione delicti; Chriſtus eſt, qui illum tanquam indignum deponit; ſicut, quando Eccleſia aliquem eligit in Pontificem Maximum: non illi confert ullam poteſtatem; ſed tantum declarat juridicè Canonicam illam electionem, eſſeque illum hominem dignum, cui Chriſtus Supremam conferat poteſtatem: quam illico Chriſtus confert, ut omnes Catholici concedunt. Unde depoſito jam à Chriſto, manet perſona privata, inferior, & ſubdita Eccleſiæ, ab illaque poteſt jam judicari, ac puniri.

37. Unde verò conſtabit Papam immediatè à Chriſto deponi? P. Soar. citat: ait id conſtare ex traditione à tempore Apoſtolorum, ut conſtat ex Clemente S. Petri diſcipulo dicente Petrum dixiſſe Papam hæreticum deponendum eſſe, quaſi Petrus id à Chriſto immediatè acceperiſſet. Hæc tamen reſponſio non videtur ſatisfacere: nam ſi hæc traditio eſſet in tempore Apoſtolorum jam id eſſet de fide: ſiquidem traditio, quæ habet principium à tempore Apoſtolorum ut à Chriſto immediatè accepta habetur tanquam de fide, ut definit Tridentinum prout ſupra vidimus; quod autem Pontifex immediatè deponatur à ſolo Chriſto,

ito, non eſt de fide; cum multi DD. ſequantur contrarium, dicantque immediatè deponi ab Eccleſia; iſtamque in caſu hæreſis exercere juriſdictionem in Papam: & tamen non condemnantur tanquam hæretici.

38. Quare probabilius mihi videtur licet adhuc non ſit de fide definitum Papam hæreticum à ſolo Chriſto immediatè deponi; conformius tamen eſse cum traditione, cum Sacra Scriptura, cũ ratione naturali à Chriſto immediatè deponi. Primum probatur; quia credendũ eſt Petrum loqui de hac depoſitione per Chriſtum facta; ſicut per illum collata eſt ſuprema dignitas. Secundum colligitur ex illis locis Sacræ Scripturæ, quibus omnem hæreticum ſaltem nominatim declaratum vitare jubemur: ſi ergo Chriſtus per Apoſtolos præcipit, ut etiam Pontifex hæreticus vitetur, credendum eſt illum dignitate Pontificia, ſupremaque poteſtate ſpoliaſse: Subditi enim non compelluntur omnino vitare ſuperiores, ſi tales adhuc ſint, quamvis mali. Præſertim ſi in aliis materiis, in quibus ad illos ſubditi recurrunt, proferant ſententiam ſecundum leges; juxta illud, *Supra Cathedram Moyſen ſederunt &c. quodcumque dixerint vobis, ſervate, & facite, ſecundum opera eorum nolite facere.*

39. Tertium probatur, quia jure naturali conſtat Chriſtum in hoc caſu Eccleſiam omni remedio deſtitutam nõ reliquiſse; depoſitio autem hæc à Chriſto facta eſt unicum remedium, ſuppoſito, quod Eccleſiæ nullam dederit poteſtatem juriſdictionis ſupra Papam: ergo conformius eſt juri divino poſitivo tradito, ſcripto, & naturali Papam à Chriſto immediatè deponi, & ſolum requiri, quòd Eccleſia juxta viſibilem Chriſti gubernationem tamquam cauſa veluti miniſterialis juridicè proferat ſententiam de delicto; ut de illo juridicè conſtet; & ipſe Papa renuens hæreſim deponere, à Chriſto depoſitus eſse intelligatur.

SECTIO IV.

De quali hæreſi hoc intelligendum eſt?

40. QVatuor modis poteſt ſumi hæreſis. Primò, quando ſolum eſt materialis, v.g. quando aliquis inculpabiliter negat aliquod objectum, quod invincibiliter ignorat eſse revelatum, propoſitumque ab Eccleſia ut fide credendum; nam ſi ſciret eſse revelatum, & propoſitum ab Eccleſia; non illud negaret: ſed firma fide crederet: unde dico primò. Propter ſolam hæreſim materialem non poteſt Pontifex deponi. Ita ſupponunt omnes Theologi, & Canoniſtæ in cap. ſi Papa, diſt. 40. Probatur; quia non datur hæreſis ſine contumacia, ut ex D. Auguſt. & D. Thoma ſupra oſtenſum eſt; hæreſis vero materialis eſt ſine contumacia in Eccleſiam: cùm ſic materialiter negans, ſit ſemper promptus ad obediendum Eccleſiæ: ergo qui ſolùm habet hæreſim materialem hæreticus non eſt, ſed Pontifex ſolum poteſt deponi, quando eſt hæreticus: ergo quando ſolum habet hæreſim materialem, non poteſt deponi.

41. Secundò modo ſumitur hereſis, formalis quidem & cum contumacia, ſed internè tantùm; & dicitur hæreſis interna, ſeu mentalis nullo ſigno externo manifeſtata: Unde dico ſecundo: Eccleſia non poteſt deponere Pontificem internè tantum hæreticum. Ita omnes Theologi, & Canoniſtæ. Probatur; quia Eccleſia non judicat de internis. Tertiò modo ſumitur hæreſis, quando jam fuit prolata exterius, ſed non apparent teſtes, quibus ipſa probetur; & dicitur peraccidens occulta, quia per accidens eſt, quod non dentur teſtes; per quos ipſa probetur. Unde dico tertio: Non ſatis eſt hæreſis externa per accidens occulta, ut Pontifex deponatur. Ita ferè omnes Theologi & probatur; quia, ut ſupra oſtenſum eſt, Chriſtus non deponit Pontificem; niſi prius Eccleſia juridice probet illud delictum:

ctum:

ctum: quomodo autem poteſt illud probare, ſi teſtes non habet? Quartò modo ſumitur hæreſis, ut ſit formalis, externa, & jam teſtes dantur, quibus clarè poteſt probari, & dicitur nota notorioritate facti, ſeu publica infamia; unde dico quartò: Non ſufficit hæc facti notitia, ut deponatur; ſed omnino requiritur notorietas juris, quæ fit per ſententiam judicis Eccleſiæ. Hæc jam patet ex dictis. Probatur adhuc: quia ſemper ſupereſſet dubium, an illa facti notitia foret ſufficiens ad procedendum ad nouam electionem: ac proinde Primus eſſet dubiè depoſitus, & Secundus dubiè electus, darenturque duo Papæ dubii, & perniciosum in Eccleſia ſchiſma. Si verò lata ſit juridicè ſententia de eo delicto; nullum remanebit dubium; ſicque primus erit certè depoſitus, & ſecundus certè electus; & nullum in Eccleſia ſchiſma.

42. Dices. Etiam poſſet dubitari de illa ſententia, cum ſit lata à judice fallibili, qui poteſt errare: ergo ſumus in eodem difficultatis nodo. Reſp. in hoc nullum eſſe periculum: nam vel ſententia continet errorem intolerabilem, & tunc ipsò facto eſt nulla, Pontifexque adhuc non cenſetur depoſitus; ſed debet procedi ad nouū iudicium emendando errorem; vel ſententia ex nullo defuit capite, habeturque ut legitima, & ſecundum Canones; & tunc illâ ſtandum eſt: non enim ſpectandum eſt à cœlo miraculum; ſed ſatis eſt moralis certitudo, quæ a rationabili, & prudenti diligentia præſtatur. Quod ſi adhuc timeretur, an non fuerit fundata inveritate facti; tunc in promptu eſt remedium: ſiquidem Eccleſia, adhuc poſt latam ſententiam declaratoriam delicti, nondum tamen publicatam, non ſtatim procedit ad novam electionem; ſed reverenter adit Pontificem; illumque monet, non ut judex perſonæ, ſed delicti, atque illi oſtendit tanquam filia Patri illud delictum eſſe probatum probatione facti, & juris.

43. In hoc igitur eventu, aut Pontifex confitetur factum, ſed negat eſſe contra Fidem; aut jam cofitetur fidem; & negat factum; vel ſi factum confitetur; illud retractat, etiam contritus veram fidem amplectitur. Si fatetur factum, negatque adhuc contumaciter eſſe contra fidem id, quod evidenter probatum eſt eſſe aperte contra fidem Catholicam; adhuc expectandum eſt aliquod tempus ſecundum prudentis arbitrium; interim illum precando, & filiali reverentia monendo; & deinde preces ad Deum effundendo, habitis publicis ſupplicationibus, expoſitoque variis in locis ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento. Quod ſi facta hac diligentia (quæ certè neceſſaria eſt pro tantę gravitate materiæ) adhuc non reſipiſcat; tunc publicanda eſt ſolemniter Pontificis contumacia; & populo declarandum eſt illum hominem fuiſſe jam à Chriſto depoſitum, & manere ut perſonam privatam, poſſeque jam puniri à Concilio, ſicut alios hæreticos; quanvis, habita reſpectu ad antiquam illius dignitatem ſupremam, convenientius ſit, ut illi nullum aliud ignominioſum ſupplicium imponatur, quā tuto in aliquo Conventu in perpetuum claudi, dando illi ea, quæ humano victui fuerint neceſſaria; & ſtatim procedere ad electionem novi Pontificis juxta modum præſcriptum à Concilio generali Lateranenſi. X. & à Gregorio XV.

44. Si tamen Pontifex negat illud factum, affirmatque ſe amplecti veram fidem illi facto oppoſitam, & prudenter cognoſcatur Pontificem loqui ſeriò, & ſine dolo, & fraude, non debet Eccleſia ulterius procedere; ſed illum ſupplicitér revereri; precarique ut expediat bullam, qua condemnet illam hæreſim, a quocunque commiſſa fuerit, fidemque Catholicam declaret; item illum ſemper amplexum fuiſſe veram, & Catholicam Fidem; ſi factum non negavit; quia in re ipſa fuerat illius opinionis hæreticæ, exprimat in illa bulla, ſe tanquam hominem erraſſe errore perſonali, nunquam tamen illum errorem pro Cathedra definiſſe, nec potuiſſe definire; quia firmiter agnoſcit Apoſtolicam Sedem errare non poſſe. Quod verò Eccleſia in hoc eventu non poſſit vlterius procedere puniendo delictum, probatur; qui cum depoſitio non fuerit

rit ſecuta, adhuc remanet Summus Pontifex; cui Eccleſia utpote inferior non poteſt pœnam ullam infligere; ipſe verò Pontifex poteſt voluntariè pœnam aliquam pro ſatisfa&ione aſſumere; ut de Marcellino Papa inſinuat Concilium Sueſſanum; dicens: Tu te ipſum judica; nam prima ſedes à nemine judicatur.

45. Ex his patet ſolam hæreſim formalem juridicè probatam; & Pontificis hæretici contumaciam contra apertam Fidem, & voluntariam, culpabilemque perſiſtentiam in manifeſta hæreſi, de qua nullus poteſt prudenter dubitare, ſufficere, ut Papa deponatur immediatè à Chriſto; interventu Eccleſiæ, quæ antequam Papa deponatur, non procedit ut judex perſonæ, ſed tantum ut judex delicti, & hoc modo ſolum ſalvantur textus Sacræ Scripturæ; inquibus deciduntur duo. Primum quod Fides Petri, Sedis Apoſtolicæ Petri, ejuſque ſucceſſoris Romani Pontificis nunquam ſit defectura: juxta illud: Ego rogavi pro te, ut nunquã deficiat fides tua, idest, fides Catholica, quæ ſola eſt Romana & Petrina, ſeu Sedis Apoſtolicæ Petri. Secundum quod Petrus, ejuſque ſucceſſor Romanus in Petri anteceſſoris ſui jus ſuccedens ſupremum habeat ſuper omnem Eccleſiam principatum: nam ſi Chriſtus ad hoc tantum malum remedium non adhibuiſſet Apoſtolicæ Sedis Fides deficeret, & verba Chriſti falſa eſſent, quod eſt impoſſibile: deinde ſi Eccleſia Papam poſſet immediate deponere, jam hic non eſſet ſupremus Princeps, abſolutè, ſed in aliquibus tantum caſibus, quod manifeſtè repugnat textui: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram &c. Paſce oves meas, paſce agnos meos.*

46. Dices Papa Liberius, qui certè indubitatum Summi Pontificis clauum jure tenebat, fuit depoſitus, & in ejus locum ſuffectus Felix: & illa depoſitio fuit valida, aliter Felix non eſſet Papa legitimus: & tamen Liberius non fuit hæreticus; ergo non ſola hæreſis eſt cauſa deponendi Papam; ſed aliæ quoque cauſæ ſufficiunt. Reſp. Liberium, fuiſſe invalidè quidem à Conſtantio Imperatore depoſitum, & conſequenter Felix fuit primo intruſus, & illegitimus Papa; nec Eccleſia Romana illum ut Papam recognoſcebat, ſed Liberium propter Fidem in exiliũ amandatũ poſt quam verò Liberius ſubſcripſit Athanaſij damnationi: idque conſtitit Eccleſiæ; & deinde Felix ſe habuit Catholicus condemnando Arianos; depoſuit Liberium, & Canonicè Felicem elegit, qui poſtea propter Fidem martyrio eſt coronatus? & poſt mortem Felicis Liberius fuit iterum electus, quia ex fragilitate, & ex exilii tædio Arianis favit: unde non fuit prius depoſitus, quam fuiſſet habitus, ut favens Arianis; licet autem Liberius verè non credidit internè Arianis; id tamen Eccleſiæ non conſtabat, maximè verò de ejus ſubſcriptione: & ideo validè fuit depoſitus propter illam hæreſim in Foro externo tunc ſufficienter probatam, de quò videri poteſt Nicolaus Palavicinus in defenſione ſummi Pontificis p. 1. tom. 1. lib. 6 cap. 5. & 6.

SECTIO V.

An ſuppoſita ſupradicta Papæ contumacia, & promulgata jam ſententia depoſitionis per Chriſtum facta, & nondum ſit alius Pontifex electus, ſi tunc hæreſim retractet, ſit retinendus, ut Pontifex?

47. Duplex datur ſententia. Prima affirmat. Ita Caetanus ſupra citatus. Ita etiam Gloſs. in c. Nunc autem diſt. 20. & Canoniſtæ in c. Si Papa diſt. 40. Fundamentũ eſt, quia dum novus Papa electus non eſt; adhuc depoſitio non eſt conſumata: quandiu autem depoſitio non eſt conſumata? videtur poſſe dari locum correctioni: Pontifex autem correctus, & emendatus, jam non eſt hæreticus: ſed Catholicus, & conſequenter, ſi Eccleſia procedat ad electionem novi Pontificis, exponitur periculo eligendi Antipapam, & introducendi ſchiſma. Confirmatur, quia credibile eſt Chriſtum Dominum noluiſſe Pontificem ſuum Vicarium tam rigide tractari, ut conſumetur depoſitio, poſita illa ſententia depoſitionis, antequam nova incipiatur electio: unde illa ſententia decla-

declaratoria depoſitionis videtur ſaltem implicitè conditionata, niſi reſipiſcat ante novam electionem novi Pontificis: diſpoſitio autem conditionata corruit conditione non poſita.

48. Secunda & vera ſententia negat. Ita P. Soar. de Fide diſp. 10. Sect. 6. num. 11. Jacobatius lib. 8. de Concil. art. 2. dicens hanc eſſe communem Canoniſtarum ſententiam. Probatur primo: quia Pontifex hæreticus toties monitus, & non reſipiſcens, niſi quando videt jam tractari de electione novi Pontificis, præſumptionem dat vehementiſſimam ſe ficto animo emendare & habere timorem pœnæ, non amorem Fidei. Siquidem tractatio novæ electionis, non illi clarius proponit res Fidei, quam antea ipſa Sancta Eccleſia propoſuerat: quare præſumitur non illum duci Fidei motivo, ſed ſupplicii metu. Secundo quia vel quando proceditur ad electionem novi Pontificis, vacat Eccleſia; vel non; ſi primum, jam prior Pontifex erat depoſitus: nam ſedes non vacat, exiſtente vero Pontifice, ſicut conjux non ſit vidua, vivente ſuo marito; ſi ſecundum: quomodo eligitur Pontifex, ſede non vacante? Confirmatur: quia ſi Chriſtus noluiſſet deponere Pontificem hæreticum niſi per acta electione novi Pontificis, vel in eo inſtanti, quo fuit peracta nova electio alterius Pontificis, erat ad huc primus, vel non erat. Si primum: ergo in eodem inſtanti erant duo Papæ ſimul exiſtentes; in auditum vero eſt, imo abſurdum exiſtere duos Papas veros ſimul in Eccleſia; eſſet enim moſtrum deforme, ſub duplici capite; conſequenterque Eccleſia Chriſti non eſſet; quæ tota eſt pulchra, & facies ejus decora. Si ſecundum ergo jam ante electionem novi Pontificis, antiquus erat depoſitus; non apparet autem commodius depoſitionis tempus; quàm dum promulgatur depoſitionis ſentẽtia: qua poſt tantam expectationem, promulgata, illico deponitur a Chriſto; poſt depoſitionem verò, jam venit tarde reſipiſcentia; non enim dignitas Pontificia omiſſa eſt inſtar gratiæ juſtificantis, quæ per pœnitentiam reſtituitur; ſed inſtar aliarum dignitatum; quæ ſi ſemel amittantur, non reſtituuntur per novam pœnitentiam, ſed indigent, ut recuperentur, nova electione, & collatione; nec Chriſtus illam ſecundo confert, niſi nova Eccleſiæ electio præcedat.

49. Ex quibus manifeſtè patet falſitas contrariæ ſententiæ in ſenſu propoſito. Undè ad fundamentum ejus Reſp. negando abſolutè majorem: falſum enim eſt promulgata jam depoſitionis ſententiâ non illico completam eſſe depoſitionem, ut evidenter oſtendit noſtræ ſententiæ fundamentum: ad ſubcinctam probationem, diſtinguo: exponeretur Eccleſia periculo faciendi nullam ſecundam electionem, ſi alium Pontificem eligeret, cum ſola publicitate facti vel cum ſola ſententia occultè lata; & non ſolemnitèr promulgata, concedo; ſententia jam lata, & promulgata, nego: quia jam Chriſtus habuit totum, quod ex parte Eccleſiæ requirebatur, ut illum Pontificem hæreticum deponeret; expectare autem aliud ulterius, erat diſturbare Eccleſiam, favere hæreſi, fovere diſcordias, & gregem ſinere à rapaci lupo diſcerpi.

50. Ad confirmationem dico Chriſtum potius voluiſſe, ut non procederetur ad electionem novi Pontificis, niſi abſolutâ jam, & conſumata depoſitione antiqui; quia contra rationem eſt agere de ſecundo marito, vivente primo, & coniugem non dum viduam ad ſecundas tranſire nuptias: id enim foret non de legitimo coniugio, ſed de adulterio agere. Deinde falſum eſt dicere ſententiam declaratoriam delicti etiam poſt promulgationem habere implicitam conditionem, niſi reſipiſcat, ante novam electionem: quia ea ſententia requiritur, ut de medio tollatur omne dubium: ſi autem eſſet purè conditionata; eſſet omnino incerta, dubia, & improportionata ad finem intentum; qui eſt oſtendere Eccleſiam vacare, & viduam eſſe; ſine cujus rei certitudine ad novam non poteſt electionem procedi.

SE-

SECTIO VI.

Quid dicendum, ſi poſt latam ſententiam conſtet de errore facti?

51. Quatuor modis poteſt hoc contingere. Primò ſi cõſtet de errore facti ante latam ſententiam; probationibus tamẽ ſecundum allegata, & probata Canonicè factis. Secundo poſt latam ſententiam; ſed non dum publicatam. Tertiò poſt latam, & promulgatam, ſed non dum incepta nova electione. Quarto poſt factam novi Pontificis electionem; ita ut ſecundus ſit jam in Eccleſia ut verus,& legitimus Pontifex receptus, quo ad primum nulla eſt difficultas inter DD. nam cùm conſtet de errore facti ante latam ſententiam, à tali ſententia debet deſiſti, quia erit iniuſta: nam probatio falſi cognitione veri eliditur, & emendatur: ſæpe enim, quæ apparent vera, poſtea falſa manifeſtantur: ſola divina cognitio non fallitur; humana fallibilitati ſubijcitur.

52. Quo ad ſecundum jam patet ex dictis pro noſtra ſententia: dicendum enim eſt, probabile quidem eſſe, quamdiù ſententia depoſitionis non eſt promulgata, adhuc poſſe Pontificis correctionem expectari; ideoque ante promulgationem, debet Eccleſia, ſeu Concilium iterum Pontificem adire, illumque de ſtatu rei; reverenter monere; quod ſi ille reſipiſcat, non eſt promulganda ſententia, ſed debet Pontifex juxta ſuperius dicta retractationis bullam publicare. Quo ad tertium, ſi error facti, etiam poſt promulgatam ſententiam detegatur, ita ut manifeſtè facti error appareat, debet emendari, ſententia illa, cum ſit in materia graviſſima ſupremam dignitatem attingente: unde in eo caſu ad novi Pontificis electionem inique procederetur; cum evidenter conſtet de innocentia primi; nec Chriſtus Dominus ſuumVicarium innocentem repertum vult deponere.

53. Quo ad quartum maior eſt difficultas. P. Soar. cit. n. 12. dicit caſum eſſe impoſſibilem. Primò quia Spiritus Sanctus non permittet innocentem Pontificem à Concilio generali condemnari, & tam perniciosum damnum toti Eccleſia ſic inferri. Secundò quia non niſi poſt manifeſtam facti notitiam, publicamque infamiam delicti univerſale Cõcilium convocaretur: hæ tamen rationes Patris Soarii efficaces non ſunt: nõ prima quia Spiritus Sanctus ob inſcrutabiles ſuæ providentiæ fines aliquando permittit multa in Eccleſia: ſic permiſit totam Eccleſiam Africanam à Maurorum potentia devaſtari; itaut nullus ibi jam ſit Epiſcopus, nullus Primas, & regnet illic Maometes; ubi regnabat Chriſtus: ſic permiſit orientales Eccleſias, quæ maxima pars Chriſtiani gregis erat, per tot annos a communione Eccleſiæ ſeparari, cur ergo non poteſt permittere, Summum Pontificem Vicarium ſuum licet innocentem per errorem facti damnari? quod in ipſo fuit ſupremo Rege permiſſum, non poterit in ejus Vicario, ſeu Prorege permitti?

54. Minus etiam urget ſecunda ratio: nam poſſunt Reges, & Principes convenire adverſus Dominum,& adverſus Chriſtum ejus, & ſive odio Pontificis præſentis, ſive amore futuri probationes facti formare, illaſque ad convocandum pro Pontificis depoſitione Concilium univerſis Epiſcopis mittere, & poſſet Deus permittere, quod ipſi Epiſcopi congregati ſive obſequio, ſive timore facilè inducantur,niſi calumnias pro veritate accipiant, innocentem pro reo judicent, errentque in facto, licet in jure non errent. Sic duo Concilia generalia, & duo Pontifices Honorii prorſus innocentis memoriam Monotheliſmi damnarunt, & poſtea repertum fuit illum nunquam crimen illud admiſiſſe, ſed potiùs condemnaſſe, ut nos ſuprà evidenter demonſtravimus: cur ergò, quod evenit in Honorio jam mortuo, non poterit evenire in aliquo Pontifice adhuc vivò? Reſpondet Soarius hoc non poſſet contingere in Pontifice vivo, quia licet falſas calumnias non poſſit ipſe diluere: poteſt tamen dicere, quid quid ſit de facto, ipſum velle amplecti fidem Catholicam, abjurareque omnem hæreſim, in quo eventu non poterit Concilium

lium ultrà procedere. Sed Summum Pontificem in ſuę ſupremæ dignitatis poſſeſſione ſecurum relinquere.

55. Sed hæc reſponſio licet verum contineat, præſentem difficultatem non ſolvit: quia poteſt accidere, ut iidem calumniatores, vel alii ſimiles eundem Pontificem falsò accuſent de relapſu, in quo caſu nō ei proderit abjuratio, quippe ſemper præſumetur ex juris præſumtione, quod idem poſtea ſit facturus per juris Regulam in cap. Semel. de Reg. jur. in 6. proindeque debet omnino procedi ad depoſitionem primi, & electionem ſecundi; recurrit ergo difficultas, ſi poſt ſecundum electum, & jam ut verum Pontificem in Eccleſia receptum, repertum fuerit primum fuiſſe inique depoſitum, qualis ex his Pontificibus ſit ve-

56. In hoc caſu duplex datur ſententia prima docet ſubſtinendum eſſe Pontificem ſecundum relicto primò. Ita P. Soar. cit. num. 12. Probat: quia illa ſententia depoſitionis fuit ſimpliciter juſta, nec potuit alio remedio Eccleſiæ ſufficienter ſubveniri. Confirmat quia in eo caſu tantæ neceſſitatis Eccleſię prior ille Pontifex debet renuntiare, proindeque ſecunda electio fuit valida, & Pōtifex electus evadit legitimus, & ideò ab Eccleſia ſubſtinendus, priore relicto: eritque in Eccleſia pax, & tranquillitas, ſine ſchiſmatis periculo. Hęc ſententia ſaltem propter authoritatem tanti Doctoris, videtur ſatis eſſe probabilis. Pace tamen eximii Doctoris adhuc magnam habet difficultatem. Primò; quia ſi hæc doctrina eſt vera, nullus Pontifex eſſet de ſuo Pontificatu ſecurus ob periculum calumniarum, quibus ab Adverſariis poſſet circumveniri. Deinde ipſo Pontifice volente Epiſcopos, Primateſque reformare, cum oporteat aliquando uti cauterio, quando non ſufficit collirium: faciles ipſi Epiſcopi præbebunt aures Principum querelis, & Pontificis virtutes, vitia, fides infidelitas, juſtitia iniuſtitia reputabitur; falſas calumnias obtexent: morigerantes, & palpatores non deerunt, qui Principum indulgeāt auribus; qui jurent falſa pro veris, qui dicant ſe vidiſſe, quæ non viderunt, ſe audiviſſe, quæ non audierunt: vendetur fides auro; perjuria argentata religionem colorabunt, lupi agent Paſtores ovina pelle veſtiti: infecta pro factis, facta pro infectis narrabunt; fabulas veritatis vultu component; lapſus, & relapſus innocentis Pontificis conformi teſtimonio comprobabunt: & ſic eiicietur Paſtor, intrabit Lupus, diſcerpentur oues, grex univerſus dilacerabitur. His igitur damnis, periculiſque erit obnoxius unuſquiſque Pontifex, ſi illa ſententia eſt vera.

57. Nec convincit ratio Patris Soarii ſpecialiter in caſu Pontificis: quia licet illa ſententia fuerit juſta ſecundum allegata, & probata; quia teſtes erant conformes: hoc ſolum probat eos judices, qui bona fide proceſſerant, non peccaſſe; imo peccaturos, ſi illā ſententiam legalibus in ſua conſcientia probationibus munitam non tuliſſent: judex enim debet duci notitia teſtium pro probatione facti, & notitia legis pro probatione juris, aliter tenebitur de Syndicatu; non tamen probat ſententiam in re ipſa iniquam, & ſolum externa facie juſtam dare ſufficientem titulum, ut Chriſtus Vicarium ſuum innocentem deponat, ſed tantùm permittet illam depoſitionem aliàs nullam, quoad aliquos effectus inſervire, quandiu ejus nullitas nō detegatur; nimirum, ut non peccent, nec ſint ſchiſmatici qui obediāt Pontifici in re ipſa intruſo, & externa tantū ſpecie vero, & quòd illi effectus, quos Eccleſia poteſt ſupplere, ex leg. Barbar. ff. de offic. præt. ſint validi; vel ſaltem rati habendi.

58 Neque confirmatio de renuntiatione vera videtur: nam licet verum ſit in aliquibus caſibus Pontificem teneri renuntiare, id verum eſt tantum, quando ſine ea renuntiatione aliquod omnino irreparabile damnum in perpetuum vitari non poſſit: tunc enim jure naturali tenebitur illud damnum impedire cum modica jactura propriæ commoditatis, qualis cenſetur illius dignitatis amiſſio ſemper levior, quam illud irreparabile totius Eccleſiæ damnum: at verò Papæ renuntiatio in hoc caſu noſtro non eſt neceſſaria ad aliquod irreparabile damnum vitandum: quod enim dam-

num eſt, ſi per aliquod tempus, quo ſpectatur detectio veritatis, Eccleſia habeat fictum ſponſum putatum inculpabiliter verum? Nec obſtat, quod Joannes 23. in Concilio Conſtantienſi Pontificatui renuntiare coactus ſit: nam caſus ille longè eſt à noſtro diverſus: ſiquidem ille Papa erat dubjus, utpote ſchiſmatis tempore electus, & erant tunc temporis tres Papæ; undè niſi omnes tres renũtiarent, irreparabile illud ſchiſmatis damnum ab Eccleſia vitari non poſſet: at verò in noſtro caſu Pontifex eſt omnino certus, & indubitatus, & repertus poſtea innocens; quid verò damni emerget in Eccleſiam, ſi detecto errore, recipiatur is, qui erat innocens, & reiiciatur is, qui ſolum fuit electus, quia alius falsò putabatur nocens? prævalebit error veritati? ignorantia ſcientię? umbra luci? Conſideremus igitur damnum tam ex parte utriuſque Pontificis, ſcilicet depoſiti ex errore, & electi ex errore, quàm ex parte Eccleſiæ; ſi ſuſtineatur antiquus, & reiiciatur nouus electus: ex parte utriuſque eſt amiſſio ſupremæ dignitatis: ſi enim admittitur ſecundus, illam amittit primus. Si jam admittitur primus, illam amittit ſecundus: majus certè damnum erit primi, proprium perdere, quàm ſecundi alienum reſtituere. Conſideremus damnum ex parte Eccleſiæ; ſi non retineatur recens electus; multæ diſpoſitiones ab eo factæ erunt irritæ, cum non modica diſturbatione, atq; beneficia, dignitates invalidè collatæ cenſebũtur. Sed hoc damnum ferè nullum eſt: nam Eccleſia poteſt ratum habere, quod ab ipſa dependet; juxta leg. Barbar. cit. damnum verò ex parte primi Pontificis gravius erit in Eccleſia; quia videndo ſuum Pontificem legitimum ſine culpa ſpoliatum fuiſſe, dubitabit, an electio ſecundi valida fuerit, & dabitur anſa ad nouum ſchiſma; quod eſt maximum, & pernicioſum damnum: cur ergo cogetur primus renuntiare ob damnum minus; & non cogetur renuntiare ſecundus ob damnum majus?

59. Reiicitur deinde confirmatio prædicta P. Soarii: quia vel illa renuntiatio fuit facta ante novam electionem, vel poſt: ſi antè, cùm Pontifex ſit certus, ſi non renuntiet, carcere, & aliis pœnis eſſe divexandum, talis renuntiatio facta ex metu cadente in virum conſtantem, nullius erit valoris, ut jura clamant; & conſequenter ſecunda electio nullius roboris erit: nam electio novi Pontificis, exiſtente vero, & legitimo, eſt ipſo jure nulla, & ſic ſecundus erit Antipapa, & introducetur ſchiſma in Eccleſia, vel ſaltem prædicta renuntiatio erit dubia, & conſequenter ſecunda electio dubia erit, & ſecundo electus Papa erit dubius, eruntque duo Papæ dubii, aliique primo adhærebunt, alii verò ſecundum cum ſchiſmate Eccleſiæ ſequentur. Si poſt electionem fiat renuntiatio, nimirum, poſtquam electo jam ſecundo, error fuerat detectus, vel renuntiatio fuit metu coacta, & tunc ſequuntur prædicta incomoda; vel fuit dubia, & ſic erunt duo Papæ dubii, vel fuit certa, & tunc probatur eo ipſo ſecundam electionem fuiſſe à principio nullam, quia fuit facta tempore, quo primus Pontifex habebat jus in re in Põtificatum, aliter ſi jam non habebat jus, fruſtaneum erat, denovo renuntiare, nemo enim renuntiat juri, quod non habet, vel certum, vel dubium: ſi igitur illa electio fuit à principio nulla, non potuit diuturnitate temporis convaleſcere juxta Regulam, quod à principio, de Regulis juris in ſexto: neceſſariũ ergo erit, quod iterum eligatur validè: neque enim in Eccleſia fuit unquam auditum, quod Chriſtus conferat juriſdictionem Pontificiam ſine interventu electionis validæ, vel ſaltem ratihabitæ, ſi ergo debet neceſſario eligi denuo ſecundus, vel ſaltem illius electio revalidari, non ne erit præſtantius, rationique conformius, ut primus utpote innocens repertus in antiqua ſua poſſeſſione ſervetur, quàm, ut eligatur intruſus? Non ne multi Epiſcopi fuerunt à Conciliis generalibus, etiam legitimis, bona quidem fide depoſiti, & alii illorum loco ſubſtituti, poſtea verò errore detecto, Pontifices Romani prioribus ſuo priſtino ſtatui reſtitutis, ſecundos ejecerunt? Hoc certè conſtat ex multis exemplis ſupra relatis. Major igitur Epiſcopis infe-

inferioribus, quàm ſupremo Epiſcoporum Principi reverentia exhibenda eſt? Propter has difficultates, quę quidem magni momenti ſunt, mihi valdè diſplicet ſententia noſtri Soarii, quanvis alioqui Doctoris eximii: ſed plus rationi, quàm authoritati dandum.

60. Quare ſecunda & verior ſententia docet, in caſu præſenti primum Pōtificem eſſe ſuſtinendum, ſuæque dignitati omninò reſtituendum, & omnino reiiciendum ſecundum. Hanc ſententiam explicatis terminis negari non poſſe arbitror, imo ipſe Pater Soar. pro illa ſtare videtur, ſi ejus fundamenta pro contraria ſententia bene penetrentur: ait enim Pontificem teneri renuntiare, quando illa renuntiatio repræſentetur medium unicè neceſſarium ad liberandam Eccleſiam à damno aliquo ipſius Eccleſiæ aliter irreparabili: ergo ſentit contrarium, quando tale damnum non ſequitur, ut verè non ſequi probatum eſt: pro hac etiam ſententia ſtant Bellarmin. Eugen. Lombardus, & alii ſupra citati, quatenus dicunt Eccleſiam non poſſe ferre ſententiam in Papam, ut Papa eſt, niſi ſolum, quando jam non eſt Papa, cum verò Papa in caſu preſenti ante renuntiationem verus exiſtat Papa, cenſent non poſſe cogi ab Eccleſia, ut renuntiet, ſi ergo ad renuntiandum cogi non poſſe arbitrantur, non poſſe Eccleſiam deponere primum, & eligere ſecundum clarè cenſent.

61. Probatur ergo iſta ſecunda ſententia ab impugnationibus factis contra primam, quatenus enim directè deſtruunt primam, indirectè probant cōtrariam. Probatur ſecundò quia poteſtas Concilii ſupra Papam in aliquibus caſibus jure conceſſa eſt maximè odioſa, ut pote inferioris in Supremum Paſtorem, & conſequenter ſemper eſt reſtringenda cap. odia, de Reg. juris in 6. & ideo DD. comuniter dicunt poteſtatem in Pontificem conceſſam à Chriſto Eccleſiæ in ſolo caſu hæreſis, reſtringi ad hæreſim ſtrictè ſumptam, nimirum formalem, externam, publicam, minimè dubiam, & ideo non extendi ad materialem, internam, peraccidens occultam, dubiam, præſumptam, ut ſupra probatum eſt: ſed non eſt dubium in noſtra ſententia magis reſtringi poteſtatem Eccleſiæ in Pontificem: ergo &c. Probatur hæc minor evidenter. Supponendo dupliciter potuiſſe Eccleſiam in hoc caſu ferre ſententiam depoſitionis. Primo modo abſolutè, ſive errore poſtea detecto, ſive non detecto errore. Secūdò modo conditionatè, ideſt niſi errore detecto, liquido appareat Pontifex innocens: hoc ſecundo modo reſtringitur ad unum tantùm caſum, nimirum, in quo non detegatur error. Primo modo ampliatur ad duos caſus, nimirum ad caſum, in quo error non detegatur; & in quo etiam detegatur error: ergo hæc poteſtas ampliatur in prima ſententia, & reſtringitur in ſecunda: ergo hæc ſecunda eſt juri multò conformior: & conſequenter verior de jure.

62. Probatur tertiò ex quadam cōgruentia ſatis efficaci: quia juxtà Concilium Lugdunenſe in cap. vbi periculum de elect. in 6. Summus Pontifex eſt verè Sponſus ſpiritualiter reſpectu ſuæ ſponſæ Eccleſiæ, ſicut Sponſus carnaliter reſpectu ſuæ coniugis: ſupponamus igitur, quod exiſtentibus efficacibus indiciis de morte prioris coniugis carnalis, & delata cauſa ad judicem Eccleſiaſticū; hic ſecundum allegata, & probata de morte prioris coniugis tulit ſententiam definitivam, ex vi cujus uxor tranſivit ad ſecundas nuptias, juxta formam Eccleſiæ; certum eſt, ſi poſtea primus conjux compareat viuus, detecto errore, reſtituendum eſſe ſuæ priori uxori; quia ſecundæ nuptiæ fuerunt irritæ, vivente priori marito: nec ſententia judicis lata ſecundum allegata, & probata, quicquam valet, niſi ad certos quoſdam effectus, nimirum, ut ea bona fide non peccaret tranſiens ad ſecundas nuptias, & ut proles inde ſecuta non haberetur, ut Spuria: ergo etiam Sponſa Eccleſia, quæ veluti tranſivit ad ſecundas nuptias per electionem novi Pontificis ex ſententia lata de morte civili primi Pontificis; ſi poſt electum nouum Pontificem, detegatur error facti, & cognoſcatur certè primum Pontificem fuiſſe viuum, ideſt non mortuum civiliter; reſtituenda eſt primo Pontifici; non obſtante ſenten-

tia ex vi cujus tranſierat veluti ad ſecundas nuptias cum novo Pontifice electo: aliter plus digno minus, & minus digno plus concederetur.

63. Dices. Argumentum nimis probat: nam probat in nullo caſu poſſe Eccleſiam depoſito uno Pontifice, dum ipſe vivit, alterum habere Pontificem; ſicut in nullo caſu vivente priori marito poteſt uxor tranſire ad ſecundum; illud autem eſt omninò falſum; & contra Sacros Canones; & contra noſtram doctrinam ſupra poſitam. Reſp. argumentum noſtrum univerſaliter probare; ſi benè termini adaptentur: ſiquidem debemus comparare vitam naturalem ſponſi carnalis cum vita morali ſponſi ſpiritualis; ita ut quemadmodum vita naturalis carnalis ſponſi per ſeparationem unionis à corpore naturali deſtruitur; ita vita Pontificia, ſeu vita moralis Spiritualis ſponſi ſolum per ſeparationem unionis a corpore myſtico deſtruatur: undè ſicut quandiu ſponſus naturalis unionem conſervat naturalẽ ad corpus naturale, ejus uxor alium maritum aſſumere non poteſt; ita quandiu Pontifex Sponſus Spiritualis conſervat unionem myſticam ad corpus myſticũ; Eccleſia alium Pontificem validè aſſumere non poſſit: ſed hic, detecto errore, cùm ab unione myſtica ad corpus myſticum ſeparatum nunquam fuiſſe probetur; ſiquidem hæc ſolum per hæreſim deſtruitur, quam in Pontifice illo nunquam fuiſſe, errore illo detecto, jam conſtat: ergo idem dicendum eſt de hoc Sponſo, atque de illo, & conſequenter argumentum noſtrum eſt convincens.

SECTIO VII.

Quid dicendum, quando Pontifex ſolùm externè negavit fidem, internè autem retinuit?

64. Reſp. tribus modis hanc quæſtionem poſſe excitari. Primò ſi Pontifex metu coactus externè negat fidem faciendo aliquid exterius contra profeſſionem fidei v. g. adorando externè idola, quin tamen internè neget fidem, ut fecit Marcellinus; & ſuo modo fecit Petrus, quando interius credendo, exterius ex timore negavit Chriſtum. Secundò ſi credens internè fidem illam externè negavit cum deliberatione: v. g. communicando cum Arianis, vel cum Lutheranis; ſed poſtea admonitus, fidem iterum externè profeſſus, actum externum illum retractando. Tertiò quando fidem internè retinens, illam deliberatè neget, & actũ non retractet, nec vult retractare, ſed deliberatè perſiſtens continuet ſine ulla emendatione prædictam externam tantùm hæreſim: Quo ad primum communis eſt ſententia affirmans Pontificem illum fidem non amittere, nec debere deponi; cum videatur clarè id ex metu, non ex errore mentis feciſſe, & ideo Papa Marcellinus non fuit depoſitus, ſed juxtà ſuperius dicta in 1. diſceptat. ipſe Papatui voluntariè renuntiavit; ut de ſuo delicto pænitentiam commodius ageret; & tandem tirannum reprehendens voluntariè martyrio propter fidem ſeſe obtulit.

65. Quo ad ſecundum reſp. ſimilitèr habitum fidei non amiſiſſe, quia revera mentis errorem non habuit, & ipſum peccatum externæ negationis fidei retractavit: quare juxta communem Theologorum, & Canoniſtarum ſentẽtiam deponi non debet. Quo ad tertium communis ſententia docet debere deponi, ſi in illa externa negatione perſiſtat, & ſe non emendet; quanvis dicat ſe ſolùm externè negare fidem; internè tamen illam retinere. Ità P. Soar. de fide diſp. 10. ſect. 6. nu. 13. Probatur: quia Eccleſia non judicat de internis, & quãvis Pontifex dicat ſe fidem internam habere; non illi eſt credendum; nam potiùs ejus operibus, quàm verbis credendum eſt, ſemperque præſumet Eccleſia, illum ob fugiendam pœnam amiſſionis Dignitatis Pontificiæ dicere ſe fidem interius habere: ſi enim illam haberet, externum factum, quod ipſe admonitus facere renuit, retractaret: ergo juſtiſſimè debet deponi. Confirmatur, quia non eſt credendum Chriſtum Dominum hominem illum, qui tantum ſcandalum fidelibus præbet, & factis agens lupum verbis Paſtorem ſe ſimulat, ut ſuum

Vica-

Vicarium conſervare velle.

66. Dices. Ille Pontifex, dum internè rectè credit, non eſt ab unione fidei ſeparatus: ergo non debet judicari fuiſſe à Chriſto depoſitus. Reſp. diſt. antecedens. Non eſt ſeparatus ab unione fidei inviſibili, tranſeat antecedens, ab unione viſibili per externam carentiam profeſſionis fidei, ad quam, ut Catholicus tenetur, nego antecedens: quia ad Eccleſiam non pertinet, quid ille internè habeat, cum de internis nequeat judicare; ſed quid exteriùs faciat, quem actum externum ſemper præſumit ab interno malo affectu, & pertinacia effluxiſſe. Imo plus damnum affert Eccleſiæ illa externa negatio fidei; quàm ſola interna, præſertim quia ſemper præſumitur internus hæreticus, qui ſe hæreticum externè manifeſtat; nec vult factum illud retractare. Aliter ſi iſte caſus non eſſet ſufficiens, ut deponeretur; omnis Pontifex formaliter hæreticus poſſet dicere, ſe fidem internam habere; & ſic pœnam depoſitionis evaderet; fruſtaneaque eſſet lex diſponens, Papam hæreticum eſſe deponendum; Deuſque ipſe ſuam Eccleſiam omni remedio deſtitutam relinqueret.

SECTIO VIII.

Qualis depoſitio ſit neceſſaria, ut Eccleſia cenſeatur vidua?

67. EX dictis facilè reſolvi poteſt hæc queſtio: nam Pontificiam dignitatem per hæreſim ipſo facto non deponi probatum eſt; deindè Pontificem non immediatè ab Eccleſia deponi poſſe, ſed à Chriſto; præthereà Chriſtum ſine interventu Eccleſiæ Pontificem nolle deponere: unde colligitur triplicem depoſitionem conſiderari poſſe. Prima dicitur naturalis, ideſt ex ipſa natura, ſine aliquo jure poſitivo, v.g. ſi Pontifex ex ipſo facto per hæreſim à Pontificatu decideret. Secunda miniſterialis, ideſt ex miniſterio Eccleſiæ declarantis authenticè illum errorem Pontificis eſſe verè contrà fidem Catholicam non tamen illum ullo modo directè judicantis, quamdiu eſt Papa; quia nullus inferior in Superiorem poteſt juriſdictionem exercere. Sola igitur depoſitio, quæ fit a duabus cauſis, principali, Chriſto, & miniſteriali, Eccleſia, per modum unius principii, facit, quod Eccleſia maneat vidua, & ut ad novi Pontificis electionem procedatur.

68. Declaratur hoc exemplo Sacerdotis, qui per abſolutionem ſacramentalem remittit peccata pœnitentis, ſolum ut cauſa miniſterialis, quia eſt inſtitutus miniſter illius Sacramẽti; Chriſtus verò ut Deus remittit peccata, ut cauſa principalis juxta illud; *quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* ergo ſimiliter Eccleſia deponit Pontificem, ut cauſa miniſterialis; Chriſtus verò ut cauſa principalis; quia ſicut Chriſtus eſt, qui confert ſupremam juriſdictionem; ita ſolus Chriſtus eſt, qui illam tollit, juxtà illud; *per eas cauſas res diſſolvitur, per quas naſcitur*.

69. Inferes: ergo ſicut Sacerdos non poteſt abſolvere, & deſtruere peccata, ut cauſa miniſterialis, ſine juriſdictione in pœnitentem; ita Eccleſia ſeu Concilium non poteſt deponere, & deſtruere dignitatem Pontificiam ſine juriſdictione directa in Pontificem; & conſequenter non ſufficit ſola juriſdictio Eccleſiæ in ipſum delictum abſtractè, ſed contractè in Pontificem. Ad ſolutionem hujus inſtantiæ, advertendum eſt, duplicem dari poteſtatem miniſterialem. Prima eſt, quę habet annexam poteſtatem juriſdictionis, vel delegatam, vel ordinariam. Secunda eſt, quæ eſt merè miniſterialis, & non habet annexam juriſdictionem in aliquem, in quo purum, nudumque miniſterium exercetur. Exemplum primæ eſt in Sacerdote approbato, qui & eſt cauſa miniſterialis remittendi peccata pænitentis, & habet juriſdictionem in ipſum pœnitentem. Exemplum ſecundæ ſunt Cardinales, qui habent poteſtatem miniſterialem eligendi Pontificem, quin habeant poteſtatem juriſdictionis, ad illam Papæ conferendam; ſed hæc à ſolo Chriſto illi confertur. His animadverſis, facilis eſt inſtantiæ obiectæ ſolutio. Reſpondendo Sacerdotem poteſtatem miniſterialem primo modo habere; Eccle-

ſiam

ſiam verò, ſivè Concilium habere poteſtatem deponendi ſecundo modo, ideſt per merum miniſterium. Hujus verò ratio jam eſt ſupra explicata: quia cùm res per eaſdem cauſas diſſolvatur, per quas naſcitur; ſicut Pontificia dignitas, veluti naſcitur per Eccleſiam, ut per cauſam mere miniſterialem; ita per eandem Eccleſiam, ut per cauſam merè miniſterialem diſſolvitur.

70. Dices. Olim Cardinales non eligebant Papam, ſed Eccleſia: ergo ſignū eſt, quod Eccleſia illis dederit juriſdictionem. Reſp. Eccleſiam ſolum habuiſſe tunc poteſtatem ad præciſum actum eligendi, & non ad conferendam, vel exercēdam ullam juriſdictionem in Papam: & ideo ſolum hanc ſtrictè juriſdictionem Cardinalibus dediſſe juxta Reg. *Is qui in jus*, de Regulis juris in ſexto. Unde inſtantia potius confirmat noſtrā doctrinam. Advertunt hic aliqui DD. Theologi, qui rem ſubtilius, quàm Canoniſtæ ſpeculantur; potuiſſe Deum conferre Cardinalibus poteſtatem conferendi juriſdictionem ſupremam Pontifici, ſaltem ut cauſæ instrumentali; hæc enim neceſſe non eſt, quod contineat in ſe effectum, quem inſtrumentaliter producit; ſicut accidens inſtrumētaliter producit ſubſtantiam, licet illam non contineat: hęc tamen ſpeculatio nihil utilitatis habet ad noſtram quæſtionem. Solum enim contendimus Electores Cardinales non eſſe cauſam principalem juriſdictionis Pontificiæ, quia nemo dat, id quod non habet, ſive alioqui cauſa inſtrumentalis, ſive miniſterialis eſſe dicatur; quod quidem eſt quęſtio de nomine, de quo non multùm ſudamus.

SECTIO. IX.

Quæ conditiones requirantur, ut Papa dicatur dubius, ſeu Antipapa.

71. SVpra adnotavimus ſolùm propter duas cauſas Summum Pontificem deponi poſſe. Prima eſt, ſi fiat, & ſit hæreticus contumax. Secunda ſi ſit dubius: de prima ſatis jam eſt dictum in ſuperiori doctrina, de ſecunda nunc agendum eſt. Prius tamen præmittendum eſt, quid ſit dubiū, de quo hic loquimur? Duplex datur dubium. Primum negatiuum. Secundum poſitiuum. Negatiuum illud eſt, quando intellectus hæret anxius in utramq; partem controverſiæ, itaut ex nulla parte inveniat rationem aliquam probabilem aſſentiendi potius uni parti, quàm alteri; & ideo dicitur negatiuum: quia habet ſe negativè, nec affirmando, nec negando, ſed ſuſpendendo aſſenſum, & diſſenſum.

72. Dubium poſitiuum tunc datur, quando intellectus ob aliquam rationē probabilem aſſentitur poſitiuè alicui veritati, ſed non ita certè, ut non habeat aliquam formidinem partis oppoſitæ: quia licèt illa ratio ſit prudens, & probabilis: tamen certa, & infallibilis non eſt: & hoc dubium poſitiuum dicitur opinio probabilis: quæ duplex eſt. Prima, quando ex una parte datur tam efficax ratio, aſſentiendi, vel diſſentiendi, ut ex altera parte non detur ratio aliqua prudens: & hæc dicitur opinio moraliter certa: quia cùm in oppoſita parte non inveniatur ulla ratio prudens, certè dicetur moraliter incerta; & cùm hæc pars opponatur alteri habēti rationem efficaciſſimam, dicitur illa altera pars moraliter certa. Secunda eſt quando in utraque parte dātur rationes probabiles, vel æque, & tunc dicuntur æquè probabiles formaliter, vel magis, aut minus, & tunc dicuntur magis, vel minus probabiles. De hoc in noſtro de conſcientia tractatu latè diſſervimus.

73. His ergo breviter pro præſenti materia explicatis, dicendum eſt quæſtionem noſtram procedere de Papa dubio primo modo, quia cùm nō appareat ulla ratio probabilis aſſerendi illum eſſe legitimum Papam, eo ipſo Eccleſia habet jus procurandi Papam verum, & legitimum, per depoſitionem primi, qui eſt dubius, & per electionem ſecundi qui ſit certus. Non procedere tamen de dubio poſitivo primo modo ſumpto: quia cùm hoc modo Eccleſia habeat Pōtificem moraliter certum, eo ipſo alium eligendo, electus manebit moraliter nō certus, & conſequenter illegitimus, pro-

procedere tamen de dubio poſitiuo ſecundo modo ſumpto; quia cùm dentur duo, vel tres Papæ, cum aliqua probabilitate, & neceſſe ſit omninò, quod Papa totius univerſalis Eccleſiæ ſit tantum unus, ut tollatur ſchiſma, omnes deponantur, oportet, ut hoc modo facta vidua Eccleſia, poſſit legitimum Sponſum aſſumere.

74. Quare dico Primò: quando multi ſunt Papæ, de quibus meritò dubitatur, quis eorum ſit verus Pontifex; omnes illi debent deponi ab Eccleſia, ut procedatur ad electionem Pontificis certi, & indubitati. Ratio eſt: quia quando ſunt multi Papæ dubii, aut omnes habent plenam juriſdictionem in totam Eccleſiam, quod eſt abſurdiſſimum, aut debent aliqui deponi: ſed non datur major ratio, cur deponantur aliqui, & non omnes: ergo omnes debent deponi.

75. Vnde colliges Eccleſiam in hoc caſu non ſolùm illos deponere miniſterialiter, ut quando deponitur Papa certus, & indubitatus, cùm ſit hæreticus, & non vult corrigi; ſed juridicè exercendo directè juriſdictionem in illos. Ratio eſt, quia Papa dubius non eſt Papa, quippe ille, de quo non conſtat, pro nullo habetur. leg. Duo ſunt Titii. 30. ff. de teſtam. tutor. l. in lege 77. ff. de contrahenda empt. l. omnia 32. §. Species. ff. de legat. 2. Sed Eccleſia ſolum non poteſt exercere juriſdictionem in eum, qui eſt Papa: ergo poteſt in Papam dubium illam exercere.

76. Dico Secundò: Papa redditur dubius. Primò: quando fuit intruſus, imò tunc propriè non eſt dubius, ſed ſine ullo dubio eſt nullus, & ideo deponendus de facto, ſicut de facto, & non de jure fuit factus Papa. Secundò quando dubitatur prudenter de Canonica illius electione: tunc autem ſit Canonica electio, quando obſervantur conditiones poſitæ à Concil. Conſtantienſi. canone. 1. & a Gregorio XV. in conſtit. quæ incipit. *Æterni Patris*. De quibus vide Bonac. de legitima electione Summi Pontificis. tota diſputat. 1. tertiò ſi electio fuit facta a Cardinalibus metu cadente in virum conſtantem coactis ad eligendam, certam, & determinatam perſonam. Quarto ſi ſit facta electio ab illis, qui Cardinales non ſunt. cap. licet, de elect. & ex Bull. Greg. XV. citata; imò etiam in his tribus caſibus electio non ſolum eſt dubia, ſed certò irrita, & in his caſibus, non eſt propria depoſitio Papæ, ſed juridica declaratio nunquam fuiſſe Papam.

77. Quæres hîc primò, utrum, ſi Papa deſtruat Eccleſiam, tanquam lupus Gregem, poſſit deponi ab Eccleſia? Duobus modis poteſt hoc figurari. Primò quando deſtruit omnia bona Eccleſiæ, vendit beneficia pecuniâ, & illa dignis perſonis non confert; ſit homicida, & præcipit occidere iniuſtè, & alia hujuſmodi perpetrat ſcelera, legeſque edit iniuſtas, ſine ullo tamen errore in fide, ſed ſolùm ex propria iniquitate, & peſſimis moribus, quæ omnia Deus auerſtat; Secundò, quando præciperet, ne obſervarentur Sacramenta, & ut aliquid fieret contra definitiones de fide tam in Concilijs, quàm extra, ab aliis Pontificibus anteceſſoribus factas. Quo ad actiones primi generis, cum non ab affectu hæretico emanare ſupponantur, ſed à pravis illius moribus, non poteſt deponi, nec judicari, aut puniri ab Eccleſia. Ratio eſt: quia, excepto caſu hæreſis, omnia crimina Summi Pontificis ſoli Dei, & non hominum judicio reſervantur, ut ſupra probatum eſt. Poſſunt tamen fideles illis legibus manifeſtè iniuſtis non obedire: quia nemo tenetur obedire ſuperiori iniuſtè præcipienti, poſſuntque illi etiam armis reſiſtere, quia tunc non Pontifici, ſed invaſori reſiſtitur.

78. Quo ad actiones ſecundi generis, poteſt deponi ab Eccleſia. Ratio eſt, quia ille præceptiones iniquæ contra id, quod de fide eſt in Eccleſia definitum, ſunt ſigna externa ſignificativa interni affectus hæretici: hæreſis enim non ſolum ſignificatur verbis, ſed factis: undè ſi Papa ab his non vult emendari, poteſt declarari, ut hæreticus, & cenſebitur immediatè à Chriſto deponi: & tunc jam ut non Papa, ſed ut perſona privata poteſt ab Eccleſia puniri, ut ſuo loco dictum eſt.

79. Quæres ſecundo, an quando totum

totum Concilium eſſet pro una parte: ſolus autem Pontifex pro parte oppoſita; poſſit tunc Concilium deponere Papam, illumque judicare, & punire, ſi contumax foret? Diſtinguendum eſt. Uel veritas, ſive propoſitio, pro qua ſtat univerſum Concilium, eſt jam definita ut de fide in aliquo Concilio generali legitimo, & approbato a Sede Apoſtolica, vel eſt non dum definita: ſi, primum, jam Papa foret hæreticus, ut pote negans veritatem revelatam, qualis eſt veritas de fide definita; & in hoc caſu juxta modum ſupra aſſignatum poſſet deponi. Si ſecundum, & Papa, non obſtante Concilii contraria ſententia, pro Cathedra definiat oppoſitum; abſolutè ſtandum eſt pro Papa, & non pro Concilio. Ratio eſt: quia ſoli Petro, ejuſq; Succeſſori Romano Pontifici promiſſa eſt infallibilitas in definiendo res fidei, & non Epiſcopis, ex quibus coaleſcit Concilium: nam non dixit Chriſtus: Rogavi pro vobis, ſed, rogavi pro te, Petre. Confir. quia multa Concilia generalia legitimè congregata, & in quibus præſidebant Legati Sedis Apoſtolicę conſenſerunt unanimiter in aliquem errorem, quem poſtea ſolus Pontifex Romanus definiens pro Cathedra condemnavit; ut ſupra vidimus: ergo &c.

80. Contrariam ſententiam tenere videtur Panormitanus Abbas. 2.p. Conciliorum q. 1. Cardinalis apud Eugeniũ mox citandum Monilianus de Conciliis Æcumenicis cap. 33. Eugenius Lombardus. lib. 2. de Regali ſacerdotio. §. 14. n. 6. Sed hi AA. loquuntur, quando Papa, ut doctor privatus ſe opponeret univerſo Concilio; tunc enim prius credendum eſt tot, tantorumque hominum authoritati tanquam cuidam aſſerto probabiliſſimo, quam homini privato erroribus expoſito. Dixi, Aſſerto probabiliſſimo; quia ea, quæ definiuntur etiam à Concilio univerſali, ſi à Papa non ſint confirmata, adhuc non ſunt de fide, ſed magnam habent authoritatem, quandiu à Papa non reprobentur, ſi fortè in re non ſint vera.

SECTIO X.

Quo pacto fieri debeant proceſſus circa Papam certum, ſed hæreticum, & contra Papam dubium, licet non hæreticum.

81. Ex dictis facilè poteſt reſolvi hæc duplex quæſtio. Quoad primam, in qua ſupponimus Papam certum, & indubitatum incidere in aliquam hæreſim exterius manifeſtatam; reſolvitur primò non poſſe Papã ſolemniter citari poteſtate judicativa, & imperio ſuper illum: in quo erravit Conciliabulum Baſileenſe citando Eugenium IV. Papam indubitatum, erigendo tribunal, & ſedem ſupra Sedem Apoſtolicam; quaſi voce diaboli, diceret: ſedebo ſuper ſolium altiſſimi; nam dum Chriſtus Dominus Sedem Apoſtolicam Petri fecit thronum altiſſimum in terris, dicens *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & tibi dabo claves*: item *paſce*, hoc eſt rege oves meas, imò omnes fideles meos, ipſi Baſileenſes auſi ſunt prætendere contra expreſſa Chriſti verba ſupra ſolium ſupremum aliud ſuperius fabricare; cum ſcandalo Eccleſiæ, & cum magna poſtea ipſorum confuſione. Noſtram igitur ſententiam tenent communiter Theologi, & Canoniſtæ, paucis exceptis, qui vel non legunt, vel ſi legunt, intelligere nolunt Sacræ Scripturæ, Canonum, & Conciliorum ſenſum. Probatur ex dictis manifeſtè, quia nullus poteſt ullam exercere juriſdictionem reſpectu alicujus, cujus Judex non eſt; ut nullus negat, nec poteſt negare: aliter omnes poſſent ſe adinvicem judicare, & facere proceſſus, quod abſurdiſſimum eſt. Sed ut ſupra manifeſtè probatum eſt: Papa per hæreſim ipſo facto non deſinit eſſe Papa; ſed Canonico Eccleſiæ interventu opus eſt, & quandiu eſt Papa, humano judicio non ſubiicitur, ut etiam ſupra evidenter eſt demonſtratum: ergo Concilium non poteſt ſolemniter, & authoritate judiciali citare Papam.

82. Dico Secundo: quando Eccleſia

data

data jam publica infamia facti hæreſis Papæ, vult, ut tenetur, examinare ipſum factum, per inquiſitionem teſtium, aliarum probationum, procedit, ut Judex, non perſonæ, ſed delicti, veluti abſtractè ſumpti, & Teſtes interrogati, debent obedire Eccleſiæ, utpote jus ad hanc inquiſitionem habenti. Prima pars conſtat ex dictis in prima concluſione. Secunda pars probatur: quia quilibet Pontifice inferior ſubiicitur juriſdictioni Cõcilii ad reformationem Eccleſiæ, ut definitum eſt in Concilio Conſtantienſi, aliter Eccleſia deſtituta eſſet omni remedio; quod eſt contra Sacram Scripturam, in qua dicitur Chriſtum ſuæ ſemper Eccleſiæ aſtiturum: *ecce ego vobiſcum ſum &c.*& *Portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam*: Si autem illam omni remedio relinqueret deſtitutam; verba Chriſti eſſent fallibilia, deficiente Chriſto, & diabolo prævalente; dicere autem fallibilia eſſe Chriſti verba; eſt aperta hæreſis contra Sacram Scripturam. *Cœlum, & terra tranſibunt; verba autem mea non præteribunt*: ergo neceſſariò debent omnes inferiores Pontifice ſubiici Concilio inquirenti de illo delicto, ut tanto Eccleſiæ malo per illud inquiſitionis remedium occurrat.

83. Dico Tertio: poſtquàm proceſſus de illo facto fuerint effecti, & habitæ de illo probationes legales juxta gravitatem cauſæ; monendus eſt Pontifex tanquam pater à filiis, non tanquam reus à Judice: quòd ſi ipſe retractet hæreſim, non eſt ulterius procedendum; ſed ille ut eorum ſuperior, & Patrer reverenter habendus, de quo vide ſup. ſect. 2.

84. Secunda quæſtio eſt facilis: nam cùm Papa dubius non ſit Papa, ut ſupra probatum eſt, eo ipſo juriſdictioni Concilii ſubiicitur, quod quidem eſt jam de fide definitum in Concilio Conſtantienſi juxtà ea, quæ diximus in prima diſcept. Unde poteſt Concilium, illum Papam dubium ſolemniter citare, & in illum juriſdictionem exercere, punire, & in carcerem coniicere, ſi fortè mandatis Concilii non obediat. Ita omnes Theologi & Canoniſtæ in dict. cap. ſi Papa. Suauiùs tamen aget Concilium, ſi procuret, ut Papa ille dubius voluntariè cuicunque ſuo ad Pontificatum juri ex abundanti renuntiet, ut in Concilio Conſtantienſi duo Papæ dubii effecerunt, ſcilicet Joannes dictus. 23. & Gregorius XII. ſic nuncupatus, quamuis tertius Antipapa Petrus de Luna renuntiare noluerit, & ideo fuit à Concilio proſcriptus.

85. Ex his patet, quomodo proceſſus tam in caſu Papæ certi facti hæretici fieri debeant, quàm in caſu Papæ dubii. Utrũ verò, quando Papa eſt dubius, & alioqui hæreticus poſſit non ſolum deponi ab Eccleſia, ut jam probatum eſt, ſed etiam puniri propter illud delictum? Reſolutio affirmativa ex dictis conſtare poteſt. Ratio eſt: quia Eccleſia poteſt punire, excommunicare, & aliis pœnis Eccleſiaſticis innodare omnes fideles in hæreſim incidentes, qui Summi Pontifices non ſint; ſed Papa dubius non eſt Papa, ut ſupra probatum eſt: ergo non obſtante, quod corrigatur, emendetur, & abjuret, poteſt nihilominus puniri, quamvis habito reſpectu ad illam dignitatem ſupremam, licet dubiam, mitius ſit tractandus, quàm ſi foret aliqua perſona privata, illa dignitate etiam dubiâ carens.

86. Et hæc eſt differentia inter Papam certum, ſi fiat hæreticus, & inter Papam dubium, qui etiam ſit hæreticus; quia primus ſi emendet hæreſim, & corrigatur, Eccleſia non illum poteſt punire pro errore præterito, jam retractato; ſecundus verò cum verè ſit ſubditus, etiam retractato errore, puniri poteſt à Concilio ad arbitrium, quamvis, ut dictum eſt, ſemper mitiùs, quàm cæteri hæretici, habito reſpectu ad præteritam dignitatem, quamuis dubiam.

SECTIO XI.

Quid dicendum, quando Papa renunciet Pontificatui?

87. TRes queſtiones poſſunt hîc excitari. Prima, an Pontifex poſſit renunciare Summo Pontificatui? Secunda, an facta renuntiatione ab

Eccleſia non acceptata, Eccleſia cenſeatur adhuc non vacans, ſeu non vidua? Tertia, an Pontificem, qui renuntiauit, & renuntiatio fuit jam acceptata ab Eccleſia, poſſit pœnitere, imò an hic poſſit revocare renunciationem, ita ut facta ea revocatione, electio novi Pontificis reddatur nulla, vel ſaltem dubia?

88. Quo ad primam quæſtionem, dico primo: de fide eſt poſſe Pontificem renunciare. Ita eſt definitum in cap. 1. de Renunciat. in 6. & ita ſupponitur in Concil. Conſtantienſi. ſeſſ. 2. & 6. Probaturque exemplo Gregorii VI. & Cœleſtini V. quorum alter pacis, alter pietatis causâ Papatui renunciarunt. Nec de hoc eſt ulla ratio dubitandi; aliter Succeſſores iſtorum Pontificũ non extitiſſent legitimi, quod juxtà communem ſententiam repugnat fidei, cùm ſit de fide hunc numero Papam nunc exiſtentem eſſe verum Papam, ut probavi in materia de fide ſect. de Summo Pontifice, & idem dicendum ſit, de illis Pontificibus poſt renunciationem electis, qui ſemper ab Eccleſia pro legitimis habiti ſunt.

89. Gravior eſt difficultas, an ad id ſit neceſſarius conſenſus Eccleſiæ? Certa eſt negativa reſponſio. Ita Canoniſtæ omnes in cap. 1. de Renunciat. in 6. & cum communi Theolog. Eugen. cit. nu. 3. Probatur primò; quia ſicut ſine conſenſu Eccleſiæ poteſt non acceptare, ita ſine conſenſu Eccleſiæ poteſt Pontificatum dimittere. Secundò: quia quando Pontifex acceptat Pontificatum, non id facit per modum contractus indiſſolubilis, ſed per modum accipientis ſceptrum ſuper Regnum univerſale Chriſti, ut illud gubernet, non verò, ut ſemper ſceptrum retineat: ergo ſicut Imperator, qui accipit per ſuffragia electorum ſceptrum imperii, poteſt illud dimittere, non ſpectato populi conſenſu, ita Supremus Imperator Eccleſiæ poteſt ſceptrum Eccleſiaſticum dimittere, non ſpectato Eccleſiæ conſenſu. Tertiò: quia ex nullo jure conſtat requiri ad validam renunciationem eum Eccleſiæ conſenſum: non humano, quia nulla eſt lex poſitiva humana, quæ talem conſenſum præſcribat, non divino poſitivo ſcripto, quia nullus eſt textus Sacræ Scripturæ, ex quo talis conſenſus requiratur, nec ullo jure divino tradito, quia nulla de hoc extat traditio à tempore Apoſtolorum, non interpretatiuo, quia nulla eſt de hoc in aliquo Concilio definitio, vel Pontificum definitiuum decretum ſacram ullam de hac re Scripturam interpretans. Non denique divino naturali; quia non eſt contra jus naturale, quod aliquis amore virtutis, ac pietatis omnia bona ſua, & dignitates liberè dimittat, imo unuſquiſque naturale jus habet, ut non cogatur dignitates ſuſcipere, aut retinere: ergo neceſſariò dicendum eſt poſſe Pontificem liberè, non expectato Eccleſiæ conſenſu, Papatui renunciare.

90. Dices. Poteſt aliquando renunciatio eſſe damnoſa ipſi Eccleſiæ, quia poteſt evenire, hunc eſſe unicum habilem, reliquos verò, qui ſuccedere poſſent, prorſus eſſe inhabiles: ergo ſaltem in hoc caſu, non poſſet renunciare. Reſp. admiſſo hoc caſu moraliter impoſſibili, cùm impoſſibile ſit moraliter in tota Eccleſia Dei unum tantum eſſe habilem, reliquos verò prorſus inhabiles, argumentum ſolum probare renunciationem tunc fore illicitam, contrà charitatem, non tamen irritam: multa enim fiunt illicitè, quæ tamen facta tenent.

91. Ex quo facile reſolvitur ſecunda quæſtio; dicendum enim eſt, facta renunciatione per Pontificem, etiam Eccleſia repugnante, Sedem Apoſtolicam vacare. Ita omnes Canoniſtæ, & Theologi ſupra citati: probatur, quia per renunciationem validam, vacat Sedes; ut docet fides; ſed renunciatio liberè facta à Pontifice, etiam repugnante Eccleſia, valida eſt, ut ſupra manet probatum: ergo facta ea libera renunciatione, etiam repugnante Eccleſia, Sedes Apoſtolica vacat; Eccleſiaque remanens vidua, poteſt alteri ſponſo copulari.

92. Quo ad tertiam quæſtionem de revocatione renunciationis: ut hoc benè calleas, adverte primò variis modis poſſe fieri à Pontifice renunciationem Pontificatûs. Primò coactè per metum cadentis in virum conſtantem, ut ſi vel

popu-

populus, vel aliqui potentiſſimi minentur illi mortem, aut aliquid ſimile, niſi renunciet: ſecundò per metum levem, imò non cadentem in virum conſtantem; v. g. ſi minentur aliquod damnum leve, niſi renunciet. Tertiò per metum juſtè incuſſum. Adverte ſecundò renunciationem poſſe fieri conditionatè, v. g. ſi Eccleſia conſentiat: vel in favorem alicujus Imperatoris, vel potentiſſimi Regis; ſi ipſe donet aliquem ſtatum temporalem alicui conſanguineo ipſius renunciantis. Vel tandem poſſe fieri abſolutè, & liberè, ſine aliquo metu, aut reſpectu. Adverte tertiò revocationem renunciationis vel poſſe fieri ante aliam novi Pontificis electionem, vel poſt illam jam factam. His ergo animadverſis.

93. Dico primò. Si renunciatio Pontificatus fuit coacta per metum viri cōſtantis, poteſt revocari tam ante, quàm poſt electionem novi electi. Ita omnes Canoniſtæ, & Theologi: probatur utraque pars: quia actus ſaltem reſignatiuus, & a fortiori in Summo Pontificatu factus per metum cadentem in virum cōſtantem, eſt ipſo jure nullus, ut probant text. apud gloſſ. in cap. 2. de his, quæ vi. v. *coactus*. Sed illa renunciatio, ut ſupponitur, fuit facta per metum cadentem in virum conſtantem: ergo fuit ipſo jure nulla: ergo ipſa ſecunda electio fuit etiam nulla; ſi quidem fuit facta, ſede non vacante, cum non vacet per renunciationem nullam: quod enim nullum eſt, nullos parit effectus, per textus in l. 4. §. *condemnatus*. ff. de re judicata l. *Non putavit* §. *Non quævis* ff. de bonor. poſſeſ. cap. *quod nullum*. cap. *Non præſtat*, de reg. jur. in 6. Unde talis renunciatio poterit revocari, ſeu potius declarari, fuiſſe nullam; idque tam ante, quàm poſt novam electionem, utpote nullam.

94. Dico ſecundò. Si renunciatio fuit facta per metum levem, non poteſt revocari: & conſequenter ſecunda electio ex hoc principio non evadit nulla. Ita Canoniſtæ omnes. Probatur, quia actus factus ex metu ſolum levi non redditur nullus, ut clamant univerſa jura leg. vani. ff. de Regul. juris, & toto titulo. ff. de eo, quod metus cauſa. Sed illa renunciatio fuit facta ex metu tantummodo levi, ut ſupponitur: ergo fuit valida, vacavitque Sedes, & conſequenter non poterit revocari juxtà Reg. Quod ſemel. de Reg. jur. in 6. & quod inde ſequitur, ſecunda electio ex hoc principio non fuit nulla.

95. Dico tertiò. Si renunciatio fuit facta per metum juſtè illatum, non poteſt revocari; & conſequenter electio poſt facta novi Pontificis fuit valida. Hęc renunciatio per metum juſtè, vix poterit dari niſi in caſu Papæ dubii: quia in Papam certum, quandiu manet Papa, non poteſt Eccleſia coactivè exercere ullam juriſdictionem, ut ſupra manet excuſſum, & probatum. Concluſio hęc tertia probatur clarè ex Concilio Conſtantienſi, quod coegit juridicè Joannem 23. renunciare qualicuique juri ad Papatum per metum verè juſtum; cum ipſe ad talem renunciationem præſtandam tenebatur. Si igitur fuit talis renunciatio valida, non potuit poſtea revocari; per d. Reg. *quod ſemel placuit*: idque ſive revocatio fuerit facta ante, ſive poſt electionem, quia ſemel facta renunciatione, Eccleſia vacat, & vidua manet; & per illam irritam quidem revocationem non maritatur niſi per legitimam electionem novi Sponſi.

96. Reſtat ultima difficultas. Quando Papa conditionatè tantùm renunciavit; dicendum enim eſt, ſi conditio fuit impleta, renunciatio tenet, & conſequenter, jam revocari non poteſt ſive antea, ſive poſt novam electionem novi Pontificis. Ratio eſt; quia actus conditionatus purificata conditione tranſit in abſolutum, ut docet jus. Si autem non dum eſt impleta conditio, poterit revocare talem renunciationem; ſi quidem actus conditionatus, quandiu non eſt purificata conditio, non habet effectum: ergo facta illa revocatione, ſeu retractatione prioris actus; Eccleſia non vacat, proindeque, ſi ea facta revocatione, procedatur ad novam electionem Pontificis, talis electio erit nulla; ut pote facta, Eccleſia non vacante.

97. Nec obſtat, quod poſt factam illam revocationem, impleatur conditio,

quia illa adimpletio, cum non jam inveniat actum priorem conditionatum, utpotè revocatum, non ſortitur effectum; quidquid ſit, quod revocans actum illum conditionatum, peccet contra promiſſa; nam ejus peccatum non revalidat actum conditionatum jam revocatum, & conſequenter ſequens electio non tenet.

98. Ex hac per integras octo diſceptationes diviſa doctrinâ manifeſtè patet Concilium ſupra Pontificem Maximum Verum, Catholicum, ac Indubitatum nullam jurisdictionem, auctoritatemve habere: nam ſi eſt hæreticus notorius, & manifeſtè in Eccleſiam contumax, jam Pontifex non eſt, ut pote à Chriſto principaliter, & ab Eccleſia, ut ſic dicam, miniſterialiter depoſitus, jamque privata perſona remanet. Si eſt dubjus videlicet, quia de pluribus, uter ſit verus, dubitatur, ſimiliter Pontifex non eſt; ſi verus erat, vel etiam dubius, & renunciavit, eo ipſo Papa eſſe deſiit: Ergo nunquam verum erit dicere Concilium ſupra Papam, ut verum Papam, ullam poteſtatem, juriſdictionemvè obtinere.

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

A

ABulenſis doctrina contra præcellentiam Pontificis Romani ſupra Concilium reiicitur. *Diſceptatio.4. num.2. pag.*106.

Abulenſis contra noſtram veram ſeotentiam vanè, & inutiliter adducitur a Dupino. *D.7. n.*117.

Abanienſis Epiſcopus, qui floruit circa anoum 840. pro noſtra vera ſententia ſtat. *n.*149.

S. Ambroſius pro vera noſtra ſententia ſtat. *D.* 4. *n.*71. *p.*228.

S. Ambroſius definitioni Pontificis extra Concilium factæ acquievit. *D.*6. *u.*64. *p.*185.

Abiatar Pontifex Maximus an fuerit depoſitus à Salomone? *D.*3. *n.*128. *p.*85.

Academiarum teſtimonia contra infallibilitatem Romani Pontificis falſo, & vanè à Dupioo producuntur. *D.7.n.*96. *& ſeqq. p.*272.

Adriaous VI. an iofallibilitati Romani Pontificis adverſetur *n.*79. *p.*265.

Adriani authoritas oil prævalet Sacræ Scripturæ, Caoonibus, & Sanctis Patribus. *n.*80. *ibid.*

Adrianus quando erat privatus doctor Lovanienſis in ea doctrina erraſſe oſtenditor. *n.*81. *p.*266.

Adrianus quando erat doctor privatus nequit allegari, ut Papa. *ibid.*

Adriani Papæ Epiſtola ad 6. Synodum non nocet infallibilitati Papæ. *n.*85. *p.*267.

Agathonis Epiſtola ad Conſtantinum. *D.* 6. *n.* 75. *p.*180.

Alexander Papa Evariſti ſucceſſor ab anno. 119. *n.* 36. *p.*176.

Allucinatio hæreticorum aſſereotium infallibilitatem ſoli Petro fuiſſe datam, & non ejus ſucceſſoribus. *n.*22. *p.*170.

Angelos non fuiſſe creatos ab æteroo eſt de fide. *n.* 199. *p.*230.

Angeli an creati fuerint ſimul cum mundo corporeo? *ibid.*

Angelos fuiſſe creatos ante mundom non eſt hæreticum. *n.*201. *ibid.*

Anaſtaſius falsò adducitur à Dupino contra infallibilitatem Romani Pontificis in definiendo res fidei. *D.7. n.*98. *p.*273.

Appellare ad Syoodum à Papa eſſe contra fidem docet S. Antoninus, Florentiæ Archiepiſcopus. *D.*1. *n.*95. *p.*28.

Appellari ad Synodum à Papa abſurdum eſſe docet Dualius. *ibid.*

Appellatio ſemper eſt ab inferiori ad ſuperiorem. *n.*191. *p.*27. *&* *n.* 92. *ibid.*

Appellationes à Papa ad Syoodum iniquæ ſuut. *n.* *n.*119. *p.*36.

Appellatio, quando res dilationem non patitur, an ſit juſta? *n.*121. *p.*37.

Appellatio in jure expreſsè prohibita nulla eſt. *D.* 1. *n.*123. *ibid.*

Appellatio ad futurum Conciliom prohibita eſt à Calixto III. à Pio II. à Sixto IV. *n.*123. *ibid.*

Appellare ad futurum Coocilium eſt velle, ut delicta maneant impuoita. *n.*125. *p.*38.

Appellantes ad futurum Concilium, qui appellationem revocarunt. *ibid.*

Apoſtoli quas conditiones habuerunt ad Apoſtolatum? *D.*2. *n.*147. *p.*91.

Apoſtoli quam juriſdictionem habuerunt? *ibid.*

Apoſtoli qoot modis dicuntur fundamenta Eccleſiæ? *n.*159. *p.*96.

Apoſtoli ſemper in Petro primatum recoguoverunt *n.*183. *p.*104.

Aueoiqne ſederunt ultra. 70. annos varii Pontifices Romani, videlicet Clemens V. Joannes XXI. Benedictus X. aliàs XII. Clemens VI. Urbaous V. Greg. XI. *D.*5. *n.*22. *p.*141.

S. Aoguſtinus an faveat Concilii aothoritati ſupra Papam? *D.*4. *n.*14. *p.*110.

S. Auguſtini mens explicatur in favorem Pontificiæ Authoritatis. *ibid.*

S. Auguſtious quopacto vocet generale Concilium Arelatenſe? *n.*64. *p.*124.

S. Auguſtinus infallibilitatem Papæ etiam extra Concilium commendat. *D.*6. *n.*65. *p.*186.

S. Auguſtinus reprobat appellantes ad futurum Concilium. *n.*142. *p.*211.

S. Avitus Vienenſis Epiſcopus pro noſtra vera ſententia ſtat. *D.7. n.*145. *p.*289.

Authoritas Pontificis major, quàm Concilii ex bulla Martini V. relucet. *D.*5. *n.*64. *p.*160.

Authoritas infallibilis Romanæ Sedis ex Sacra Scriptura demonſtratur. *D.*6. *n.*23. *p.*170.

Authoritas infallibilis Papæ in definiendo etiam extra Concilium probatur ex traditione Apoſtolorum. *n.*32. *p.*174.

Authoritas ejuſmodi an ſit definita in Conciliis generalibus? *n.*45. *& ſeqq. p.* 179.

Authoritatem Pontificis infallibilem in definiendo PP. V. ſæculi tueutur. *n.*70. *p.*187.

Authoritas ejuſmodi definita eſt in pluribus Conciliis particularibus à Sede Apoſtolica approbatis. *n.*164. *& ſeqq. D.7. p.*294.

Digitized by Google

B

BAil doctor Pariſienſis meliùs quàm Maymburgus Synodum Arelatenſem intellexit. D. 4. n.66. p.125.
Bartholomæus Neapolitanus non Cardinalis electus Papa poſt Gregorium, dictus Urbanus VI. D.5. n.2. p.131.
Baſileenſis Concilii Patres malè citarunt Concilium Conſtantienſe; & cum duplici errore imprimi juſſerunt. D.5. n.26. p.143.
Baſileenſes Patres Canonum ſenſum non bene capientes. D.2. n.3. p.42.
Baſileenſes arte, doloque falſas clauſulas ad ſuum intentum facientes Concilio Conſtantienſi addidiſſe refertur. D.5. n.28. p.144.
Baſileenſis Conciliabuli errores referuntur. D.7. n.92. p.270.
Baſileenſe Conciliabolum ab Eugenio IV. reprobatum. n.91. ibid.
Baſileenſe conciliabulum falsò dicitur à Dupino, fuiſſe approbatum à Nicolao V. Eugenii IV. ſucceſſore. n.93. p.271.
Bajus errores ſuos abjuravit. D.6. n.141. p.211.
Blaſtus à Tertulliano reprehenditur de Judaiſmo. D. 1. n.86. p.25.
S. Bernardus liberatur ab impoſito ipſi errore circa beatitudinem animarum; quod non videant Deum ante diem Judicii. D.6. n.118. p.205.
S. Bernardus additus comes Legato Pontificis miraculis reducit hæreticos. n.95. p.197.
Bonifacii conſtitutio an cum bulla Clementis pugnet? D.7. n.73. p.273.
S. Bonifacius dictus Germaniæ Apoſtolus anno. 757. Martyrium paſſus noſtram veram ſententiam de infallibilitate Papæ tuetur. n. 146. p. 289.
Bordigalenſis Archiepiſcopus ope Regis Galliæ electus Papa dictus Clemens V. D.5. n.22. p.141.

C

CÆcilianus depoſitus à Concilio Africano à Romano Pontifice reſtitutus fuit. D.4. n.63. p.123.
Cæcilianus in Concilio Arelatenſi ſedit ut judex. n.64. p.124.
Cæleſtinus Pontifex Romanus Cyrillum Alexandrinum ſuum facit Vicarium ad judicandam cauſam Neſtorii. D.1. n.89. p.26.
Cæſarii hiſtoria circa Innocentium III. falſa. D.6. n.210. p.233.
Capitulum. Primæ Sedis diſt. 99. ex Concilio Africano deductum explicatur in vero ſenſu. D. 2. n.5. p.43.
Chriſtus in univerſali Eccleſia Sacerdos n.2. p.41.
Chriſtus caput inviſibile totius Eccleſiæ, Papa verò caput viſibile. n.14. p.46.
Chriſtus Dominus Petrum univerſalem Chriſtianorum Paſtorem conſtituit. D.6. n.23. p.170.
Claves quo pacto fuerint Petro promiſſæ. D. 3. n. 65. p.66.
Claves quo pacto maneant in Eccleſia, mortuo Pontifice Romano? n.66. ibid.
Calvini effrænatâ licentia reprehenditur. D. 1. n. 88. p.26.
Calvini Sophiſmata diluuntur. D.3. n. 78. & ſeqq. p.70.
Calvini impudens calumnia contra Zozymum Papam. n.80. p.71.
Calvini falſitates contra Pontifices Romanos. n.81. p. . . . ibid.
Calvini fragile argumentum, quod ipſe putat inſolubile, contra Papam. n.87. p.73.
Calvini impudentia præferendo Aurelium excommunicatum Sanctiſſimis Patribus. n.94. p.75.
Calvinus authoritate D. Gregorii ad ſuum prauum ſenſum abutitur. n.95. p.76.
Calvinus teſtimonia D. Gregorii non intellexit. n. 99. p.77.
Calvinus perperam intellexit claves Petri pro ſola prædicatione Euangelii. n.103. p.78.
Calvini ſtulta cogitatio de primatu Petri reſtricto ad ſolos Apoſtolos. n.108. p.79.
Calvini deliramentum circa claves Eccleſiæ traditas Petro. n.117. p.82.
Canones Concilii Sardicenſis ab Eccleſia recepti. n.89. p.74.
Canones multi, qui à Patribus tribuuntur Concilio Nicæno apud ipſum Concilium nunc exiſtens non reperiuntur. n.90. ibid.
Carolo Magno Imperatori ab Adriano Papa conceſſum privilegium confirmandi electionem Pontificis Romani quo modo intelligatur? n. 130. p.85.
S. Clemens I. an renunciaverit Pontificatui? D.2. n.10. p.45.
Clemens IV. male adducitur à Dupino contra infallibilitatem Papæ. D.7. n.86. p.268.
Clemens dictus VII. confugit ad Gallos, & Avenione ſedit uſque ad annum Nativitatis Domini 1394. D.5. n.2. p.131.
Clemente mortuo, electus fuit Petrus Luna dictus Benedictus XIII. ibid.
Concilium eſſe Papâ inferius probatur ex Jure Canonico. D.1. n.4. p.1.
Concilium etiam univerſale eſt Papæ ſubiectum. n.2. ibid.
Concilium ſubiici Papæ arguitur ex multis textibus juris Canonici. n.4. & ſeqq. p.2.
Concilium nullum robur habet, niſi à Pontifice Romano ſit approbatum. n. 32. p.10. & 131. p. 40.
Concilium generale convocare ſpectat ad Pontificem Romanum. n.33. p.11.
Concilii Baſileenſis Patres verba Canonis mutarunt. n.36. ibid.
Concilium Sardicenſe habitum ut legitimum, & univerſale. n.92. p.27.

Con-

Concilio Sardicenſi præfuere legati Romani Pontificis. *n*.92. *ibid.*

Concilium Conſtantienſe cur in omnibus editionibus Claoſulas habet, quæ videntur favere majori authoritati Concilii? *D*.5. *p*. 144.

Concilium Sardicenſe legitimum agnoſcunt Centoriatores. *ibid.*

Concilium eſſe inferius Papâ docet S. Auguſtinus Triumphus. *n*.95. *p*.28.

A Concilio generali poſſe Pontificem Romanum extra caſum hæreſis deponi in nullo Concilio Generali habetur. *n*.98. *p*.29.

Concilinm Piſanum ad deponendos Pontifices dubios coactum. *n*.103. *p*.31.

Concilium etiam univerſale, ſi à Papa non ſit confirmatum, errare poteſt, & de facto erravit. *n*.127. *p*.39.

Concilii Calcedonenſis clauſula favens errori Eutychetis ſuit correcta à Sede Apoſtolica. *ibid.* *p*. 39.

Concilium Baſileenſe in principlo legitimom, poſtea Conciliabulum. *D*.2. *p*.41.

Concili Africani Patres quo pacto negabant Pontifici Romano nomen univerſalis Epiſcopi. *n*.5. *p*. 43.

Concilii etiam Generalis minor eſt, quàm Papæ, authoritas. *n*.9. *p*.45.

Concilinm Conſtantienſe an definierit authoritatem Concilii ſupra Papam? *n*.23. *p*.50.

Concilii Conſtantienſis definitio ſolum comprehendit Papam dubium. *n*.24. *p*.51.

Concilii Conſtantienſis Patres Martini V. definitioni definientis Papam eſſe ſupra Concilium non obſtitere. *n*. 24. *ibid.*

Concilium diſſolvere, vel in alium locum tranſferre poteſt Pontifex Romanos ex juſta cauſa. *n*. 27. *p*.52.

Concilium à Papa diſſolvi, aut aliò transferri ſine juſta cauſa poteſt validè, ſed illicitè. *ibid.*

Concilii diſſolvendi, vel alio transferendi cauſæ juſtæ quæ nam ſint? *ibid.*

Concilio univerſali an ſit collata à Deo juriſdictio in omnes fideles? *n*.29. *ibid.*

Concilia etiam legitima, & univerſalia, ut robur habeant, poſtulant à Romano Pontifice confirmationem. *n*.33. *p*.54.

Concilii Generalis juriſdictio duobus modis habita. *n*.35. *ibid.*

Concilii Generalis coacti ad deponendom Papam dubium ceſſat per nouum Pontificem certò electum. *ibid.*

Concilii Generalis determinationes futuro Pontifici ſubordinantur mox eligendo; & hoc modo tantum fiunt in caſu ſchiſmatis, quando certus Papa non datur. *n*.35. *p*.55.

Concilii Generalis juriſdictio Conciliaris quænam dicatur. *n*.36. *ibid.*

Concilium Generale nequit erarre, ſi ſit unitum ſuo capiti Pontifici Romano. *D*. 2. *num*. 42. *p*.57.

Concilii Cartaginenſis an ſextæ Synodo adverſetor? *n*.52. *p*.61.

Concilium Florentinum definit Pontificem Romanum eſſe caput totius Eccleſiæ. *D*. 4. *n*. 38. *p*. 115.

Concilium Piſanum authoritati Romani Pontificis indubitati non nocet. *D*.5. *n*.2. *p*.131.

Concilium Piſanum convocatum ad tollendum Schiſma inter Gregorium XII., & Benedictum XIII. *D*.5. *n*.2. *ibid.*

Concilio Piſano Gregorios, & Benedictus noluerunt adeſſe. *ibid.* *p*.132.

Concilium Piſanum depoſuit Gregorium, & Benedictum, & electus foit Alexander V. cui demortuo ſucceſſit Joannes XXIII. *ibid.*

Concilium Piſanum incertum, ac dubium de ſua legitimitate. *n*.4. *p*. *ibid.*

Poſt Concilium Piſanum non ceſſavit ſchiſma, ſed crevit. *ibid.*

Poſt Concilium Piſanum adhuc viri pii, & Religioſi adhæſerunt ſine peccato obedientiis contrariis; quod non eſſet, ſi Concilium fuiſſet legitimum. *ibid.* *p*.133.

Concilium Conſtantienſe poſt quam peractnm, & electos Martinus V. ceſſavit Schiſma de jure; quanvis non ceſſaverit de facto. *n*.5. *p*.133.

Concilium Piſanum etiam poſtquam fuit peractom, nec de jure, nec de facto ceſſavit Schiſma. *ibid.*

Concilium Conſtantienſe non reprobavit obedientias contrarias etiam poſt perractum Concilium Piſanum. *n*.7. *p*.134.

Concilium Univerſale non eſt legitimum ſi non fuit indictum à Pontifice Romano, niſi in caſu notoriæ hæreſis Pontificis nolentis Concilium indicere. *n*.9. *p*. 136.

Concilium ſi Papa notoriè hæreticus nolit indicere, debent Epiſcopi concorditer convocari. *n*. 9. *ibid.*

Concilium Piſanum aſſignat cauſas deponendi Pontifices. *n*.14. *p*.138.

Concilium Piſanum etiam dato, qood fuerit legitimum, non nocet majori Pontificis, quàm Concilii, authoritati, ſi Papa eſt indubitatus. *n*. 19. *p*. 140.

Concilium Conſtantienſe potius jugulat Adverſarios. *D*.5. *n*.20. *ibid.*

Concilii Conſtantienſis ualde notanda. *n*.20. & *ſeq.* *p*.141.

Concilium Conſtantienſe nihil nocet authoritati Pontificis indobitati. *n*.27. & *ſeqq.* *p*.143.

Conciliom Conſtantienſe cur in ferè omnibus exemplaribus editis à tempore Concilii Baſileenſis videatur Baſileenſibus favere? vide cauſas. *n*.27.

Concilii Conſtantienſis prima editio quo tempore fuerit facta? *n*.28. *ibid.*

Concilium Conſtantienſe cum ſola Obedientia Joannis XXIII. adhuc non erat univerſale, niſi lato modo, qoatenus incipiebat eſſe univerſale. *n*.38. & *ſeqq.* *p*.150.

Don-

Concilii Conſtantienſis qualis fuerit mens in 4. & 5. Seſſione? *n.*57.*p.*58
Concilia quot modis approbantur? *n.*59.*p.*158.
Conciliorum convocatio ad multa perutilis. *D.* 7. *n.*11.*p.*130.
Concilia etiã generalia, & quidquid in eis diſponitur,ſi non confirmantur à Romano Pontifice,nihil roboris habent. *n.*9. *&* 36.*p.* 230. *& p.*247.
Concilii Turonenſis Patres anno 570. ſtant pro noſtra vera ſententia. *n.*145.*p.*289.
Concilii Turonenſis Patrum anno 849. illuſtre pro noſtra ſententia teſtimonium. *n.*151.*p.*290.
Concilium Univerſale ad deponendum Papam hæreticum poteſt intimari à Cardinalibus, vel per concordiam Epiſcoporum. *D.*8.*n.*32.*p.*306.
Corolarium probationum, quibus major Pontificis, quam Concilii, authoritas comprobatur. *D.*1.*n.*105. *&* 106.*p.*31.
Conditiones ad Apoſtolatum quænam ſint? *D.* 3. *n.*147.*p.*91.
Cyprianus an infallibilitati Summi Pontificis in definiendo res fidei, adverſus eſſe videatur? *D.*6. *n.*169.*p.*221.
Cypriano aliàs viro ſapientiſſimo infallibilis Pontificis Romani in definiendo res fidei poteſtas non apparebat adeo clara. *n.*171.*p.*221.
Cyprianum mutaſſe ſuam Sententiam rebus poſtea maturius conſideratis teſtatur D. Auguſtinus. *n.*170. *ibid.*
Cyrillus Alexandrinus Supremam Papæ ſupra Concilium auctoritatẽ indicat. *D.* 1. *n.*43.*p.*14.

D

S. DAmaſus approbavit Concilium Conſtantinop. I. *D.*7. *n.*12.*p.*237.
S. Damaſus non præſuit nec per ſe, nec per legatos illi Concilio, & cur? *ibid.*
Decreta Conciliorum, & Pontificum an variari poſſint. *D.*2. *n.*18.*p.*48.
Definitio facta à Concilio Conſtantienſi non obſtat præcellentiæ Romani Pontificis indubitati ſupra Concilia etiam univerſalia. *n.*37.*p.*55.
Definitio pro Cathedra qualis ſit? *D.*6. *n.* 1. *& ſeqq.*
Definire pro Cathedra quid propriè ſit? *n.* 155. *p.* 164.
Pro Definitione infallibili Romani Pontificis ex Chathedra ſtant unanimiter Sancti Patres ex *n.* 4. *p.*165.
Definitionem infallibilem Romani Pontificis ex Cathedra colligi ex Sacris Scripturis docent Sancti Patres ex. *n.*4. uſq. ad 20. *p.* 165. *& ſeq.*
Definitioni Pontificiæ obiecta frivola Adverſariorum. *n.*14. *& ſeqq. p.*167.
Definitiones factæ à Pontificibus Romanis extra Concilium à primo Sæculo uſque ad quintum ex. *n.*53.*p.*182. *& ſeqq.*
Definitiones ejuſmodi à 5. ſequentibus Sæculis.ex. *n.*72.*p.*188. *& ſeqq.*
Definitiones ejuſmodi à 11.12.13. Sæculo.ex.*n.*88. *p.*194. *& ſeqq.*
Definitiones ejuſmodi à 14. & 15. Sæculo. ex. *n.* 104.*p.*200. *& ſeqq.*
Definitiones ejuſmodi à 16. & 17. Sæculo. ex. *n.* 132.*p.*208. *& ſeqq.*
Definitiones Pontificiæ malè intellectæ à Dupino. *n.*69. *D.*7.*p.*262.
Definitiones illas non repugnare inter ſe oſtenditur. *ibid.*
Definitionem unius Pontificis poteſt alter Pontifex ſuccedens interpretari, ſed non mutare. *n.* 72. *p.*263.
Definitam pœnam poteſt alter Pontifex mutare. *ibid.*
Definitiones ſemper intelligendæ ſunt, ut ſonant. *ibid.*
Definitiones quando videntur inter ſe pugnare, debent bono ſenſu explicari. *ibid.*
Definita de fide ab uno Concilio, vel ab uno Pontifice non poſſunt ab alio Concilio, vel ab altero Pontifice mutari, poſſunt tamen explicari. *n.* 88. *p.*268.
Depoſitio quotuplex ſit. *D.*8. *n.*16.*p.*301.
Deponi poteſt Papa hæreticus. *n.*17.*p.*302.
Circa Depoſitionem hæretici variæ Doctorum ſententiæ. *n.*18. *ibid.*
Deponi à Chriſto immediate Pontificem hæreticum verius eſt. *n.*20.*p.*303.
Non deponi ipſo facto per hæreſim probabilius eſt. *ibid.*
Deponendi Pontificem hæreticum formam poteſt Papa deſignare. *n.*30.*p.*305.
Depoſitionis formam adhuc Pontifices non deſignarunt. *ibid.*
Depoſitionis ſententia ſpectat ad Concilium Generale. *ibid.*
Deponi nequit à Cardinalibus Pontifex hæreticus. *n.*30.*p.*306.
Deponendus an ſit Pontifex externè hæreticus retenta fide interius? *n.*64.*p.*316.
Depoſitio qualis requiratur, ut Eccleſia cenſeatur vidua? *n.*67.*p.*317.
Doctores, qui 13. Sæculo floruerunt. *n.* 103. *D.*6. *p.*200.
Doctores Galli, qui Sæculo 12. floruerunt. *n.* 97. *p.*198.
Doctores, qui Sæculo 14. floruere. *n.*124. *p.*206.
S. Dominicus, & S. Franciſcus Concilio Generali 12. & Lateranenſi IV. interfuere. *n.*98.*p.*198.
Dualii Doctoris Sorbonici pro noſtra vera ſententia illuſtre teſtimonium. *D.*7. *n.*168.*p.*296.
Dupini ineptię contra pręeminentiam Summi Pontificis. *D.*4. *n.*1. *& ſeqq. p.*205.
Dupin nihil colligit ex Conciliis, & Patribus contra præcellentiam Papæ. *n.*9. *& ſeqq.p.*209.
Dupini error circa mentem D.Auguſtini circa præſtantiam Pontificis. *n.*14. *p.*111.
Dupin falſo aſſerit Pontificem Romanum teneri legibus Conciliorum. *n.*15.*ibid.*
Dupin perperam pro ſe citat Summos Pontifices. *n.*16.

Digitized by Google

n.16.& ſeqq.p.112.
Dupin ex Lavonio definitionem Concilii Florentini ſibi nocentis mutavit. n.37.p.115.
Dupin falsò pro ſe citat Authores, cum ipſi oppoſitum dicant. n.40.p.116.
Dupin abs re allegat Concilia, & exempla, quæ nihil probant. n.42.p.117.
Dupin extra rem affert caſum Honorii, & Simmachi. n.44.& 45. ibid.
Dupini audacia, & temeritas reprehenditur. n.46. p.118.
Dupini frivola probatio, videlicet ex iniquo facto æquitas juris. n.47.ibid.
Dupin citat infeliciter illud Concilium, quod potius illi nocet. n.53.p.120.
Dupin vanè adducit Concilium Lateranenſe contra Paſchalem. n.54. ibid.
Dupini conſequentiæ futiles. n.55. ibid.
Dupin citat Concilium Generale VIII. quod nobis favet, & illi nocet. n.60.& 61. p.122.
Dupin mali Maymburgi pejor tranſcriptor. D.5. n.1.p.131.
Dupini mendacia circa Concilium Piſanum referuntur. n.19.p.140.
Dupini audacia in malè adducendis Veterum Epiſtolis contra Papam. D.7.n.50 p.253.
Dupin plus in cortice hiſtoriæ, quàm in Theologiæ Sacrorumque Canonum profunditate verſatus à veritate deficit. n.50.p.254.
Dupin in caſu Joannis XXII. confundit unam cum altera quæſtionem. n.55.p.256.
Dupin diſpoſitiones Innocentii, & Cœleſtini non intelligens falsò putat eſſe contrarias. n.57. p.257.
Dupin cap. Presbyter non intellexit, & ideo calumniam fecit Pontifici. n.61.p.259.
Dupini mendacium dicentis pro ſe ſtare Summos Pontifices. n.78.p.265.
Dupini falſa probatio, vana & ſophiſtica ex Conciliis malè à ſe intellectis. n.79. ibid.
Dupin Authores ſuſpectos citat. n.121.p.280.
Dupin videtur non legiſſe, vel non intellexiſſe Patres, quos citat. n.122.p.281.
Dupin pudendis hæreticorum telis contra nos utitur. n.123. ibid.
Dupin etiam invitus, & nolens cogitur fateri Papæ infallibilitatem. n.128.p.283.
Dupini frivola reſponſio ad teſtimonium S.Petri Chryſologi. n.132.p.285.

E

Eccleſiam Romanam ſuper omnes Eccleſias primatum habere eſt de fide. D.1. n.24.p.7.
Eccleſiæ Romanæ primatus definitur à Florentino n.25.p.8.
Eccleſiæ Antiochenæ Sedes Romam translata. n.27.p.9.
Eccleſiæ unitas ab uno capite mirificè explicatur à S.Cypriano. n.28. ibid. & n.47.p.15.49.50.51. ibid.
Eccleſia Chriſti non eſt, ſed Synagoga Satanæ, ſi in ea Romanus non cognoſcitur Supremus Paſtor. n.29.p.9.
Eccleſiæ unitas ex jure canonico ſolidè comprobatur. n.31.p.10.
Eccleſiæ Romanæ ſuprema Sedes ex D. Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, Proſpero, & ex aliis Patribus clariſſimè oſtenditur. ex n.54.uſque ad n.70. p.16. & ſeqq.
Eccleſiæ Romanæ ſuper omnes totius Orbis Eccleſias poteſtas eleganter à D. Bernardo deſcribitur. n.67.& 68.p.20.
Eccleſia Romana caput aliarum omnium. n.131. & 132. p.40.
Eccleſiam Romanam omnium Eccleſiarum caput eſſe negans in Sacris Canonibus tamquam hæreticus habetur. n.132. ibid.
Eccleſiæ Romanæ extraneus ſalvari nemo poteſt. D.2. n.1.p.41.
Eccleſia Romana quo pacto Thalamus Chriſti dicatur? n.7.p.44.
Eccleſiæ Univerſalis maxima commoda ex præcellentia Papæ ſupra Concilium. n.40.p.57.
Eccleſia Pſeudo-Synodum dictam Synodum ſextam reprobavit. n.59. p.64.
Eccleſia quo pacto dicatur Sponſa Pontificis Romani? D.3. n.97. p.76.
Eccleſiam Romanam eſſe omnium Matrem, & Magiſtram definitur à Conciliis Generalibus. D.6. n.25.p.171.
Eccleſiam Romanam eſſe Matrem, & Magiſtram omnium abſolutè, & non ſolum ut eſt in Concilio Generali congregata definitur in Concil. Trid. n.26. p.172.
Effrenata Dioſcori audacia contra Romanum Pontificem. D.1. n.11. p.4.
Epiſcopus abſque literis Apoſtolicis ordinatus improbatur. n.73.p.22.
Epiſcopus nemo conſecratur niſi Apoſtolicis literis confirmatus. ibid.
Epiſcopi à Romano Pontifice depoſiti. n.74. ibid.
Epiſcopi in dignitate ordinis pares, non in juriſdictione. D.2. n.60.p.63.
Epiſtolæ primorum Pontificum liberantur à calumnia hæreticorum. D.3. n.21. p.170.
Expoſitio D.Auguſtini ad illa verba: *Tu es Petrus, &c.* D.2. n.46. p.59.
Euariſtus Papa anno 110. Anacleto ſucceſſit. D.6. n.35.p.176.
Eugenius IV. reprobavit definitiones Concilii Baſileenſis repugnantes authoritati Pontificis Romani indubitati. D.2. n.26. p.51.
Eugenius IV. contra infallibilitatem Papæ malè citatur à Dupino. D.7. n.83. p.266.

F

Felix Arianorum ope intruſus in Pontificatum depulſo Liberio. D.6. n.176.p.223.
Felix numquàm Arianorum erroribus adhæſit. ibid.

Digitized by Google

Felix primo illegitimus, poſtea verus Papa Arianos proſcripſit, & propterea martyrium eſt paſſus. *ibid.*

Factum etiam cenſetur definitum quando ipſum eſt connexum cum re definita. *D.6. n.205. p.231.*

Facultas Theologica Pariſienſis Univerſitatis, an infallibilitati Papæ in definiendo res fidei contraria ſit? *D.7.n.106.p.276.*

Flavianus injuſtè damnatus à ſecunda Synodo Epheſina. *D.1.n.129.p.40.*

Fideles omnes ex jure divino poſſunt appellare ad Papam etiam ex Conciliis Generalibus. *D.3. n.93.p.75.*

Franciſcus Zabarella ex officio ſuo noluit publicare decreta non conciliariter facta. *D.5.n.34. p.148.*

G

GAllorum Præſulum illuſtrium literæ laudabiles ad Innocentium X. Pontificem Maximum. *D.6.n.66.p.180.*

Gallicani Patres antiqui pro infallibili Papæ in definiendo authoritate ſtant. *D.7.n.147.p.290.*

Gallicani plures alii Patres, & Authores de infallibilitate Papæ teſtantur ab anno 852. vſque ad annum 1626. *n.152.*uſq.ad *n.166.p.195.*& ſeq.

Gelaſius Papa docet ex Sacris Canonibus neminem à Papa poſſe appellare. *D.1.n.94.p.28.*

Gelaſium Papam definiiſſe errorem contra Sacram Euchariſtiam falsò aliqui putarunt, *D.6.n.177. p.223.*

Gelaſius alius à Gelaſio Papa diverſus author fuit illius erroris. *ibid.*

Gelaſius Papa an erraverit circa communionem ſub utraque ſpecie? *n.178.ibid.*

Gerbertus injuſtè ſuffectus Arnulpho; poſtea Papa eundem Arnulphum reſtituit ſuæ Sedi. *D.4. n.73.p.129.*

Gerberti pœnitentia de priori ſuo erratu contra infallibilitatem Papæ. *n.74.p.130.*

Gerſon fatetur adhuc poſt Concilium Piſanum eſſe temerarium, & ſcandaloſum damnare ſequentes iſtum, vel illum Papam. *D.5.n.8.p.135.*

Gerſonis dictum refellitur. *n.30.p.146.*

Gerſonis doctrina D. Thomæ doctrinæ adverſatur. *n.31.*& *32. ibid.p.147.*

Gerſon fatetur Martinum V. prohibuiſſe appellationes ad futurum Concilium. *n.71.p.163.*

Gibalinus teſtatur ſemper fuiſſe doctrinam Scholæ Pariſienſis infallibilitatem Papæ in definiendo res fidei. *D.7.n.169.p.296.*

Gregorius Papa minatur cenſuras in Principes, & Reges. *D.1.n.80.p.24.*

Gregorius Papa Vigilium pro Gallia Vicarium conſtituit. *n.90.p.26.*

Gregorius Papa quo pacto negat ſe Epiſcopum Univerſalem? *D.2.n.3.p.42.*

Gregorius qua ratione vocet Imperatorem dominum ſuum? *D.3.n.99.p.77.*

Gregorij operâ Imperator circa res ſuas utebatur. *n.101.p.78.*

Gregorius Papa quo pacto ſe aliorum judicio ſubmiſit? *n.129.p.85.*

Gregorius Papa quatuor Concilia Univerſalia, tanquam quatuor Euangelia veneratur, & amplectitur. *D.4.n.25.p.113.*

Gregorius Magnus non vult inferiorum privilegia derogare. *n.69.p.127.*

Gregorius XI. Avenione Romam rediit. *D.5.n.22. p.131.*

Gregorius XI. paulo poſt ſuum reditum è vivis exceſſit Romæ anno 1378. *ibid.*

Gregorius dictus XII. ex linea Urbani VI.& Benedictus XIII. ex linea Clementis dicti Papæ VII. continuant ſchiſma. *ibid.*

Gregorii XII. obedientia adhuc poſt Piſanum Concilium vigebat in ſua probabilitate. *ibid.*

Gregorij XII. depoſitionem per Concilium Piſanum Conſtantienſe Concilium non legitimam putavit. *D.5.n.7.p.134.*

Gregorius XI. motus etiam ex conſilio Divæ Catherinæ Senenſis anno 1377. Romam migravit. *n.22.p.141.*

Gregorij dicti XII. inſignia fixa ſunt ad valvas ædium Auguſtinianorum. *n.23.p.141.*

Gregorius, alijque Pontifices à Dupino aſſignati, an falſum aliquid definierint, *D.7.n.66.p.261.*

Gregorius XI. an aliquid docuerit contra infallibilitatem Papæ? *D.7.n.84.p.267.*

H

HÆreticorum effrænata impudentia negantium adventum Divi Petri Romam. *D.3. n.138.p.88.*

Hæretici, præſertim Calvinus per impudentiam negant ex Patribus falsò citatis Petro, ejuſque Succeſſoribus primatum Eccleſiæ. *n.153.p.94.*

Hæretici abutuntur authoritate Originis ad negandum Petro primatum. *n.156.p.95.*

Hæretici ex D.Paulo ineptè arguunt contra primatum Petri. *n.158. ibid.*

Hæretici quam ſtultè aſſerant Petrum ſolum proponi ut exemplar, non ut Principem aliorum Apoſtolorum? *n.162.p.97.*

Hæretici quam ſtolidè inferant ex Sacra Scriptura Paulum non fuiſſe Petro ſubjectum? *n.165. p.98.*

Hæreticorum execrabilis blaſphemia contra Eccleſiam. *n.169.p.100.*

Hæretici ſtultè aſſerunt in principio florentis Eccleſiæ nomen primatûs non audiri, cum tamen expresſè illum aſſerant Antiqui Patres, tàm Græci, quàm Latini, *n.168.*vſque ad *n.172. ibid.* & ſeqq.

Hæretici ſumma impudentia habentem primatum Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiæ vocant Antichriſtum. *n.* 169. *p.* 100.
Hæreſes Nicolaitarum ortæ primo Sæculo. *D.* 6. *n.* 55. *p.* 182.
Hæreſis Monothelitarum profligata à Theodoro Papa anno 648. *D.* 6. *n.* 73. *p.* 188. & *D.* 7. *n.* 40. *p.* 248.
Hæreſis formalis quæ dicatur? *D.* 6. *n.* 94. *p.* 197.
Hæreticorum conſuetudo confugere ad Concilium, quod ſciunt tardiſſimè convocandum, ut interim evadant pœnas. *n.* 151. *p.* 214.
Hæreſis quæ requiratur ad deponendum Papam. *D.* 8. *n.* 39. & ſeqq. *p.* 308.
Hieronymus anno 420. obiit. *D.* 6. *n.* 70. *p.* 188.
Honorium non fuiſſe hæreticum demonſtratur evidenter. *n.* 180. & 181. *p.* 224.
Circa Honorii factum errarunt ferè omnes Authores; imo & Concilia illum condemnantia. *n.* 179. *ibid.*
Honorius an communicaverit cum Pyrrho hæretico? *n.* 183. *p.* 226.
Honorius cum Sergio, quando apparebat Catholicus, communicabat. *D.* 7. *n.* 46.
Honorius à S. Maximo laudatus. *n.* 48. *p.* 252.
Honorio innocentiam reſtituit Pyrrhus convictus. *ibid.*
Honorium Maymburgus priſtinæ Religionis immemor iniquè proſcindit. *ibid.*
Honorij epiſtolas eſſe Catholicas Ioannes Papa IV. ad Conſtantium Imperatorem Heraclii filium ſcribit. *ibid.*
Honorii, ut Monothelitæ, nullam facit mentionem Concilium Lateranenſe, & Romanum; cum de hac hæreſi accuratè agant, & ejuſmodi hæreſis Sectatores nominent. *ibid.*
Hormiſda Epiſcopum Hiſpalenſem pro Bœtica, & Luſitania Vicarium ſuum conſtituit. *D.* 1. *n.* 90. *p.* 26.

I

Sanctus Ignatius Martyr pro authoritate Summi Pontificis ſtat. *D.* 1. *n.* 39. *p.* 12.
S. Ilarius Pontifex Romanus fert leges in omnes Chriſti fideles. *n.* 80. *p.* 24.
Infallibilitatem Cathedræ Romanæ colligi ex Sacra Scriptura docent SS. PP. *D.* 6. *n.* 23. *p.* 170.
Infallibilitatem Cathedræ in definiendo colligi ex Deuteron. 17. docet D. Bonavent. Pius II. Adrianus VI. *n.* 29. & 30. *p.* 173. & 174.
Infallibilitatem Cathedræ Romanæ teſtantur Summi Pontifices à tempore Petri. *n.* 36. & *ſeqq.* *p.* 176.
Infallibilitatem Papæ fatetur Janſenius. *n.* 143. *p.* 212.
Infallibilitas in definiendo Romani Pontificis ineluctabili argumento probatur. *n.* 145. *ibid.*
Innocentius Arcadium excommunicat. *D.* 1. *n.* 83. *p.* 24.
Innocentius XII. laudatur. *D.* 6. *n.* 145. *p.* 212.
Innocentius III. an definierit aliquem errorem? *n.* 210. *p.* 233.
Innocentius III. an circa formas Sacramentorum erraverit? *D.* 7. *n.* 61. *p.* 259.
Innocentij III. teſtimonio pro vera ſententia Dupin non ſatisfacit. *n.* 138. *p.* 187.
S. Joannes Chryſoſtomus iniquè depoſitus. *D.* 1. *n.* 42. *p.* 13.
Joannes Dominici Cardinalis ex contraria Obedientia admiſſus cum inſignibus Cardinalitiis, in Concilio Conſtantienſi. *D.* 5. *n.* 5. *p.* 134.
Joannes XII. bono zelo, ſed ex ignorantia ab Imperatore depoſitus. *D.* 3. *n.* 129. *p.* 85.
Joannes XXIII. ut Papa dubius refertur ex Actis Concilii Conſtantienſis. *D.* 5. *n.* 23. *p.* 141.
Joannis Falkenberg libellum continentem errorem enormiſſimum cur Martinus V. noluit damnare? *n.* 70. *p.* 163.
Joannes XXII. volens definire errorem circa animas præmortuus eſt. *D.* 6. *n.* 118. *p.* 205.
Joannes XXII. an erraverit circa beatitudinem animarum? *n.* 197. *p.* 229.
Joachim Abbas prophetiæ dono, miraculiſque inſignis probabiliter non fuit author errorum, qui ab Eccleſia ſunt damnati; ſed eos aliquis Hæreticus ejus operibus immiſcuit. *n.* 101. *p.* 199.
Judex in cauſa Pontificis Romani, excepto caſu hæreſis in Sacris Canonibus non aſſignatur. *D.* 1. *n.* 97. *p.* 28.
Judex poteſt aliquando in cauſa propria judicare. *n.* 126. *p.* 38.
Judicem ſupremum dari in terris ad dirimendam omnem litem eſt de fide. *ibid.*
Julius II. Athanaſium reſtituit. *D.* 1. *n.* 78. *p.* 23.
Julius I. in Epiſtola ad Orientales Epiſcopos malè adducitur à Dupino pro ſua ſententia. *D.* 4. *n.* 16. *p.* 111.
Juriſdictionem à Papa immediatè venire verior ſententia. *D.* 1. *n.* 30. & 38. *p.* 9.
Juriſdictio Pontifici Romano à Chriſto immediatè confertur. *n.* 38. *p.* 12.
Juriſdictio Pontificis Romani in toto orbe ex legatis in omnem terram à ſe miſſis comprobatur. *n.* 88. *p.* 26.
Juriſdictio Suprema Pontificis Romani ex omnium ad ipſum appellatione comprobatur. *n.* 91. *p.* 27.
Juriſdictio D. Petri conſervatur in ejus Succeſſoribus. *D.* 2. *n.* 22. *p.* 50.
Juriſdictio ſpiritualis nulli confertur ſaltem ſine ſubordinatione ad Summum Pontificem. *D.* 6. *n.* 24. *p.* 271.
Irenæi pro Primatu Eccleſiæ Romanæ perilluſtre teſtimonium. *D.* 1. *n.* 39. *p.* 12.

L

Leo Pontifex Maximus Theodoretum ab Orientalibus depoſitum Sedi ſuæ reſtituit. *D.* 1. *n.* 78. *p.* 23.
Leonis literæ ad Anaſtaſium. *n.* 88. *p.* 26.
Leo vices ſuas commiſit Potentio pro Africa Regione. *ibid.*

Digitized by Google

Leo IV. qua ratione petiit Judices ab Imperatore Ludovico? D.3. n.130. p.86.
Leo Pontifex Maximus expreſſiùs, quàm multi alii authoritatem Romani Pontificis declaravit. D.7. n.16. p.238.
Leo à Maymburgo vanè, falsòque pro ſe citat, n.16. & 18. p.139.
Leo II. falſa informatione inſtructus Honorium improbat. n.53. p.255.
S.Leonis lectiones in ejus feſto Eccleſia mutavit, & cur? ibid.
S.Leonis literæ ad Conſtantium non nocent authoritati Papæ. n.85. p.268.
Leonis IX. authoritati reſponſio Dupini non ſatisfacit. n.135. p.286.
Lex non jejunandi in Sabbato à falſa Synodo lata reprobatur. D.2. n.54. p.61.
Leges univerſales Eccleſiaſticæ quo pacto Pontificem obligent? n.51. p.61.
Liberius Papa metu coactus ſubſcripſit damnationi Athanaſij. D.6. n.175. p.223.
Liberius, reſciſſis actis Conciliabuli Sirmenſis, priorem maculam abſterſit. ibid.
Liberius licet erraverit, ut homo privatus; errorem tamen non definivit. ibid.
Liberius propter fidem acta impia reſcindens fuit ab Hæreticis depoſitus. ibid.
Liberius à Sanctis Patribus multis encomiis laudatur. ibid.
Liberius invalidè depoſitus à Conſtantio. D.8. n.46. p.310.
Liberius poſtquam damnationi Athanaſii, licet invitus ſubſcripſit, fuit verè depoſitus ab Eccleſia, & Felix tunc fuit canonicè electus. ibid.
Liberius retractans ſubſcriptionem poſt mortem Felicis fuit noviter electus. ibid.
Ludovici Pii anno 840. obeuntis pro noſtra ſententia teſtimonium. D.7. n.150. p.290.
Lullus Raymundus varios habuit errores. D.6. n.103. p.200.
Lutheri deliramenta. D.3. n.62. & ſeqq. p.64.
Lutheri inſania circa mentem S. Cypriani. n.71. p.68.
Lutheri malus intellectus ad verba Hilarii. n. 73. ibid.
Lutherus D.Hieronymum, & alios Patres perperam interpretatur. n.74. p.69.
Lutheri ſtoliditas circa appellationes. n.76. ibid.
Lutheri futilitas circa primatum Eccleſiæ. n.175. p.101.

M

Magdeburgenſes impodenter blaterant contra D.Petrum. D.3. n.548. p.95.
Magdeburgenſes impudentiſſimè effutiunt primatum EccleſiæCaracterem eſſe Antichriſti. n.169 p.100.
Maymburgus vanè ex caſu Cæciliani arguit contra poteſtatem Pontificis. D.4. n.65. p.125.
Maymburgus perperam vocat juſtam appellationem ad Concilium, quam D. Auguſtinus perverſam, & Conſtantinus rabidam vocant. ibid.
Maymburgus armis Calvini utitur contra Catholicos. ibid.
Maymburgus ſibi contrarius. n.67. p.126.
Maymburgi inepta conſequentia ex verbis Siricij Papæ. n.69. p.127.
Maymburgus pugnantia dicit ſui immemor. n.71. p.128.
Maymburgi futilia argumenta contra authoritatem Papæ. n.73. p.129.
Maymburgi falſitas in depoſitione Arnulphi ſujuſta manifeſtatur. n.74. p.130.
Maymburgi argumentum ex facto Geberti retorquetur in ipſum. ibid.
Maymburgi commentum circa res Concilii Piſani D.5. n.3. p.133.
Maymburgus multa depingit ſpecie veri, falsò tamen, & ineptè deducta. n.4. ibid.
Maymburgi futilis reſponſio ad argumentum in favorem Gregorii XII. n.7. p.135.
Maymburgi inconſtantia doctrinæ circa Concil.Piſanum. n.10. p.136.
Maymburgus, eiuſque perpetuus Sectator deferunt quæſtionem. n.17. p.129.
Mayburgi futilis reſponſio ad Codicem manuſcriptum authenticum concordantem cum decretis Concilii Conſtantienſis, ubi patet præcellentia Papæ. n.29. p.145.
Maymburgi allocinatio circa confirmationem Concilii Conſtantienſis. n.58. p.158.
Maymburgi inepta cogitatio de fiſtula pro explicanda infallibilitate Concilii diſuncti à Papa. D.7. n.3. p.234.
Maymburgi vanitas circa Confirmationem Conciliorum per Pontificem Romanum. n.10. p.230.
Martinus V. ſolum Concilii Conſtantienſis decreta conciliariter facta confirmavit. D. 5. n. 33. p.148.
Martinus V. in quibus rebus confirmavit Concil. Conſtant. n.58. p.158.
Martinus V. condemnavit appellantes ad futurum Concilium. n.61. p.159.
Martini V. Bullæ ad Epiſcopos, & Inquiſitores. n.62. ibid.
Martinus V. tanquam Concilio ſuperior ejus defectus ſupplet. n.64. p.161.
Martino V. prohibenti appellationem ad futurum Concilium, ipſum Concilium non obſtitit. n.66. p.162.
Martinus V. in ipſa etiam ſeſſione ſe oſtendit ſuperiorem Concilio; eo minimè obſiſtente. n.75. p.163.
Monothelismum falsò aſcribitur Honorio Papæ. D.6. n.179. p.224.
Monothelitæ nullam actionem humanam in Chriſto agnoſcebant. n.182. ibid.
Monothelita omnino contrarius Honorio Papæ. ibid.
Monothelitam non fuiſſe Papam Honorium convincitur. ibid.

Myſte-

Digitized by Google

Myſteria ſola ſive ſcripta, ſive tradita propoſita per Eccleſiam ot credenda tenemur de fide credere. *D.8.n.5.p.299.*

N

Nicolaus I. an docuerit errorem circa formam baptiſmi? *D.6. n.185. p.226.*

Nicolaus I. ſolum definit validum baptiſmum à quocumque collatum; relinquens controverſiam aliam opinioni Doctorom. *n.186.p.227.*

Nicolaus IV. an definitioni Joannis XXII. adverſetur? *n.191.p.228.*

Nicolai I. authoritati nullo modo ſatisfacit Dopio. *D.7.n.134.p.286.*

O

Origenes defecit à fide tertio Sæculo. *D.6. n.56.p.183.*

Origenis errores primò abſque Synodo oniverſali à Romanis Pontificibos damnati fuerunt. *n.57. ibid.*

Origenis errores ad majorem ſolemoitatem poſtea in quiota Syoodo univerſali, & ſecunda Conſtantinopol. damnati fuerunt. *ibid.*

P

Papa non habet in terris ſoperiorem. *D.1. n.4. p.1.*

Papæ authoritas major omnibus. *n.10. p.3.*

Papa eſt caput Concilii etiam univerſalis. *n.13.p.4.*

Papa non ſolum eſt ſuper omnes Eccleſias diviſim, ſed collectim. *D.1.n.15.& ſeqq.p.5.*

Papam eſſe ſupra Concilium probatur amplius. *n.18. & ſeqq.p.6.*

Papa ſolus poteſt revocare decreta Coocilii uoiverſalis, ex cauſa juſta. *n.20. ibid.*

Papa eſt caput totius Eccleſiæ. *n.27.p.8.*

Papam eſſe omnium Chriſtianorum Supremum probatur ex SS.PP. *n.39.p.12.*

Papam eſſe ſopremum in terris Judicem probatur ex D.Athanaſio. *n.41.p.13.*

Papæ ſoprema poteſtas probator ex D. Chryſoſtomo, Theodoreto, Acatio, & ex aliis. *n.42.44.& ſeqq.p.13.& ſeqq.*

Papæ ſuprema poteſtas probatur ex Patribus Latinis. *n.47. & ſeqq.p.15.*

Papæ ſuprema poteſtas patet ex authoritate in omnes ſemper exercita. *n.72.p.21.*

Papa octo Patriarchas depoſuiſſe commemoratur. *n.75.p.22.*

Papa Damaſus Patriarcham Antiochenum depoſuit. *ibid.*

Papa Sixtus III. Patriarcham Conſtantinop. depoſuit. *n.76. p.23.*

Papæ multos à Conciliis depoſitos Epiſcopos ſuis ſedibus reſtituerunt. *n.77. 78. ibid.*

Papæ ſuprema authoritas ex poteſtate ferendi leges in omnes. *n.79. ibid.*

Papæ ſuprema authoritas ex cenſuris latis in omnes, & ex diſpenſationibos in omnes ubique terrarum. *n.82.83. p.24.* & ſeqq.

Papa Nicolaus I. Regem Lotharium excommuoicavit. *n.84. p.25.*

Ad Papam à Synodo, & non ad Synodum à Papa appellari docet D.Tho. *n.95.p.28.*

Papa à ſolo Chriſto deponitur. *n.101. p.30.*

Papa in quo ſenſu poteſt appellari minor, quam Eccleſia? *D.2. n.1. p.41.*

Papæ nomen ſoli Pontifici Romano de jure competit. *n.3. p.42.*

Papa ſupremus Chriſtianorum. *ibid.*

Papa poteſt renunciare Pontificatui. *n.19. p.49.*

Papæ renunciatio quo pacto fieri poſſit? *ibid.*

Papa propter nullum crimen præter hæreſim poteſt ab Eccleſia judicari. *n.20. ibid.*

Papa poteſt à ſuis ſubditis moneri. *n.44. p.58.*

Papa Honorius quo jure à ſexta Synodo fuerit judicatus? *n.50. p.61.*

Papa an poteſtati Laicæ ſit ſubjectus? *D. 3. n. 126. ibid.*

Paulus cur per anthonomaſiam vocetur Apoſtolus? *n.138.p.87.*

Paolos an poſſit dici com Petro habere Primatum Eccleſiæ? *n.144.p.85.*

Paulus an habuerit determinatam Diæceſim? *n.148. p.91.*

Petro, ejuſque Succeſſoribus Primatum Eccleſiæ Patres aſcribunt. *n.153.*& ſeqq. *p.94.*

Petrus fuit primo deſtioatus ad prædicandom Judæis? *n.166. p.98.*

Petrus quo pacto dicatur habere primatum? *n.168. p.99.*

Petrus de Marca Gallus illuſtre profert pro nobis teſtimonium. *n.167.p.295.*

Petrus de Aliaco adhærens Concilio Piſano adhuc fatetur probabilitatem aliarum Obedientiarum *D.5. n.5. p.134.*

Pontifex Romanus pallium dat Patriarchis. *D. 1. n.73. p.22.*

Pontifex Romanus multis modis ſumitur. *D. 3. n. 95. p.76.*

Pontifex Romaous quo ſenſu dicatur caput, & ſponſus Eccleſiæ? *n.96. & 97. ibid.*

Pontifex Romanos ſuccedit Petro in Papatu, & Epiſcopatu. *D.3. n.117. p.82.*

Pontifices Romani an aliquando fuerint ab Imperatoribus judicati? *n.120. p.85.*

Pontifex Romanus habet Epiſcopos ut Conſiliarios non ut ſuos Judices. *D.4. n.13. p.110.*

Pontifex Romanus ſuis, & Conciliorum legibus directivè tantum ſubiicitur. *n.35. p.114.*

Pootifex Romanus per ſubjectionem volontariam nihil ſuæ authoritatis ſupremæ diminuit. *n. 42. p. 117.*

Pon-

Pontifex Romanus Concilio Romano ſibi inferiori ſe voluntariè ſubjecit, & ad Imperatorem confugit pro ſua innocentia tuenda. *ibid.*
Pontifices Romani Avenione 73. annis ſederuot. *D.*5. n.2. *p.*131.
Pootifex Romanus errare nequit io definiendo etiam extra Coocilium. *D.*6. *n.*3. *p.*164.
Pontifex Romaous ſi poſt mortem fuerit repertus in aliquam hæreſim iocidiſſe; ejus memoria oequit damnari etiam à Concilio Geoerali ſine conſenſu Papæ. *n.*82. *p.*292.
Poutifex Romanus tunc dicitur definire pro Cathedra, quando iotendit totam Eccleſiam docere, & obligare. *D.*6. *n.*155. *p.*216.
Pontifices Romani, quibus falſò aſcribuntur errores, reſeruotur. *n.*185. *p.*226.
Pontifex Romaous uunc exiſtens an ſit de fide eſſe verum Papam? *n.*206.
Pontificis Pelagii revocata à Gregòrio conſtitutio an iudicet Papæ fallibilitatem? *D.*7. *n.*59. *p.*258.
Poutificis Pelagli conſtitutionem iojuſtam vocans Aothor gloſæ turpiter erravit. *n.*60.
Pontificis Romani duplex genus actionum conſideratur. *D.*7. *n.*123. *p.*281.
Pootifex dobius quot modis ſit talis? *D.* 8. *n.* 10. *p.* 300.
Pontifex nequit repotari ut dubios, quaodo eſt moraliter certus. *n.* 10. *ibid.*
Pontifex ritè depoſitus, ſi ante uovum electum, reſipiſcat, an ſit retinendus? *n.*41. *p.*318.
Pontifex ſi errore facti fuit depoſitus, & alius jam ſit electus, ſi poſtea conſtet de errore facti debet retiueri; ſecundo, qui fuerat electus, rejecto. *n.*59. *p.*315.
Pontifex ut cenſeatur dubius, & Antipapa, qoid requiratur? *n.*71. & *ſeqq.* *p.*318.
Pontifex au depoui poſſit, quando totum Concliliom judicat aliquam opiuionem eſſe hæreticam; ille verò nou eſſe hæreticam aſſeverat? *n.* 79. *p.*319. & *ſeqq.*
Pootifices, & Concilia quot modis defioiaot? *D.*6. *n.*200. *p.*230.
Pootifices quot rexerint Eccleſiam Avenioue? *D.*5. *n.*22. *p.*141.
Proceſſus judicialis circa Papam certum hæreticum; & circa Papam dubium non hæreticum quo pacto fieri debeant? *n.*80. *p.*320. & *ſeqq.*

R

Recentiores falsò dicunt Antiquiores Gallos eſſe omnes contra iofallibilitatem Pontificis Romani in definiendo res fidei, & morum. *D.*7. *n.*42. *p.*188.
Renunciatio facta à Papa. *D.*8. *n.*86. *p.*321.
Renunciare Pontificatui an poſſit Sommus Pontifex? *n.*87. *p.*322.
Renunciatio Papatus an requirat couſenſum Eccleſiæ? *n.*88. *ibid.*
Renunciatio Papatus facta per metum gravem injuſtum poteſt revocari. *n.*92. *p.*323.
Renunciatio ejuſmodi facta per metum levem oon poteſt revocari. *n.*93.
Renunciatio ſacta per metom juſtum revocari nequit. *n.*94. *ibid.*
Renunciatio facta ſub conditione; ea conditione non impleta, poteſt revocari. 95.
Richerius Doctor Theologus Gallus uno auuo ante obitum retractavit ſuam ſententiam de fallibilitate Papæ. *D.*6. *n.*86.
S. Robertus 13. Sæculo iueunte plorimos in Germania ab hæreticis ſeductos ad fidem reduxit. *D.*6. *n.*92. p.196.

S

Schiſmata pullulabunt io Eccleſia, niſi unus ſit omuis ſupremus Paſtor. diſt.3. *n.* 172. & 163. *p.* 97.
Schiſma, quod 40. aunos duravit, ioceptum fuit ab electiooe Clemeotis dicti Papæ VII. *D.* 5. *n.*22. *p.*141.
Schiſmatis tempore, quando Papæ dubii ſunt, Conciliom præcedit. *D.*5. *n.*65. *p.*161.
Schiſma ne pullulet in Eccleſia, noo vult ipſa damnare ſententiam cootrariam Infallibilitati, & præcellentiæ Pontificis Romani. *D.* 6. *n.* 149. *p.*214.
Schiſmata ſemper eruut, ſi Sũmus Pontifex non ſit regula iofallibilis. *n.*154. *p.*215.
Schiſmaticus eſt, qui oon adhæret Pontifici probabiliter tali, quaudo probabilitas oppoſita non eſt practicè talis. *D.*8. *n.*9. *p.*300.
Schiſma, quando datur proper multos Pontifices dubios; eos teoetur Eccleſia depouere, vel facere, ut cedant, ad eligendom certum. *n.* 17. & *ſeqq.* *p.* 302.
Scripturam Sacram non uoſtro, ſed Sanctorum Patrum judicio explicare debemus. *D.* 7. *n.* 141. *p.*188.
Sedes Apoſtolica an de jure divino fixa ſit Romæ? *D.*3. *n.*113. *p.*81.
Sententiæ variæ circa Pootificem dubium deponendum. *D.*5. *n.*43. & *ſeqq.* *p.*152.
Sententia aſſerentium Coucilium eſſe ſupra Papam indubitatum, & de quo Eccleſia eſt certa, qood ſit verus Pontifex, caret omni fundamento. *D.*5. *n.*72. *p.*163.
Sententia ſi adhuc non lata fuit ab Eccleſia de ſequeudo uno, vel de eligendo oovo Pontifice, quælibet pars poteſt ſine peccato ſequi ſuum; quando quilibet ex illis Pontificibus probabile jus habet. *D.*8. *n.*14. p.301.
Sergius facie agnus, intus lupus. *D.*7. *n.*46. *p.*251.
Sergius hæreticus Monothelita occultus. *ibid.*
Sergii, & Monothelitarum qoalis fuerit hæreſis? *n.*47. *p.*252.
Stephano Papæ II. calumnia facta à Dupino non capieute reſponſionem à Summo Pootifice datam. *n.*63. *p.*260.

Sor-

Sorbonica unde habuit originem? *D.* 7. *n.* 168. *p.* 295.

Sorbonici, & Pariſienſes Doctores, qui pro noſtra pugnant ſententia, referuntur, *D.* 7. *n.* 169. *p.* 296.

Sorbonici quidam Doctores confundunt quæſtionem de facto cum quæſtione de jure circa infallibilitatem in definiendo; & quæſtionem de Papa dubio. *D.* 8. *n.* 1. *p.* 298.

Sorbonici cujuſdam Doctoris frivolæ ad noſtra fundamenta ſolutiones. *D.* 7. *n.* 124. *& ſeqq.*

Sorbonici ejuſdem Doctoris reſponſiones ineptæ Sanctorum Patrum teſtimoniis exibitæ. *n.* 126. *p.* 283.

T

TEmplariorum ordo extinctus à Clemente V. *D.* 6. *n.* 110. *p.* 203.

Circa Templariorum factum an erraverit Pontifex? variant Authores. *n.* 111. *ibid.*

Tertullianus patre Proconſule natus. *D.* 1. *n.* 70. *p.* 21.

Tertullianus floruit ſecundo Sæculo. *ibid.*

Tertullianus primatum Eccleſiæ Romanæ tuetor. *ibid.*

Tertullianus defecit ab Eccleſia, tertio Sæculo ineunte. *D.* 6. *n.* 56. *p.* 183.

Tertullianus à Zephyrino Summo Pontifice excommunicatus. *ibid.*

Tertullianus Montano hæretico, quem refutaverat, adhæſit. *ibid.*

Tharaſius cur ab Adriano Papa laudetur? *D.* 1. n. 59. *p.* 18.

Theodoretus à Leone Pontifice Romano in Concilio Chalcedonenſi fuit ſuæ Sedi reſtitutus. *D.* 7. *n.* 33. *p.* 246.

Theodoreti memoria damnata poſtea à Concilio Coſtantinopolitano. *ibid.*

Theophylus Rayoaudus Doctor Gallus teſtatur ante Concilium Conſtantienſe omnes Doctores Gallos infallibilitatem Summi Pontificis in definiendo etiam extra Concilium tenuiſſe. *D.* 7. *n.* 169. *p.* 296.

Traditiones, quæ non à Patribus, ſed ab Apoſtolorum tempore ad nos uſque defluxerunt, ſunt de fide credendæ. *D.* 6. *n.* 42. *p.* 178.

V

VAlentiniani Auguſti teſtimonium pro Pontificis Romani ſuprema authoritate. *D.* 1. *n.* 71. *p.* 21.

Victor I. Pontifex Maximus Aſianos excommunicavit. *n.* 85. *p.* 25.

Victor Pontifex Romanus contra Blaſtum landator. *n.* 86. *ibid.*

Vigilii Pontificis Romani facti an probet contra infallibilitatem Sedis Apoſtolicæ? *D.* 7. *n.* 22. *p.* 241.

Vigilii facto vanè ſibi Maymburgus triumphat, & argumentum in ipſum retorquetur. *n.* 23. *ibid.*

S. Vincentius Ferrerius novem poſt Piſanum Concilium annos adhæſit Benedicto XIII. *D.* 5. *n.* 8. *p.* 135.

Univerſale non deſinit eſſe Concilium, ſi culpa ſua aliquot Eccleſiæ non veniunt ad Concilium. *n.* 41. *p.* 152.

Unitas Eccleſiæ unus eſt ex fidei articulis. *D.* 8. *n.* 4. *p.* 299.

Urbanus VI. incepit reformare Cardinales. *D.* 5. *n.* 2. *p.* 131.

Urbanus VI. Cardinalibus diſplicuit. *ibid.*

Urbani VI. electionem fuiſſe irritam prætendebant Cardinales. *ibid.*

Urbano adhuc vivente Cardinales elegerunt Cardinalem Robertum dictum Clementem VII. *ibid.*

Urbano demortuo ſucceſſit Bonifacius IX. huic Innocentius VII. Innocentio Angelus de Corario electus anno 1506. dictus Gregorius XII. *ibid.*

Uſus Clavium quomodo ſit in Summo Pontifice. *D.* 4. *n.* 7. *p.* 104.

Vitia Superioris Sanctitatem perſonæ, non juriſdictionis poteſtatem auferre poſſunt. *D.* 1. *n.* 69. *p.* 21.

Warmienſis Epiſcopi invectiva contra appellantes ad Concilium à Papa. *D.* 5. *n.* 68. *p.* 162.

X

XIſtus V. circa vulgatam an pugnet cum Clemente VIII. *D.* 7. *n.* 74. *p.* 264.

Xiſtus I. & alii Pontifices abſque Concilio Univerſali hæreſes definitivè damnarunt. *D.* 6. *n.* 55. *p.* 183.

Xiſtus III. Patriarcham Conſtantinopolitanum depoſuit. *D.* 1. *n.* 76. *p.* 23.

Xiſtus IV. & alii Pontifices, prohibent appellationem ad futurum Concilium. *D.* 1. *n.* 123. *p.* 37.

Xiſtus III. Leonem Diaconum poſtea Papam Hieroſolymam legatum miſit ad judicandam vice ſui cauſam Polychronii Patriarchæ Conſtantinopolitani. *D.* 1. *n.* 76. *p.* 23.

Z

ZEphyrinus Papa Montaniſtas nondum detectos, imo ſpeciem pietatis præferentes non eiecit ab Eccleſia, niſi quando fuerunt detecti. *D.* 6. *n.* 175. *p.* 222.

Zephyrini literæ an ſint apocryphæ? *n.* 21. *p.* 170.

Zephyrini literæ, aliorumque veterum Pontificum, ſaltem quo ad ea, in quibus veteres Patres approbant, magnam habent authoritatem. *ibid.*

Zephyrinus anathemate percellit Tertullianum. *n.* 56. *p.* 183.

Zephy-

Zephyrinus anathemate percellit Tertullianum. *n.*56. *p.*183.
Zephyrinus Concilium Africanum ſub Agripino Archiepiſcopo coactum,ejuſque doctrinam proſcripſit. *ibid.*
Zozymus, & alii Pontifices Romani multas hæreſes damnarunt extra Concilium Generale; & ſtatim ab Eccleſia Univerſali nullo expectato Concilio Æcumenico eæ hæreſes,ut tales habitæ ſunt. *n.*65. *p.*186.
Zozymi Epiſtola decretalis ad univerſi orbis Epiſcopos. *n.*66. *ibid.*
Zozymi teſtimonium pro authoritate Romani Pontificis ſuper omnes Chriſtianos. *n.*68. *p.*187.
Zozymus Pontifex Romanus à D. Auguſtino laudatus. *D.*1. *n.*61. *p.*18.

Errata Corrige.

PAg.8.num.27.lin.7.nos.leg.vos. pag.23.n.78.Iulio.I.l.II. p.25.n.85.l.2.Arianos. l.Aſianos. p.51.l.5.dræſentis.leg. præſentia. p.54.n.34.lin.7.illum.leg.illam. p.58.n.44.lin.6.compræhendit.leg.comprehendit. p.64.n.62.l.3. ſupple Sed fuit data. p.65.n.64.lin.8. interrogatione.l. interrogationi. p.66.n.64.fine.Reſpondebit.leg. Reſpondit. p.70. n.78. lin.23.Appellatio leg.appellatio niſi. p.73.n.87.lin.12.domini.leg.domino. p.74.n.89.lin.16.Sardicenſia.leg. Sardicenſi. p.76.n.90.lin.25.Ieiunia.leg.non ieiunia. p.83.n.118.lin.37. dutum.leg. dictum. p.76.n.96.lin.24. Gregorims.leg. Gregorius. p.80.n.108.fine.inadignus.leg.malignus. p.94.n.154.lin.3.allegatea.leg.allegatos. p.97.n.163. lin.20.vel leg.ad. p.98.lin.8.Conſtitutus.leg Contriſtatus. p.98.n.163.lin.22. Regem.leg.Regea. ibidem.n.165. in fine.gubernando.leg.gubernandi. p.100.Sect.VI.leg.VIII. p.101.n.171.lin.17.à nouellis.dele propoſitionem (à) ibid.n.174.lin.21. tibulos.leg. titulos.p.108.n.7.lin.22.ſit.leg.ſi. p.110.n.13.lin.4.Subditi.leg.Subdi.ibid. lin.24.maior.leg.maiorem. p.112. n.20.lin. 2.ac.leg.ad. p.113.n.24.lin.14.cauſe.leg.cauſá. p.116.n.40.lin.8.iſque.leg.ijque p.117.n.44. lin.25. hortantur.leg.hortamur.ibid.lin.13.& leg.ex. p.118.n.46.lin.22.effuſientem.leg.effutientem.ibid.n.45.prope finem. Cortè.leg.Certè.ibid. n.47.lin.2.diſceſſert.leg.differt. p.121.n.58.lin.14.(,)leg. (?) & ibidem(?)leg.(,) p.124.lin.2.deendere.leg.defendere.ibid. n.64.lin.43.vocata.leg.vocatæ. p.126.n.67.lin.29.contraductum.leg.contradictum.ibid.n.68.lin.7. dele interrogationem (?) p.127.n.68.lin.10.quos. leg.quas.ibid.lin.37.conſultentes.leg.conſultantes.ibid.propè fin.uſuſpandi.uſurpandi.p.133. lin.11.pobetur. leg probetur.p.135.n.8.lin.4.uccisam.leg.occiſam.p.137.n.3.lin.47. moti.leg.morti. p.ibid. n.13.lin.18. Inſolis.leg.Inſulis.p.140.lin.6.hiic.leg.hic. p.141.n.23.ante finem. æquitum leg.equitum.& paulo infra.thorate.leg.thoracc. p.142.lin.2. in doleatur. p.141.lin.n.22. prope finem.ultro. leg.ultra. p.144.n.28. lin.39.prompta. leg.promptu. p. 183.n.57.lin.16. Nouatum.leg.Donatum.196.n.92.lin.4.quæ.leg.qui. p.200.n.103. lin.12.poteſt.leg. potes. p.203.n.112. lin.7.ſuo leg.ſua. p.219.n.164.lin.4.allegata. leg.alligata. ibid.n.163. lin.8. coagnouit. leg.agnouit. p.221.n.169. in fine. confirmari.leg.conformari. p.223.n.177.lin.32.alijs.leg.alios p.225.n.181.lin.15.oparationes.leg.operationes. p.126.n. 185.lin.21. IV.leg III. p.235.n.3.lin.13.aſſidere.leg.aſsedere. p.236.lin.13. Sunciantur.leg. Sanciantur. p.241.in titulo. Vigilijs.leg.Vigilij p.241.n.21.fine.indicium.leg.Iudicium. p.244.n.30.lin.18.dictis.leg.dictu. p.245.lin.24.tamquam.leg. tamque. p.249.n.42.lin.11.Concilio.leg.Concilium? ibid.n.14. Concilium? leg.Concilio. p.250 n.44.lin.35.eorum. leg. coram.ibid.lin.40.facto.leg.factum. p.251.n.45.lin.30.adhibe interrogatione? p.257.n.58.lin.9.Sentiſſe.leg.Senſiſſe. pag. 258.lin.4.gloſſatorum.leg.gloſſatorem. p.256.n.61. lin.3.IV. leg.III. p.274.lin.1.legitum. leg. legitimum. p.283. n.126. lin.16. dele notam(?) p.284.n.131.leg. cauſam fuiſſe delatam? p.305.n.27. lin.2. nam.leg.vim. p.306. n.31.lin.39. ipſum. leg. ipſam.

[illegible] by Google